Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS VIII. PARS I.

LIPSIAE. MDCCLIX.

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam

Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud C. G. Seyffert, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

QH
7
C66
v.8
3CNHRB



I.

Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar; för Aor 1758 Vol. XIX. med Kongl. Academiens Tilſtaond. Tryckte i Stockholm hos Direct. LARS SALVIUS; pao deſs egen koſtnad 1758. 8 mai. pl. 21. tab. aen. 7.

h. e.

Acta Academiae Regiae Scientiar. Anni 1758. Holmiae. Vol. XIX.

Trimeſtre primum.

1) Cl. WARGENTIN *Climata*, *Vpſalienſe*, *Pa*- p. 1.
riſinum, *Algirenſe*, illudque urbis *Pondichery* in India, quantum id per obſeruationes thermometricas fieri poteſt, inter ſe comparat. Ipſe vero fatetur, rationem caloris in climatibus diuerſis hoc modo definiri non poſſe; id tamen intelligitur, diſcrimina non adeo magna eſſe.

2) *Plantarum noua genera*, Loeflingiam et Minu- p. 15.
artiam LINNAEUS depictas, ſiſtit. Miſerat plantas ſiccas ex Hiſpania LOEFLINGIUS et ſemina, ex quibus Vpſaliae educatae ſunt, *Loeflingiae* deſcriptionem dedit Spec. pl. 35, quare hic ſaltim addit, in cuius aridis prope Mantuam Carpentanorum copioſe creſcere,

pauca etiam de vita LOEFLINGII ſubiicit. Minuartiae ſpecies has deſcribit; *dichotomam* Spec. pl. 89. *campeſtrem* Sp. pl. 89. *montanam*, Sp. pl. 90. LOEFLINGIVS plantam a MINVARTIO inſigni botanico Madriti degente, appellauit.

p. 19. 3) *Mechanismum malleorum maiorum, quibus ferrum cuditur, mouendorum* emendat SVEN RINMAN vectibus, qui id efficiunt, non ligneis amplius et axi, qui circum actus malleum attollit infixis, ſed ex ferro factis, annuloque ferrei qui cingat, axem iunctis.

p. 29. 4) *De morbo italorum, quem ſaltatione leuari aiunt*, tarantismum *appellant*, agit MART KAEHLER, M. D. Quae anno 1756 in Apulia degens ipſe comperit, recenſet. Hiſtoria morbi haec eſt: Aeger moroſior videtur, inquietus, cibum minus appetit, vires deiectae ſunt, membraque omnia velut ponderoſiora ſentit. Accedit anxietas circa praecordia, augetur inquietudo, color ſani hominis perit, et in flaueſcentem abit. Progreſſu temporis, inualeſcit melancholia, pauet omnia, dentes vacillant, urina exit copioſior, pallida, pulſus tardus. Hic aegri ſtatus interdum 2 vel 3 annos durat aut etiam diutius. Interea nunquam furit aut mentis alienatae ſigna edit, quod melancholici (*miltzſüchtige*) facere ſolent; aegritudinem vero perpetuo ſentit, et ingruente certo anni tempore, plerumque Iunio menſe, anxietatem circa praecordia ſentit grauiorem. Tunc credunt a Tarantula ictum, muſicosque aduocant, qui dum certos modos edunt, aeger exclamat, rubeſcit et ſaltare incipit. Quo antiquior grauiorque morbus eſt, eo diutius ſaltat, ut interdum ſaltatio horas duas

p. 31. duret. Deſiſtere non poteſt antequam paroxyſmus ceſſauerit, muſicis autem deſinentibus aiunt moriturum. Saltantis alienatio mentis nulla conſpicitur,

DSI

niſi

niſi quod facie torua ſit, exclamet interdum, pectusque premat. Muſico vero in tono quodam errante, miſerabiliter exclamat, corpus totum concutit, vehementiſſimique doloris ſigna edit. Interdum ſaltanti anxietas circa praecordia adeo ingraueſcit, ut corpus mouere non poſſit, tunc manibus menſam aut ſellam prehendit, pedes autem modis muſicis conuenienter agitat. Ceſſante paroxyſmo finitaque ſaltatione, vehementer ſudat, aquam meram aut vino mixtam ipſi praebent et quieſcere ſinunt. Ita declarato morbo triduum ſaltat quauis die tempore aliquo poſt meridiem. Ad alios modos, quam ad definitos non ſaltat. Quam primum eos audit, antequam triduum illud elabatur, ad ſaltandum vi, cui reſiſtere nequit, fertur, elapſo triduo nihil amplius ſentit, ſed integro anno bene valet, donec appropinquet ſequenti anno tempus, quo praeterito ſaltarat, ubi redeunt eadem ſymptomata, ſed vehementiora, idemque remedium adhibetur. Honeſti homines celant hunc morbum ſi quis ſuorum illo affligitur, unde muſici eos, ad quos vocantur, non detegunt. Loquutus eſt noſter cum aliquibus, qui ſic 16, 18, 20, 25 annis ſe ſaltaſſe narrarunt. Morbo ad finem vergente tumor oritur plerumque in aliquo articulorum cui folia cucumeris aſinini imponunt, ut matureſcat, materia exeat et ſanetur. Interdum, in quem nulla ſuſpicio morbi talis cadit, dum modos audit, ſaltare incipit. Id puellae accidere vidit noſter, cum muſicos modorum addiſcendorum cauſſa apud ſe haberet. Saltauit autem illa per tres horae quadrantes. Ceterum non cum iis facit, qui a Tarantulae morſu morbum deducunt, ſed pro melancholiae (*Miltz-ſucht*) ſpecie habet, argumentis autem utitur ſequentibus: Tarenti in primis frequens eſt morbus, quae urbs ſpurciſſima eſt, ut incolae durante aeſtate a pulicibus in plateis tueri ſe non poſſint, eamque ob cauſſam tibialibus ex corio factis utuntur. Veſcuntur p. 33.

 oleribus

oleribus paucis, multis vero leguminibus, ſed maxime oſtreis et mytulis, quae in mari paruo, quod vocant (*mare piccolo*) inueniuntur et per omnem Italiam celebres ſunt. His ut omni alio genere teſtaceorum et marinorum copioſiſſime ſe nutriunt. Viri omnia fere extra domum negotia obeunt feminis intra aedes concluſis, goſſypio vero praeparando, quod hic magna copia et egregie colitur, occupatis, vitam autem ſolitariam, ut Italae omnes, degentibus. Hae autem ſolae fere morbo ſubiectae ſunt, ut inter 1000, qui eo laborant vix unicus mas reperiatur; ſi autem vir hoc morbo laboret, talis erit, qui vitam ſedentariam vixit. Peregrini, infantes, ſenes tuti ſunt ab hoc morbo; Tarantulae ictum nemo unquam vidit aut ſenſit. Aliis itidem locis ubi ſunt tarantulae morbus hic incognitus eſt, ſaltandi tempus omnibus fere eſt idem, Iunio exeunte integroque Iulio. Lethalis morbus nemini, quantum conſtat, fuit. Ex his omnibus id fere ſine dubio conficitur, morbum non
p. 35. Tarantulae deberi, a qua nullus aegrorum laeſum ſe dicere poteſt, quae in campis degit, ubi viri immunes a morbo verſantur, non in aedibus, apud feminas, eodem frequentiſſime laborantes. Cum a morſu animalium venenatorum et rabidorum phaenomena prorſus ſingularia naſcuntur, non negat noſter, poſſibile eſſe, eiusmodi quid a Tarantula proficiſci, hiſtoriam vero morbi alia omnia docere adſerit. Habet igitur morbum pro atrabiliario, quod vitae genus illorum, qui maxime eo laborant conſideranti non adeo dubium videbitur.

p. 39. 5) *Turbinem vehementem* deſcribit T. TIBVRTIVS. Ex lacu *Roxen* ortus, Iul. 21, 1757 hora 11. antem.
p. 41. confinia coenobii Vreta vaſtauit. Ad nos in primis pertinet, quod refertur, intenſiſſimum, qui ante viguerat calorem poſt hoc phaenomenon in inſuetum eo anni tempore frigus abiiſſe, noctibus vero tellu-

rem

rem nebulas vehementer foetentes emiſiſſe, unde credit noſter, natas febres contagioſas catarrhales, quibus tunc 500 fere parochiae eius incolae decubuerunt, paucis tamen mortuis.

6) *Expanſionem mercurii a calore* metitur IO. LECHE. Spatia mercurii in niue circa thermometrum coagmentata et in aqua ebulliente ſtatuit in ratione 10000 : 10166. Inſtituit autem tria experimenta, quibus iunxit unicum STROEMERI, ex quibus medium ſumi poteſt. Expanſio vitri negligitur. Ita maiorem mercurio dilatationem contingere pro certo habet, quam KRAFFTIVS et de L'ISLE repererunt, ſcilicet 10000 : 10150 vel 10153. p. 42. p. 46.

7) *De lue pecorum, quae aliquot annis in Finnia graſſata eſt*, commentatur IO. HAARTMAN. Contagioſa facta eſt a paſcuis limo, cum aqua ab illis receſſerat, obductis, a foetore animalium et inſectorum mortuorum, ab aeſtatis feruore, unde humores pecoris acriores. Hinc minori copia perierunt caprae, oues, porci, vituli quam vaccae et equi, quorum etiam minor numerus, quam vaccarum; quorum animalium ſcilicet humores, vel quia iuniora ſunt, vel quia magis mouentur, minus aceſcunt, illa tutiora a morbo fuerunt. Morbus interdum intra 20 imo 10 horas morte finitur, tunc ruminatio animalis ceſſat, oculi rigent et torui ſunt, aures calent et pendent, corpus tremit, cruor per nares fluit, ſpuma cruenta et foetens ex ore exit, cadauere aperto loca nigreſcentia et gangraenoſa reperiuntur. In aliis eadem fere durantibus 3 aut 4 diebus obſeruantur, tumor vero oritur mollis, qui minus periculi habet, cum in pedibus naſcitur, magis in collo et capite, ubi mox lethifer eſt. Tumore aperto ſanies exit, aliqui, aerem ibi contentum fuiſſe, adſerunt. Cutis, ubi tumor ſederat perit. Diar- p. 47. p. 50.

 rhoea

rhoea ſi ſub initium morbi accedit, bona eſt, dummodo ut in hominibus tractetur; ita enim virus putreſcens, et bilis in animalibus his aegris omnibus
p. 52. copioſa educitur. Halitus foetet. Qui medelam praebuerunt aegris, aut pellem cadaueribus detraxerunt, morbo infecti ſunt, cuius initium fuit frigus, febrile corpus omne occupans, ſingulis veſperibus increbeſcens, paulo poſt primum febris acceſſum in variis corporis locis pruritum intumeſcentia urens et rubens ſequitur, tumores itidem limpidi, fluidum effundentes, nuce iuglande maiores, mox nigreſcentes et intra horas 24 lethiferi. Huius contagionis exempla plura obſeruata ſunt, inter alia hominis, qui veſpere ſanus decubuerat in pelle cadaueris pecoris, quod hoc morbo perierat ab ipſo detracta, mane autem mortuus inuentus. Phaenomena vero morbi contagioſi in hominibus ſimilia plane noſter pronun-
p. 53. ciat phaenomenis *ſudoris anglicani*, luem vero pecorum apprime conuenire cum ea, quae per totam fe-
p. 54. re Europam graſſata eſt et a Cl. DE SAVVAGES et Geneuenſibus medicis aliisque deſcripta eſt. Praeſeruando pecori uſui fuere remedia refrigerantia et putredini obſiſtentia, ut puluis ex nitri non depurati libra dimidia, ſalis ammoniaci unciis 2 vel $2\frac{1}{2}$ et camphorae ſemuncia; IDMANNVS lixiuium praebuit formicarum viuarum cum ouis coctarum adiecto ſale; profuit etiam eidem lixiuio ramuſculos abietum aut iuniperorum cum baccis addere, item infuſum aut tinctura picis liquidae (*Theer*), denique acida potui miſcere, oleum addere, niſi in diarrhoea, diſſuadet Auctor, quoniam bilem auget, viditque pinguia plu-
p. 55. ra citius perire. Similiter laxantia ſanis praebere nocuit, ita equus, cui praeſeruando hepar antimonii
p. 56. datum fuerat, intra duos aut tres dies periit. Aegris remedia fortiora adhibentur. Ex libra nitri non depurati, quadrante librae florum conuallariae, quadr. libr. flor. camomill. uncia cum ſemiſſe camphorae,

unciis-

unciisque duabus cum ſemiſſe ſalis ammoniaci, puluis fit, cuius uſus egregios praedicat. Adhuc melior eſt, qui ex 5 partibus nitri et una parte ſalis cornu cerui commiſcetur. Solent animalium morbo defunctorum hepar, lien et pulmones, combuſta pecori aegro praebere, id probat Noſter, ob ſal volatile in cinere hoc contentum, ſuadet vero, ut cadauera integra comburantur, tum, quia ſic plus cineris obtinetur, tum quia aer purificaretur et putreſcentium cadauerum noxa euitaretur. Oleum terebinthinae et pleroſque pulueres alios aegris animalibus praeberi ſolitos improbat, quia calorem putredinemque augent. Idem de remediis adſerit, quae bili obſunt, ut oſtrearum et cochlearum teſtis, quas de SAVVAGES commendat. Tumores aperire, aut ad ſanguinis profluxum ſcarificare, vulneri argillam, pulueri radicis britannicae mixtam, imponere utile fuit. Prodeſt etiam ſtabula ſulphure, puluere pyrio, aceto fumigare.

p. 58. p. 59.

8) *De hortis irrigandis* agit IO. LECHE. Cauſſam, cur plerumque parum proſit hortos irrigare, in eo collocat, quod irrigatio, manu hominum peragenda, plerumque non ſufficiat. Id probat, quantitatem aquae, quae in data quantitate humi hortenſis a pluuia ſatis madidae continetur, menſurans, hincque oſtendens, ad humum horti mediocris aeque madefaciendam operam hominum vix ſufficere. Suadet igitur, ut ſi poſſit operariorum induſtria quarta v. g. pars horti plene madefieri, hortus ſic in partes diuidatur, et quaeuis quarta quouis veſpere, quantum ſufficit, irrigetur, quod illi ad octo dies etiam ſicciſſimo tempore ſatis fore exiſtimat.

p. 60.

9) *De variis, quae academiae perſcripta ſunt*, in compendio refertur: 1) In lacu cui lucii inditi fuerunt, obſeruaſſe quidam ſibi viſus eſt, reliquos

p. 63.

 piſces,

piſces, pauciores quidem, maiores tamen fuiſſe,
p. 65. quam ante luciorum ſocietatem. 2) Ex lolio (*treſpe*) ſecale non fieri, nec contrarium contingere; operam dedit Cl. BARKMANN, ut ruricolas, qui alia omnia ſibi perſuadent, experimento ſollicite inſtituto con-
p. 66. uinceret. 3) OLAVS BERG MAONSON de laminis ferreis, quae aedibus tegendis adhibentur, obſeruat, vernicem iis ſuper inducendam eſſe, antequam coniungantur, quo et iuncturae vernice obducantur, quae alias orbae illa manent ſicque ab humore corrumpuntur. Deinde cum poſt aliquot annos noua vernix inducenda eſt, et ut haereat, cruſta impuritatum, quae in laminis conſedit deradenda, fieri id debet primo vere; poſtquam enim per aliquot ſeptimanas tectum
p. 67. incaluit, minus feliciter deraſio contingit. 4) Loca paludoſa muſco plena, quomodo optime in prata
p. 68. commutentur, docetur. 5) Arbores, quercus in primis, ut vere, dum inſiſtunt adhuc terrae decorticentur ſuadet; ita cortex optimus uſui cerdonum habetur, arbor vero uno alteroùe anno adhuc radicibus adhaerens exſiccatur, et aedificii materies aptiſſima fit. 6) Quos praemiis academia decorauerit, tandem refertur.

Trimeſtre Secundum.

p. 71. 1) Cl. WARGENTIN *parallaxin lunae* ex ſuis obſeruationibus Holmienſibus, cum iis, quas DE LA CAILLES in capite bonae ſpei inſtituerat, collatis, eruit.

p. 90. 2) *Obſeruationes de corpore lignoſo et parenchymate pomorum edit* CAR. FR. NORDENSCHÖLD. Infra partem, qua arbor quouis anno altius creſcit 4. 5. aut 6 rami circumcirca collocantur, horum inferiores paulatim exſiccati decidunt, loca vero, ubi arbori inſerebantur, cortice et annulis ex vaſis, quae ſuccum

cum ferunt, compoſitis, teguntur. Vidit autem ad quamuis talem ſeriem locorum, in qua rami conſtiterant, qui deciderant, tot circulos vaſorum ſucciferorum in corpus lignoſum mutatos, quot anni a na- p. 92.
tis his ramorum ſeriebus praeterfluxerant; hi annuli, craſſitie maiore et colore flauo a parenchymate diſtinguebantur. Hinc infert, ſuccum per ramos virides cuiusuis anni circulari, partim in auras abire, et in vaſis ſucciferis eo pertinentibus moueri. Fiſſis arboribus vidit, ramos anni cuiusuis arborem intrare, naſcique in anni correſpondentis annulis vaſorum ſucciferorum, ubi verſus ſuperiora ramus maior reperiebatur, qui plures annos durauerat, ipſis vaſis ſucciferis eius prope arborem in corpus lignoſum abeuntibus, ibi ramus hic ea profunditate arbori inſerebatur, ut numerus annulorum ſucciferorum inſertionem tegens, aetati rami reſponderet. Hinc intel- p. 93.
ligitur in arbore, ubi exterius nihil ramorum oſtendit, ſi ſecatur, veſtigia ramorum reperiri poſſe, parenchymate et cortice obducta. Igitur denſius et craſſius corpus lignoſum erit arboribus, quorum rami annui cito deciderunt, antequam inſertionibus ſuis profundius in parenchyma penetrauerint. Huic fini denſae in ſyluis relinquendae ſunt, ut rami inferiores, ſole, libero aere, ſpatio ſe explicandi deſtituti, mox pereant. Nec inutile eſſet ipſos hos ramos caedere.

3) *De hirudinum uſu medico* diſſerit Cl. NICGIS- p. 96.
LER. Experientia, ut ait, compertum eſt, nihil venenati illis ineſſe. Optima uſui medico eſt *hirudo* quam *medicinalem* vocat, *depreſſa cinereo nigra*, *lineis octo dorſalibus flauis ſubtus flauo variegata.* Hac deficiente utuntur etiam *Sanguiſuga depreſſiuſcula* (*vel potius rotunda*) *nigra*, *margine ſubtusque flauo notata:* ſed ea non ſugit, ſi diutius 24 horis in vaſe ſeruata fuerit, igitur ſtatim ad uſum adhibenda eſt. Tempus maxime idoneum hirudinibus quaerendis

eſt

eſt, cum vere ineunte piſces coeunt aut Iunio et Iulio, tempeſtate calida et aere quieto. Borealis Sueciae incolae olim frequentius hirudinibus uſi ſunt, illasque ſcarificationi praetulerunt, quod minori dolore adficerent, uulnus autem, quod efficiunt facilius ſanaretur. Iam parcior uſus eſt, hirudinibus rarioribus, nam ſuperſtitio, neſcio quae, illas, quae ſuxere,
p. 102. comburi iubet: Ceterum utiliter illas adhibent in morbis omnibus a ſanguine corrupto, acri, ſalſo natis, ſcorbuticis, vulneribus putridis, cancro, ipſis venereis. Copia vero ſatis magna hirudinum utendum cenſent, numero ad 30 adſcendente, neque illas prope uulnera inflammata aut venas maiores collocant. In dorſi, capitis, lumborum, artuum doloribus illas applicant loco, ubi dolor vehementiſſimus eſt, nec non in ſcabie. In odontalgia ad gingiuas, ſub lingua ad maxillas collocant. Sunt, qui pede in lacu, ubi habitant, collocato, tot quot accedunt, admittunt, donec ob ſanguinem amiſſum in animi deliquium incidant, ita vero a grauiſſimis pedum doloribus liberentur. Id igitur experientia docuit, nimium parua copia adhibitas hirudines irritare magis morbos, ſed debita multitudine applicatas egregie prodeſſe. Patet, medicum in corpore humoribusque praeparandis officio ſuo non deeſſe debere. Addit aliorum de hirudinum uſu obſeruationes ex libris medicorum collectas.

p. 108. 4) *Parochiam Lajhela in Bothnia orientali* deſcribit EPHRAIM OTTO RVNEBERG, multa, quae ad arithmeticam, politicam de viribus regionis alicuius computandis pertinent, proferens.

p. 163. 5) *Acum magneticam electricitate turbari* monet ANDR. WIKSTRÖM, vitro ſcilicet, quo tegitur, incaleſcente aut fricato (id niſi fallimur, iam ELLIS in Tranſ. Phil. obſeruauit) aut cera ſigillatoria admota-

6) *Pueri*

6) *Pueri manum monſtroſe magnam* deſcribit Cl. LAVR. GVMAELIVS. Smolandus eſt, aet. 16 vel 17; ab ipſa infantia aegrotauit, deinde ſcabie mox inquinatus, mox ſanatus; poſt graues oculorum dolores oculi membrana nigra obducti ſunt, ut iam ductore opus habeat. Anno 1750 manus ſiniſtra intumuit cum dolore et ardore vehementiſſimo, quod quidem ultra annum durauit, donec abſoluta fuerit deformitas manus, de qua dicemus, iam doloris nihil ſentit, niſi quod pondere manus grauetur. Tumet enim manus cum digitis inſigniter, plenaque eſt cauitatum et eminentiarum; ungues fere omnes deciderunt, cutis rugoſa eſt, et craſſa, in palma ei ſimilis, quae ſub pedum plantis reperitur, magis tamen albicans extremum pollicis ab extremo digiti auricularis diſtat digitis $8\frac{3}{4}$, craſſities ad carpum, quouſque tumor progreditur, dig. $8\frac{1}{4}$, longitudo pollicis $2\frac{1}{2}$ perimeter 5 dig. longitudo trium digitor. medior. $3\frac{1}{2}$, perimeter 6 uſque $6\frac{3}{4}$ dig auricularis longitudo $2\frac{1}{2}$ periph. $4\frac{1}{2}$ dig. Iam dextra manus dolet et intumeſcit. p. 164.

Trimeſtre tertium.

1) Cl. P. WARGENTIN *de longitudine*, in primis de modis illam in mari reperiundi, diſſerit. p. 167.

2) *Dentes et oſſa infantis* in meſenterio puellae 15 annor. reperta deſcribit HERMAN SCHÜTZER. Virgo honeſta et probe educata, ſana, niſi, quod thoracem ob dolores dorſi et abdominis, quos ipſi creabat, minus toleraret, ciſtam illam lapidibus grauem, qua lintea lota cylindris ligneis circumuoluta premunt, ſola agitans, dum propulſa ciſta ad alteram partem inclinauit, retinere corpore iniecto voluit. Hinc ſtatim cruorem per aluum eiecit, in morbum incidit, quo mortua eſt. In ſectione haec obſerua- p. 178.

ta

p. 180. ta ſunt, primum aqua ex abdomine inſtrumento *trois quart* educta eſt, cuius cannulam tandem obturauit crinis humanus longitudinis ulnae dimidiae, qui forcipulo eductus attentos fecit, ad abdomen accuratius conſiderandum. Apparuit vero omentum magnum, craſſum, omne abdomen inueſtiens, ad peluim et partes laterales eius deſcendens, plenum particularum induratarum, quarum aliquae iam intumeſcebant, infra medium umbilici omentum longitudine quartae partis ulnae transuerſim erat diſruptum, ſine dubio ab illa, quam diximus, preſſione, peritonaeum plenum etiam glandulis induratis; cauitas ſub omento plena pure craſſo, putrido, quo ablato rurſus excreſcentiae durae plures apparuerunt, meſenterio, meſocolo, aliis partibus vicinis adhaerentes, aliquae iam in tumores abierant; maxima et duriſſima in meſenterio reperiebatur, magnitudine infantis caput aequans, ſupra duas ultimas dorſi et duas ſupremas lumborum vertebras poſitum ad inteſtinum colon verſus dextram partem inclinans, huius tumoris dimidium ſuperius inuoluebatur membrana, quatuor lineas craſſa ſaccum efficiente, qui aquam eductam continuerat. Saccus hic nullibi adhaerebat, niſi excreſcentiae. Eo ſublato inter ſaccum et peritonaeum reperti 5 aut 6 crines eiusdem cum prioribus longitudinis nullibi adhaerentes. Excreſcentiae pars, quam ſaccus circumuoluerat, colore et conſiſtentia hepar imitabatur, reliquum album erat et denſius. Illa diſſecta, reperiebantur in ea dentes infantis bini anteriores ſuperior et inferior, octo molares, duo canini maiores conſueta magnitudine, imo fere eos aequantes, quos habent infantes, dum primo dentes mutant. Ibidem reperta maxilla ſuperior cum alueolis ſuis dentium, inſidentibusque duobus inciſiuis, denique oſſicula, quibus locus ſuus ob figurae mutationem, quam paſſa erant, adſignari non potuit, unum vero pars oſſis temporalis videbatur. Figu-

rae

rae oſſium depictae ſiſtuntur. Labia pudendorum reperta ſunt dura, rotunda, firma, hymenis apertura adeo parua, ut vix apicem digiti minimi admitteret. Vterus durus, exiguus, habitu naturali. Tubae fallopianae libere fluctuantes et flatui peruiae; ouaria exigua et ſana; ventriculus colore et ſubſtantia naturali, niſi paulo compreſſior; forte a preſſura, quam diximus, inteſtina tenuia verſus ventriculum et coſtas ſpurias protruſa erant, ut in grauidis, colore viridi et nigro quaſi gangraenoſa; inteſtinum coecum et colon ad dextram a fecibus expanſum, itidem colore nigreſcente; hepar colore et conſiſtentia naturali; in veſicula fellis ſat bilis; glandula pancreas parua et habitus aegroti, renum color et ſubſtantia bona. p. 182.

Phaenomena explicaturus multa de conceptione extraordinaria profert, inter quae ipſe cum patre ſuo vidit puellam $14\frac{1}{2}$ annor. cuius hymen vix calamum ſcriptorium admittebat, ea tamen iuſto tempore puerum edidit, hic autem conceptionem fuiſſe negat, nam puella 27 Iunii diſſecta, tribus ſeptimanis ante feſtum natiuitatis Chriſti anni praecedentis prima vice menſtruata fuerat, igitur cum, antequam menſtrua fluxerint, non ſoleant feminae in frigidis regionibus concipere, foetum oportuiſſet menſium ſex eſſe. Contradicunt etiam crinium longitudo, dentium conditio. Noſter foetum in foetu ſupponit, primoque rem exemplis pluribus credibilem reddit; deinde hypotheſes duas affert. HEDIN exiſtimat, animalculum ſpermaticum aliud animalculum intraſſe, ibique utcunque euolutum fuiſſe; Noſtro veriſimilius videtur, ouula duo ſimul foecundata fuiſſe, quorum alterum utero adhaeſerit, alterum huius ipſius ouuli parti cuidam et quidem meſenterio; ita vero imperfecte nutritum tardiſſime adoleuit, ut demum 15 annis ad aliqualem perfectionem peruenerit. Simul ſorori coaeuae morbum, quo periit, creauit, ſanguinis p. 186. p. 191. p. 192. p. 193.

guinis circulum, motum inteſtinorum etc. turbando. Subiicitur figurarum explicatio.

p. 194. 3) *Theoremata de integrationibus* formularum quarundam differentialium edit T. MALLET.

p. 202. 4) NICOLAVS L. B. PALMSTIERNA Regni Conſiliar. edit conſiliarii rerum metallicar. SÖDERHIELM experimenta de lignorum in carbones commutandorum ſtruibus (*Kohlenmeiler*). Eas, in quibus ligna horizontaliter ponuntur, illis praefert, quae coni figura adſurgunt.

p. 216. 5) Caſum ſingularem retentionis urinae enarrat et explicare tentat ROLANDVS MARTIN. Vir octuagenarius, per totam ſuam vitam ſanus, Maii 7 infeſtari coepit ab urinae retentione, ſed absque ullis, quae eam comitari ſolent, ſymptomatibus, ullis doloribus, nequidem tunc, cum ſemel, antequam retentio coepiſſet, urinam ſanguis ſequebatur. Sola eleuatio veſicae ſupra os pubis, malum prodebat;
p. 218. catheterem Noſter ultra bulbum et iſthmum urethrae intruſit, ſed in ipſo collo orificioque veſicae ſubſi-
p. 220. ſtendum fuit. SCHÜTZERVS etiam impedimentum, digiti transuerſi circiter ſpatio a bulbo et iſthmo urethrae ſenſit, ſanguine multo prodeunte; cerei duobus diebus adhibiti digitos duos transuerſos progreſſi ſunt, tumque SCHÜTZERVS catheterem per bulbum et iſthmum urethrae ad collum veſicae protruſit. Nihil autem urinae exiit, eleuatio ſupra os pubis creuit absque ullo dolore. Mercurii iniectio urinam nullam elicuit; Aeger de quadam urinae acrimonia in aliis, quam debitis eius viis conqueſtus eſt; dimidiam diem, ante quam moriretur, rationis uſum perdidit, nulla vero lethargia acceſſit, ſed ceterum
p. 221. quietus nocte intra 15 et 16 Maii obiit. Aperto cadauere patuit veſica expanſa non maxime membrano-

ſa,

ſa, ut ſolet, ſed fibris carneis diſtinctiſſime apparentibus; aqua, ſpongiae ope exhauſta, et veſica cum principio urethrae ab angulo oſſis pubis ſeparata, pene autem ante bulbum reſecto, veſica deprimebatur, et inciſio, in arcu anteriore veſicae facta, per ipſum orificium continuabatur. Tunc ſequentia apparuerunt: locus, ubi glandula proſtata ſita eſt, tumore duro, ut videbatur, ſcirrhoſo circumdatus erat, qui ſupra glandulae magnitudinem naturalem adeo excreuerat, ut in ipſum cauum verticis veſicae inferioris intrauerit, ibi ſpatium omne infra ambos ſinus ure- p. 222
therum occupans; figura cordiformis, ſitusque velut proſtatae, ſupra ſegmentum anterius et ſuperius orificii urethrae expanſae, ipſam proſtatam ita auctam eſſe, fere perſuadebant. Sed diſſecta maſſa ubique ſubſtantiam uniformem, lardo tenaci ſimilem, exhibuit, nihil glanduloſi. Strati fibrarum carnearum, quod muſculum proſtaticum efficit, ob tumoris extenſionem, nullum omnino indicium. Alia mortis cauſſa reperiebatur nulla, renibus et uretheribus accurate examinatis, tunica neruea in ſuperficie veſicae interiore omnino absque plicis, ob inſignem, ab aqua natam, expanſionem.

Iam ad explicanda haec phaenomena, in primis p. 223.
retentionis ſubito ortae, nullisque doloribus comitatae, progreditur. Supponit ſcirrhum quendam, aut aliam excreſcentiam in puncto quodam poſteriore et inferiore orificii veſicae natam, et poſt auctam. Inde a primo huius rei initio ſphincter facultatem perdidit per totum ambitum ſe contrahendi, plurimae tamen fibrarum eius egerunt et effecerunt, ut maxi- p. 225.
ma pars ambitus orificii, quam excreſcentia nondum occupauerat, parti, ab excreſcentia occupatae, applicaretur, unde velut punctum fixum, ad quod traheretur, habuit, ambitusque orificii aeque firmiter, ac ante, occluſus eſt. Aucta vero excreſcentia, arctius occluſum eſt orificium, ut ſegmento ſphincteris

nondum occupato minus reſidui, quod occluderet, relinqueretur. Equidem excreſcentia in parte ſphincteris occupata alternam contractionem et relaxationem fibrarum, quae ad retinendam vel excernendam urinam pertinent, impediit, ſegmentum tamen ſphincteris nondum occupatum eo magis ſuffecit orificio occludendo, quo minor eius pars ob auctam excreſcentiam aperta manſit. Quamdiu igitur aperta orificii pars exitum adhuc urinae praebuit, tamdiu nihil incommodi ſenſit, etſi forte nunquam urina omnis expulſa fuerit, ſed, quod eis reſtabat, veſicam magis magisque ampliauerit, donec contigerit, ut magnitudo excreſcentiae ſphincteri vim omnem ademerit, ſimul orificium penitus occluſerit. Talem morbi ſtatum fuiſſe inde apparet, quia ſphincter ne in cadauere quidem cedebat, ut quidpiam urinae exire poſſet, quod tamen regione hypogaſtrica compreſſa contingit iis, qui retentione urinae moriuntur.
p. 226. Antagoniſta vero ſphincteris, detruſor urinae aliquid etiam huc contulit. Aucta enim excreſcentia, orificioque veſicae magis occluſo, contractio tamen ſphincteri adhuc ſuper fuit, eaque fere facilior, fortior et conſtantior. Ita vero urina rarius emiſſa eſt, ſicque maiori poſt quamuis emiſſionem in veſica collecta copia, inde veſica expanſa, quod absque expanſione fibrarum veſicam expandentium contingere non potuit. Interea detruſor urinae ex fibris longitudinalibus earum, quae veſicam circumdant, conſtans, minus validus euaſit ad veſicam contrahendam ſphincteremque vincendum. Ab eo autem euacuatio urinae proficiſcitur, quod ex NICHOLTIO ſumit Noſter, eaque occaſione quibusdam Ill. DE HALLER, contra NICHOLTII theoriam monitis, ſatisfacere conatur. Plenariam retentionem urinae ex obſtructione, de qua diximus, tonoque omni fibris expanſione ademto explicat; dolores vero nullos adfuiſſe credit, quoniam ſenſim ſenſimque malum creuit, ut velut adſueta illi natura

natura nihil fere ſenſerit, plane ut in praeparatione ad apparatum altum ſuadetur, ut aeger, retinendo, quantum fieri poteſt, urinam, veſicam ampliorem reddat.

6) *Meteorologicas obſeruationes Vpſalienſes anni* 1756 in compendio exhibet B. FERNER. p. 231.

Trimeſtre quartum.

1) Cl. WARGENTIN commendationem *de longitudine*, in mari reperiunda, continuat. p. 239.

2) *Exploſionem experimenti Leidenſis aliarum materiarum ope, quam vitri et porcellanae obtinere* docet IO. CAR. WILKE. Primo monet, ſufficere, ut vitrum, quod colligere electricam vim debet, tabulae formam habeat, utrinque metallo tenui obductae. Deinde, ut intelligeret, conferat ne huc quidpiam vel polita tabulae vitreae ſuperficies, vel interna partium ſtructura, tabulam, qualis ex officina vitriaria rudis prodit, item politam, detrita politura, adhibuit; vitri etiam comminuti, nec non ſulphuris comminuti ſtratis ſolidae tabulae loco uſus eſt, ſemperque ſuccuſſionem Leidenſem obtinuit. Iam igitur adhibuit tabulas ex ſulphure ſolido, lacca, pice, cera, chartae folia viginti quatuor, oleum, vaſi priſmatico contentum, omnia laminis tenuibus metallicis aut aſſeribus metallo quo ſpeculorum poſticae ſuperficies teguntur, obductis, incumbentia ſimiliterque tecta, reliquo apparatu talis, qualis adhiberi ſolet, cum lagenis vitreis utuntur. Aerem ipſum aſſeribus ita obductis incluſit, ubique ſuccuſſionem Leidenſem expertus etſi vi diuerſa. Habent vero corporum horum, ita vi electrica repletorum, oppoſitae ſuperficies oppoſitas electricitates, poſitiuam et negatiuam; unde contra inferre licet, quae materiae ita tractatae p. 250. p. 269.

ac ſi repleri vi electrica deberent, oppoſitas electricitates oſtendunt, eas ita repleri poſſe, ſuccuſſionemque edituras, dummodo ſatis magna copia haberi
p. 278. queant. Haec noſter experimentis oppoſitae electricitatis nixus collegit, de filis, electro, colophonio etc. ſumitque hinc, omnia corpora per ſe electrica, repletioni huic eſſe idonea. Ceterum hic plura noua et egregia, ad electricitatem pertinentia, ab Auctore traduntur, quae in breuitatem contrahi non poſſunt.

p. 282. 3) *Experimenta, cum gelatinis mineralibus vitrisque ſolubilibus inſtituta, quibus lapidis genus ſingulare occaſionem dedit*, enarrat ANTON V. SVAB. Lapidem *Gaesſten* appellant. Nullibi noſter vidit, niſi in fodinis auri, quas *Adelfors Gull - Grufvor* vocant, tractuque circumiacente. Lamellatim inter rimas lapidis cornei reperitur, nec non in propriis venulis,
p. 283. tunc plerumque cryſtallis calcariis permixtus. Colore eſt pallide rubeo, digitis in grana tenuia friabilis, in igne aperto colorem in griſeum mutat, quam primum autem candet, pellucidas, albo coeruleas, phoſphoreſcentes guttas exſudat, quae per aliquod tempus, boracis ad modum ſpumeſcunt, poſt coagulantur, etiam ſecunda vice difficilius multo liqueſcunt. Inde nomen lapidi *ſpumescentis* (*Gaesſten*). Conuenit autem ille in his, ut in aliis, cum Zeolite, quem deſcripſit CRONSTEDT in Comm. Ac. Sc. Suec. 1756. Trimeſtri II. Lapidi, in puluerem comminuto, aquam fortem ſuperfudit Noſter, ut ſolueret; nata eſt fortis ebullitio, deinde omnia rurſus quieta. Dimidiam horae poſt puluis ad fundum delapſus eſt, aqua fortis autem rubeſcens, ſemipellucida, carneoli ad modum coagulata, ut gelatinam referret, vitrum autem inuerti, imo ſuccuti inuerſum poſſet, nullo
p. 285. motu, niſi tremore quodam, naſcente. Similia cum aliis menſtruis ſucceſſerunt, optime vero cum aqua forti. Haec ad lagenas vitreas applicat, quae ab acidis,

dis ſoluuntur, infertque, naſci hoc vitium a lapidum aut arenarum generibus quibusdam maſſae, ex qua vitra conficiuntur, immixtis. De quo ut certior fie- p. 286.
ret, varias variorum foſſilium mixturas examinauit, ex iis vero, quae reperit, haec deducit: vitrum et p. 295.
alia, igne vehementi colliquata, quorum magnam partem calx efficit, ab acidis mineralibus corroduntur. Soluuntur, calce cum aliqua reliquae materiae parte velut educta, et cum acido in gelatinam coeunte. Id vero ſimili plane modo calci ex omnibus tribus naturae regnis contingit. Huic vitri vitio optime medentur quarzum et ſilex, quibus efficitur, ut minor acidorum in illud poteſtas ſit. Filicis cinis maxime p. 296.
idoneum eſt maſſae vitro faciendo ingrediens, ut qui facillime fluat et minime ab acidis corrodatur. DV FAY Com. Ac. Sc. Gall. 1727 cauſſam, cur vitra quaedam facilius ab acidis ſoluantur, in cineribus ligni viridis quaeſiuit, noſtro autem veroſimilius videtur, vitium cineris terrae calcariae tribuendum eſſe. LINNAEI ſuſpicionem, calcem et cretam ſilicis cornei, quo in bombardis minoribus utimur (*Flintenſtein*), principia eſſe, experimentis ſuis confirmari, ait Noſter, quoniam gelatinae, quas calx et creta intrauerant, ſilici illi quam ſimillimae fuerint, duritie ſola fere cedentes, aliquas tamen eo ſcintillas elicuerunt. p. 299.

4) *Modus inſignem copiam pecorum exigua foeni* p. 302.
copia per hiemem nutriendi docetur a LORNS WOLT ROTHOF. Artificium, a ruſtico quodam Laurentio Andreae filio (*Lars Anderſon*) inſigni cum fructu adhibitum, ut foeno intermiſceantur plures aliae herbae, paluſtres in primis, quae quod ſiccae et coriaceae ſint, nihil plerumque ad pecus nutriendum conferre poſſe, iudicantur. Tales ſunt erica vulgaris et tetralix, eriophora, empetrum nigrum, vaccinia, myrica gale, item arundo, ſchoenus, arborum folia cet. Semine foeni et erica primum allicit ANDERSON

 pecus

pecus, adſuefacitque ad rigidum hoc pabulum guſtandum, aquam praebet, qualis in ſtabulo incaleſcere paullulum potuit, eſt autem potus copioſus magni momenti ad ſiccum rigidumque hoc pabulum ſuperandum. Pecora eius optime ſe habent, boues, oues, caprae, plurisque aeſtimantur quam vicinorum.

p. 307. 5) *Meteorologicas obſeruationes, in itinere verſus Spitzbergam captas,* edit ANTON ROLANDSON MARTIN Nauis, balaenas venatura, noſtrum eo detulit. Thermometro uſus eſt inter glaciei et aquae bullientis puncta 100 gradus habente. Etſi inde a 5 Maii ſolem perpetuo ſupra horizontem habuerint, frigus tamen ſemper ingens fuit. Calor maximus intra latitudines graduum 76 et 78 Ian. 28. 29 graduum octo ſupra punctum glaciale. Frigidiſſimis diebus magna pars nautarum cephalalgia vehemente infeſtata eſt, apud aliquos in haemorrhagiam narium
p. 312. deſinente. Calor aquae marinae plerumque graduum 2 ſupra punctum glaciale. Intra 79, 80 gradum latitud. inſulas quasdam Spitzbergenſes conſcendit Iulii 1. milliari uno alteroue a continenti remotas. Ibi tunc initium veris. Anas molliſſima, cuius plumis (*eyderdunen*) delicatiores utuntur, tunc ouis incubabat. Herbas reperit ſaxifragam oppoſiti foliam, item ceſpitoſam, cochleariam Groenlandicam et gramina quaedam, nullas tamen plantas florentes. Montes compoſiti ex lapide ſciſſili, margini impoſito, argillae ad modum, molliſſimo. Ad littora creſcebat fucus veſiculoſus. Eiecta in illa iacebat Vlua latiſſima. Aer plerumque griſeus, hiemali facie nebuloſus, etiam cum hic laetiſſima tempeſtas eſt. Nubes non denſe pendent et opacae, ſed ex nebulis diſper-
p. 314. ſis parum eleuatis conſtant. Nubes, conſuetis ſimiles, ubi nautae vident, ſciunt, Groenlandicum clima ſe reliquiſſe. Vapores, in columnas aſcendentes, qualis

aurorae

aurorae borealis facies eſt, Noſter vidit, boreales auroras ipſas ob diem continuam nullas.

II.

La Phyſique des arbres; où il eſt traité de l'anatomie des plantes et de l'économie végétale: pour ſervir d'introduction au Traité complet des Bois et des Forêts: Avec une Diſſertation ſur l'utilité des Méthodes de Botanique; et une Explication des termes propres à cette Science, et qui ſont en uſage pour l'explication des Bois et des Forêts. Par M. DVHAMEL DV MONCEAV, de l'Acad. Royale des Sciences; de la Soc. Roy. de Londres; des Academies de Palerme et de Beſançon; Honoraire de la Soc. de Edimbourg et de l'Acad. de Marine; Inſpecteur Général de la Marine. Ouvrage enrichi de Figures en taille-douce. A Paris, chez H. L. Guerin et L. F. Delatour. MDCCLVIII. 4. Pars I. 2 Alph. 3 pl. 28 tab. aeri inciſ. Pars II. 2 Alph. 9 pl. 22 tab.

i. e.

Phyſica arborum, ſeu tractatus de anatome plantarum et oeconomia vegetabili. Auctore DVHAMEL DV MONCEAV. etc.

Cl. DVHAMEL in praefatione, libris de arboribus et fruticibus praemiſſa, pollicitus erat *, de Phyſica vegetabilium in ſingulari volumine exponere, quod lectoribus operis ſui de lignis ac ſiluis pro introductione poſſet inſeruire. Datam fidem hoc, quod

 in

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. p. 641.

in manibus habemus, volumine ita liberauit, ut ab omnibus Botanicae et Phyſicae ſtudioſis ſummam iniiſſe videatur gratiam.

Diuiſum eſt hoc volumen in duas partes, quarum prima tres libros, altera duos complectitur. Hos libros praecedit praefatio, in qua Cl. Auctor primo magnam ſtudii botanici utilitatem copioſe et eleganter laudat, ac deinde argumenta librorum huius voluminis, nec non viam ac rationem, quam in eis tractandis adhibuit, breuiter exponit.

Praemiſſa etiam eſt libris ſequentibus *diſſertatio de methodis botanicis*, quae 36 paginarum ſpatium explet. Huius diſſertationis initio Cl. DVHAMEL exemplo praeſertim coniferarum et umbelliferarum plantarum docet, dari familias plantarum naturales, monetque, methodum naturalem botanicam, dummodo ea perfecta haberi poſſet, optimam fore omnium, interea autem in condenda methodo artificiali ſemper allaborandum nobis eſſe, ut ea ad methodum naturalem, quam prope fieri poſſit, accedat Poſthaec diſtinctius explicat, quid ſit methodus artificialis plantas definiendi, et nomenclaturae botanicae leges tradit praecipuas; ubi ſimul diſputat contra receptam a multis Botanicis legem, qua ſpecies a varietatibus ſic diſtingui volunt, ut plantae indiuiduae, quae per ſemina ſua ſemet non multiplicent, non ſpeciem ſed varietatem conſtituere dicantur. Tandem diuerſas methodos botanicas a MORISSONO, RAIO, TOVRNEFORTIO, MAGNOLIO et LINNAEO inuentas dilucide deſcribit, et ſingularum ſpecimina in generibus ſiue ſuperioribus ſiue inferioribus, quae arbores ac frutices continent, exhibet. Inter has methodos *Tournefortianam* non obſcure ceteris praefert, quanquam et *Linnaeanam* multis laudibus proſequitur.

Accedimus nunc ad enarrationem eorum, quae in quinque libris, in quos hoc volumen partitum eſt,

eſt, traduntur, in qua ſi non ita verſabimur, ut de ſingulis argumentis egregias doctiſſimi Auctoris annotationes pro dignitate exponamus, aequi lectores facile nos ipſa earum multitudine excuſatos habebunt. In uniuerſum autem indicandum nobis eſt, conſilium Auctoris fuiſſe, ut et ſingularum partium arborum anatomiam, et earum uſum in oeconomia vegetationis doceret.

Liber I. quinque capita habet, quorum *primum* de trunco arborum, *ſecundum* de cortice, *tertium* de ligno et medulla, *quartum* de fibris et vaſis, nec non diuerſis liquoribus, in cortice vel ligno reperiundis, *quintum* de radicibus et ramis agit. In cortice tres p. 6.
partes diſtinguit Cl. DVHAMEL, quas cuticulam, inuolucrum celluloſum, et ſtrata corticalia appellat. De cuticula notat, eam in plures ſaepe membranas tenuiſſimas diuidi poſſe, et extenſionis ad certum uſque terminum capacem eſſe; ſed de formatione, regeneratione, et textura eius nihil habet dicere, quod ſibi ſatis faciat. *Inuolucrum celluloſum* appellat p. 15.
ſubſtantiam illam fere ſemper ſucculentam et herbaceam, ac ſaepius obſcure viridem, quae ſub cuticula reperitur; hanc ex filamentis ſubtiliſſimis permultis, iuxta omnes directiones intricatis, conſtare, et medullari ſubſtantiae ſimilem eſſe, microſcopium docuit. Quod autem ſaepius colorem viridem habeat, qui in medulla non apparet, id a lumine ſolis eſſe autumat. Inuolucrum celluloſum dicit hanc ſubſtantiam, quia extenſio ſeu productio telae celluloſae videtur, et non ſolum ramos, ſed et radices ac nonnunquam fructus ipſos inuoluit et veſtit. De uſu eius coniicit, exſiccationem partium, quas contegit, ea impediri, materiam tranſpirabilem ſecerni, et cuticulam laeſam reparari. *Strata corticalia* vocat, p. 17.
quidquid inter inuolucrum celluloſum et lignum interiacet ſtratorum in modum, et GREWIO *liber* dici-

 tur.

tur. Singula ſtrata e faſciculis fibrarum longitudinalium conſtant, qui plerumque rete formant, quod Auctor *plexum corticalem* dicit. Fibras illas pro vaſis
p. 19. lymphaticis habet. Areolae in retibus ſtratorum interiorum, eo minores deprehenduntur, quo ſtratum propius eſt ligno, adeo ut in ſtrato intimo areo-
p. 22. lae ad ſenſum euaneſcant. Ex areolis ſingulorum ſtratorum contiguorum fiunt alueoli, infundibulorum quaſi figuram habentes, et tela cellulari impleti. Hanc telam, quam GREWIVS parenchyma, MALPIGHIVS ſeriem vel contextum utriculorum vocauit, Auctor ex propriis obſeruationibus deſcribens, fatetur, quanquam ea granulata appareat, ſe tamen
p. 25. veſiculas vel utriculos MALPIGHII in ea ſatis diſtincte videre non potuiſſe, ſed ſibi eam ita apparuiſſe, ut GREWIO, nempe tanquam ſpumam vini fermentantis. Veram telae celluloſae ſtructuram, nondum ſatis cognitam, neque forſan tam ſimplicem, quam vulgo creditur, neque in omnibus arboribus eandem eſſe, monet. Praeter telam cellularem ac vaſa lymphatica corticis *vaſa* etiam *propria*, ſed minus copioſa, in cortice agnoſcit, quorum deſcriptionem ex MARIOTTI *Tentamine de vegetatione plantarum* huic
p. 27. capiti inſeruit. Diſcernuntur ea a reliquis vaſis 1) magnitudine, quae tanta eſt, ut plerumque liquor, ex iis diſſectis erumpens, facile oculis percipiatur; 2) colore, qui a colore viridi vaſorum lymphaticorum plerumque differt; 3) liquore, quem continent, et qui in diuerſis plantis diuerſum colorem atque indolem habet; nam e. gr. albus eſt in ficu, ruber in cinara, luteus in chelidonio, gummoſus in ceraſo, reſinoſus in pino.

p. 38. In medulla, quae a tela cellulari non differre videtur, fibras etiam longitudinales dari, probat Cl. DVHAMEL exemplo medullae ſambuci, in cuius ramis vetulis fibrae illae colore ruſo ſe diſtinguunt a medulla alba. Vaſa etiam propria, et lymphatica medullae

medullae non deeſſe coniicit; haec, quia ubique obuia ſunt, illa, quoniam terebinthina ex pini et abietis medulla exit. Ceterum medullam non niſi telam p. 40. celluloſam dilatatam eſſe autumat, eiusque formationem ſic mente concipit. Quum primum ſurculus e gemma prodit, totus fere eſt tela celluloſa, admodum dilatata, et ſuccis pleniſſima (nam lignoſae eius fibrae valde ſubtiles ſunt, et cortex oppido tenuis eſt): Quo magis autem ſtrata lignoſa indureſcunt, eo minus ſucculenta fit tela celluloſa: Quare quando ſucco fere omni deſtituitur, ſub forma ſubſtantiae rarae et leuis appareat neceſſe eſt.

In ligno non ſolum ea omnia rurſus deprehenduntur, quae in cortice obſeruantur (quanqnam magis compacta et rigida); ſed praeterea etiam *vaſa aerea*, quibus cortex et liber carent. Nam de horum vaſculorum exiſtentia in ligno, foliis et floribus Auctor non dubitat, ac modum ea oculis ſubiiciendi p. 42. ſaltim in tenellis ramis herbaceis docet (in ligno enim perfecto ſe ea nondum vidiſſe fatetur): quod autem ad horum vaſculorum uſum attinet, magis cum GREWIO, quam cum MALPIGHIO facit. „Hae tracheae, inquit, curatius examinatae fortaſſe p. 43. deprehendentur in veras tandem fibras lignoſas mutari, quae aggregatae componant maiuſcula illa vaſa, quorum orificia in area ſectionis ligni apparent. Vtcunque ſit, quum aliquando tempore autumni radices ulmi, e terra extractas, conſiderarem, videbam multum liquoris e maioribus illis orificiis manare; unde colligi poteſt, aut non trachearum eſſe illa orificia, aut verum dixiſſe GREWIVM, qui illis tracheis nonnunquam liquores contineri ſtatuit. Multum aeris ineſſe plantis certum eſt; attamen nullis adhuc, quod ſciam, euidentibus argumentis euictum eſt, vaſa illa ſpiralia reuera eſſe pulmones plantarum, et hanc unam eſſe eorum functionem, ut aerem contineant.„

De

p. 49. De alburno notat Auctor, ſtrata eius eo pauciora, ſed craſſiora eſſe, eoque celerius in lignum abire, quo maior ſit ſucci in arbore copia, idemque verum eſſe de diuerſis unius eiusdemque arboris par-
p. 51. tibus. Et hinc explicat phaenomenon excentricitatis circulorum lignoſorum arborum, quod male obſeruatum peruulgatae originem dedit opinioni, poſſe ex trunco arboris ſecto plagas coeli cognoſci. Nulla eſt inter coeli plagam et maiorem ſtratorum lignoſorum arboris craſſitiem cognatio: ſed ubi radix aliqua eſt ceteris craſſior, ibi in ima arboris parte ſtrata lignoſa craſſiora exiſtunt, et ad quod latus arboris grandior ramus ex trunco exit, in eodem latere craſſiora ſunt ſtrata lignoſa partis ſuperioris arboris.

p. 52. In nuce inuenit Auctor per obſeruationes et calculum, ramos iuniores, quorum diameter dimidium fere pollicem aequat, tantum habere corticis quantum ligni, ſed in ramis craſſioribus ligni volumen maius eſſe volumine corticis. Idem vero de omnibus arboribus veretur affirmare.

In quarto capite, ubi de quaeſtione, utrum vaſa caua ſeu fiſtulae in plantis dentur, in utramque partem diſputat, quanquam litem ſe componere non
p. 59. poſſe fatetur, tamen magis illorum, qui fiſtulas agnoſcunt, parti fauere videtur, et ex conceſſis ab utraque parte hoc ſaltim certum eſſe concludit, dari in plantis vaſa, ſi hoc nomine ea organa compellantur, quae ſuccos nutritios ad diuerſas plantae partes quocunque modo vehant. Ceterum lympham aeque ac ſuccos proprios in arboribus non ſolum aſcendere, ſed etiam a ramis verſus radices deſcendere, plurimis experimentis, quae hic deſcripſit, ſibi perſuaſit.

p. 78. In quinto capite poſt recenſitas differentias radicum in diuerſis plantis (quas iconibus illuſtrat) de organica radicum arborearum ſtructura exponit. Quo loco annotat, omnem arborem, ex ſemine educa-

educatam, habere radicem perpendicularem, quae,
niſi impediatur, ad magnam profunditatem recta
deſcendat: Hanc radicem autem non amplius exten- p. 83.
di, quam primum extremitas eius ad 4 vel 5 polli-
cum longitudinem reſecta ſit, ſed ex gemmis ſuis eo
maiorem copiam radicum lateralium protrudere: In-
crementum radicum qua longitudinem fieri ſemper p. 84.
in extremitatibus tantum, ita ut punctum in ſuper-
ficie radicis notatum, et ab eius extremitate plus
quam quartam pollicis partem diſtans, eandem a
trunco diſtantiam ſemper, creſcente licet radice, ſer-
uet: In humo rara leuique radices quarundam arbo p. 86.
rum longiſſime extendi, et graciles tenuesque eſſe,
contra in denſiori terra breuiores eſſe ac craſſiores:
Ramificationes radicum arborum neque ramificatio-
nibus trunci reſpondere, neque omnino regulares
eſſe. Praeterea Auctor, in eodem capite de ramis p. 91.
breuiter agens, optime deſcribit modum, quo rami
ex trunco oriuntur. Hunc modum oculis quaſi ſub p. 93.
iicere licet, truncum arboris bifurcum horizontali-
ter ſecando proxime ſuperiorem extremitatem, ubi
rami diuaricare incipiunt. Sic enim area ſectionis
oſtendet duas ſeries circulorum lignoſorum, centra
ſua in axibus ramorum habentium, et alium circulo-
rum lignoſorum ſeriem, qui centrum habent com-
mune in axe trunci poſitum, atque illas duas ſeries
cingunt.

Liber II. quatuor capita habet, quorum primum p. 99.
de gemmis folioſis ſeu ſterilibus, ſecundum de foliis
generatim, tertium de perſpiratione plantarum,
quartum de pilis, ſpinis ac clauiculis tractat. In pri-
mo capite Cl. Auctor praecipue deſcribit diuerſas in
diuerſis arboribus et fruticibus poſitiones gemma-
rum in ramis, quarum ope ſaepe diuerſae ſpecies
unius generis arborum a ſe inuicem diſcerni poſſunt.
De ſtructura gemmae hoc loco pauca dicuntur.

Secun-

p. 105. Secundum caput Auctor in duodecim articulos
diuiſit, et in 1. de poſitione foliorum in ramo, et
de ſtipulis, atque in 2. de diuiſione foliorum in ſim-
plicia et compoſita breuiter egit; in 3. autem folio-
rum ſimplicium differentias, qua ſubſtantiam, colo-
rem, ſuperficiei habitum, figuram, connexionem
cum ramo, cetera, copioſe expoſuit, iconibus illu-
ſtrauit, et nomina foliis hinc impoſita indicauit; eo-
demque modo in Articulo 4. circa folia compoſita
verſatus eſt. In 5 docuit neruorum ramificationem
in foliis diuerſae figurae plerumque diuerſam eſſe.
In 6. articulo et ſequentibus uſque ad decimum varia
ad anatomen foliorum ſpectantia tradidit, primo fo-
lia in gemmis adhuc latentia, et ſeſe inde euoluen-
tia, deinde perfecta etiam folia conſiderans. Quo
p. 120. loco exactiorem gemmae deſcriptionem, exemplo
gemmarum hippocaſtani uſus, dedit, ex qua appa-
ret, ſquamas gemmae ex parte interiori corticis ra-
mi oriri, corticem vero ſurculi, quem gemma ver-
no protrudit tempore, ex ſtratis internis corticis, aut
inter lignoſum corpus ac corticem veteris rami,
lignoſum denique corpus ſurculi, quod valde ſubtile
eſt, aut ex corpore lignoſo rami, aut ex fibris ſtrati
lignoſi, quod nunc primum veteri ligno accreſcit;
ceterum medullam, quae pars ſurculi longe maxima
eſt, non eſſe niſi continuatam medullam rami, a qua
ſolo colore viridi differat. Vtilis etiam eſt ad ſtru-
p. 125. cturam foliorum penitius cognoſcendam haec Cl. Au-
ctoris obſeruatio, in foliis aquifolii facta, quod fi-
brae, in quas tale folium facile diuiditur per diutur-
nam macerationem, crebris ictibus malleoli, for-
mam cunei obtuſi habentis, in multa filamenta ſub-
tiliſſima diuidi queant, inter quae innumerabilis mul-
titudo fibrarum ſpiralium appareat. In undecimo
articulo de cauſſa, quamobrem folia plerarumque ar-
borum quotannis decidant, diſputat, tandemque
hanc eius rei, ceu maxime probabilem, rationem

reddit:

reddit: quod petiolis foliorum craſſeſcere deſinenti- p. 130.
bus ob imminutam humoris, quem radices praebeant, copiam, rami diu poſt adhuc incrementum craſſitudinis capiant, unde fibras petioli a fibris rami ſeparari neceſſe ſit. In 12. articulo uſus foliorum ad vegetationem iuuandam, fructusque perficiendos, declaratur.

In tertio capite praecipua enarrantur HALESII et GVETTARDI experimenta de perſpiratione plantarum inſenſibili, quam Cl. DVHAMEL a ſenſibili perſpiratione diſtinguit. Hanc vocat factam per po- p. 152.
ros plantae euacuationem materiae cuiusdam, quae vel ob tenacitatem, vel ob copiam, nimiam non aeque ac illa, quae inſenſibili perſpiratione excernitur, in auras facile diſſipatur. Talis obſeruatur euacuatio materiae reſinoſae in fraxinella, quae planta in aere tranquillo et valde calido atmoſphaera inflammabili cingi fertur. Huc Auctor etiam refert mannae et ſucci mellei florum ſecretionem. Deinceps per MARIOTTI, HALESII, MILLERI, BONNETI et propria experimenta docet, folia organis abſorbentibus inſtructa eſſe, per quae pluuiam, rorem, et humidos vapores inſenſibiles in aere diſperſos ſugant, et ſic plantis nutrimentum peculiare quaerant ac comparent. Hinc plurima ducit conſectaria, ad hortorum et agrorum culturam utilia. Neque tamen p. 166.
diſſimulat, huic tot experimentis declaratae ſuctioni foliorum contrarium videri experimentum quoddam Cl. GVETTARDI, qui, quum caput iunioris arboris incluſiſſet globo cauo vitreo, cui adaptatus erat tabulas, cuius alterum extremum inſertum erat vaſi recipienti, in terra defoſſo, vidit hanc arborem, licet ſicciſſima, ut videtur, atmoſphaera cinctam, laetius tamen creſcere, ſimili arbore in aere libero conſtituta. Hortatur ergo phyſicae botanicae amatores, ut hoc experimentum repetant, ſed adhibitis

cautioni-

cautionibus, AGVETTARDO negle&ctis, quas Auctor hoc loco praeſcribit. Progreditur ad tractandam quaeſtionem, num folia in plantis pulmonum vice fungantur. Quo loco primum ea affert, quibus, argumentum vulgare pro vaſis exſpirantibus et inſpirantibus ab adhaeſione bullularum aerearum ad folii aquae immerſi ſuperficiem petitum a Cl. BONNETO ſolide refutatum eſt *; tum monet, experimenta, quibus HALESIVS viam, qua aer plantas intret, oſtendere voluit, non ſatis eſſe ad hanc rem apta, quoniam in eis pondus atmoſphaerae aeri vias ſternere poteſt inſuetas; denique ſuam ipſe coniecturam profert, quae huc redit, aerem una cum ſucco a radicibus, et nonnunquam a foliis, hauriri; ſed uberiorem eius declarationem lectori in quinto libro pollicetur, quam nos tamen ibi deprehendere non meminimus, colophonem huic capiti imponit recenſitis variis experimentis, et a ſe et a BONNETO inſtitutis, eum in finem, ut quibus modis perſpiratio et ſuctio foliorum, ſaluis foliis, impediri poſſit, pateſceret, quae autem omnia fruſtra fuerunt.

p. 182. In quarto capite Cl. Auctor pilorum et glandularum in foliis praecipue conſpicuarum differentias et ſpecies ex Cl. GVETTARDI hac de re commentariis deſcribit. Glandulas ſic definit, ut dicat eas eſſe corpuſcula tumida ſeu inflata, a ceteris folii partibus varia figura diſtincta, ortu ex inſertione fibrarum plurium longitudinalium, rete formantium, in particulam corporis celluloſi. Vſum harum glandularum et pilorum, quem adhuc non niſi coniectura aſſequi licet, putat eundem eſſe, quem habent glandulae cutaneae noſtri corporis, nempe ut perſpirationem inſenſibilem adiuuent, nonnunquam autem etiam ſu-
p. 183. ctionis vel inſpirationis negotio inſeruiant. Illum uſum Auctor confirmat obſeruatione, quam ſpecies quaedam

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. p. 670.

quaedam *Martiniae*, haud ita pridem ex Louiſiana allatae, ſuppeditauit; quippe cuius folia, flores et fructus pilis valde ſubtilibus ſunt obſiti, in quorum extremitatibus haerent guttulae liquoris tranſparentis, viſcoſi atque odoriferi, ex planta haud dubie exſudantis. De ſpinis poſthaec agit Auctor, quarum non ſolum diuerſas figuras et poſitiones, ſed organicam quoque ſtructuram deſcribit. Quaedam ſpinae, veluti in roſa, groſſularia ſpinoſa, paliuro, nihil habent cum corpore lignoſo commune, ſed ex ſolis ſtratis corticalibus exterioribus oriuntur, et propterea unguibus noſtris ab Auctore comparantur. Aliae, cornubus boum et ungulis auium ſimiles, habent nucleum lignoſum, veſtitum productione corticis, quae indureſcit, et in quibusdam pellucida euadit. Tales ſunt ſpinae aurantii, et pruni ſilueſtris. Et p. 191.
quia hoc genus ſpinarum ramis valde affine eſt, diſcrimina, quae illas et hos intercedunt, Auctor ſollicite annotat, inter quae praecipuum eſt, quod nulla in centro ſpinae medulla deprehenditur. Praeterea dari obſeruat productiones, quarum natura inter ramos et ſpinas media ſit, velut ſpinas monſtroſas *Gleditſchiae*, quae ligno rami leuiter adhaerent, et in axe ſua medullam habent, ſed exſuccam, et medullae rami non continuam. Quem autem in oeconomia vegetabili uſum habeant ſpinae, id ſe ignorare fatetur. Vltimo loco clauiculas deſcribit, de quibus p. 195.
hoc tantum enotabimus, quod ex clauiculis vitis, in quarum extremitate nonnunquam duo vel tres acini perfecti reperiuntur, colligi poſſit, clauiculas habere inuolucrum corticale, fibras lignoſas, vaſa propria, tracheas et telam celluloſam.

Libri III. argumenta ſunt organa fructificationis, fructus, et uſus partium in floribus ac fructibus. Haec tria argumenta in totidem capitibus tractantur. In primo capite gemmae floriferae mezerei, pyri, et

perſicae accurate tum verbis tum iconibus deſcribuntur, non ſolum qua externam figuram, ſed etiam, qua interiora, quae oculis, microſcopio armatis, omnes floris partes, iam in paruo formatas, exhibent. Eodem modo circa ſingulas floris partes, calicem puta, petala, ſtamina, piſtilla, et nectaria verſatur Cl. Auctor, et varias earum figuras, poſitiones, ac cum ceteris partibus connexiones, nec non nomina, quae a Botanicis acceperunt, uſus etiam quarundam diligenter
p. 207. annotat. De calice negat, ullam eius definitionem ſibi obueniſſe, quae ad calicem, in omni planta a pe-
p. 215. talis diſtinguendum, ſatis apta ſit. Petalorum uſum putat ampliorem eſſe, quam ad inuoluenda ſtamina et piſtilla, et habenda illa eſſe pro organis ſecretionis, perſpirationem efficientibus, qua ipſa motus
p. 223. ſucci in partibus floris incitetur. De puluere antherarum monet, eius particulas diuerſas ſaepe in diuerſis plantis habere figuras, et de puluere valerianae annotat, non nunquam ſe vidiſſe granula quaedam eius pulueris in foco microſcopii ſponte diſrupta, ex quibus prodiit liquor, ſaliuae ſimilis, in quo
p. 228. granula ad modum exigua obſcure viſa ſunt. Stilos non nullorum florum in medio uſque ad ouarium manifeſto cauos conſpici tradit, et probabile eſſe, ex diſſectione piſtilli in pyro, cauum illud formari a faſciculis vaſorum, qui a ſingulis diuiſionibus ſtigmatis ad ſingulos loculos fructus deſcendant.

p. 270. In ſecundo huius libri capite, deſcriptis breuiter differentiis fructuum vel ſeminum in diuerſis plantis, anatomica traditur expoſitio fructuum pyri, et amygdali, nec non fructus capſularis ſeu ſiliquae. Sed ex hac, licet admodum eleganti et accurata expoſitione, vix quidquam poteſt excerpi, quod ſine iconum adſpectu intelligi poſſit.

Tertii capitis initium continet hiſtoriam opinionum de generatione plantarum, et controuerſiam, de ſexu plantarum docte expoſitam. Doctrinam, hodie

die a pleriſque receptam, quod generatio plantarum generationi animalium analoga ſit, Cl. Auctor non ſolum notis argumentis, ſed et nonnullis peculiaribus obſeruationibus confirmat, et ab obiectionibus aduerſariorum vindicat, quanquam ipſe, experientiae fulcro deſtitutus, neque decidere audeat, utrum liquor, p. 281. ſaliuae ſimilis, ex granis pulueris antherarum ruptarum fuſus, an obſeruabilia in illo liquore puncta ſeu granula foecundationem ouulorum abſoluant, neque uſus ſingulorum organorum femineorum in fructu poſſit determinare. Deinceps elegantes ac lectu digniſſimas obſeruationes ſuas microſcopicas partium genitalium equiſeti, polypodii, linguae ceruinae, anguſtifoliae lucidae folio ſerrato, filicis non ramoſae dentatae, et muſci capillacei foliolis latiuſculis congeſtis, capitulis oblongis, reflexis, cum lectoribus communicat; ex quibus obſeruationibus apparet, ni- p. 292. hil ex conſideratione harum plantarum, quarum organa genitalia nondum ſatis cognita ſunt, iure poſſe colligi, quod hypotheſin de ſexu plantarum euertat. Poſtea V. C. docet, cauſſam ortus nouarum varieta- p. 296. tum in regno vegetabili magna cum probabilitate attribuendam eſſe foecundationi a puluere antherarum certae ſpeciei in ſpecie alia eiusdem generis effectae; tandemque monſtroſas quasdam plantas et plantarum partes a ſe obſeruatas deſcribit, inter quas non nullae morbis plantae veriſimiliter debentur.

In IV. *Libro* Auctor de ortu plantarum exponit, Tom.II. et in primo quidem capite ſemen perfectum conſide- p. 1. rat, cuius accuratam deſcriptionem exhibet, ab ea, quam GREWIVS dedit, haud diſcrepantem, et ſimul nuclei cum ouo ſimilitudinem manifeſtam reddit.

Caput ſecundum de germinatione ſeminum in- p. 8. ſcriptum eſt. Poſtquam Auctor HOMBERGII experimenta (Mém. de l'Acad. des Sc. 1693) de aliquali, ſed imperfecta germinatione ſeminum in ſpatio aeris

vacuo recenſuit, primam germinis in ſemine, terrae mandato, euolutionem verbis et iconibus declarat.
p. 14. Sub finem huius capitis annotat, iunioris radicis, cortice detracto, in aqua coctae vel maceratae, partem lignoſam in fila valde ſubtilia poſſe diuidi, quae, per microſcopium contemplata, vaſa ſpiralia ſeu tracheae appareant; unde colligi poſſe videtur, inquit Auctor, fibras lignoſas omnes, quamdiu adhuc tenerae ſunt, eſſe fibras ſpirales.

p. 17. Tertium caput de incremento arborum agit. Quo loco doctiſſimus Auctor primo recens natum ſurculum conſiderat, et per experimenta docet, eum in ſingulis ſuis partibus in longum extendi, dum creſcat, magis tamen in partibus a trunco remotioribus, ſed incrementum illud imminui, quo magis lignum indureſcat, tandemque omnino ceſſare, quum pars eius lignoſa perfecte induruerit. Proximum, quod conſiderat, eſt incrementum arboris in latitudinem. Ea de re Cl. DVHAMEL iam expoſuerat in Comment. Ac. Sc. Par. ad ann. 1751, ſed quanquam ibi dicta, hic nouis non nullis experimentis et obſeruationibus auxit, tamen haud omnem euidentiam in decidenda hac quaeſtione, quae ſit noui ſtrati lignoſi, quo lignum iam formatum quotannis veſtitur, origo,
p. 41. ſe adhuc aſſequi potuiſſe fatetur. Certum quidem eſt, in ſtatu naturali ſtrata lignoſa produci ex cortice vel libro: ſed utrum ea ſint ſtrata libri indurata, ut MALPIGHIVS ſenſit, an emanationes ex cortice, quae pro partibus libri haberi nequeant, ex ſententia GREWII, et quomodo difficultates non nullae, quae utramuis ſententiam premunt, et quas Cl. Auctor (p. 46. 47.) indicat, tollendae ſint, id quidem phyſicorum ſollertiae adhuc indagandum relinquit, etiamſi ipſi ſententia GREWII probabilior videatur. Deinceps explicat incrementum trunci in altitudinem, et productionem ramorum e trunco, horumque incrementum. Truncus arboris, e ſemine recens

cens enatus, eſt conus ligneus, in vertice habens gemmam. Hic conus proximo anno non amplius creſcit; ſed ex gemma illa producitur nouus conus ligneus ſuper cono primo cum noua in vertice gemma, et ſimul lignum primi coni inueſtitur nouis ſtratis lignoſis et corticalibus, quae cono ſecundi anni continua ſunt. Huic trunco in tertio anno partim nouus conus cauus circumponitur, partim nouus conus ligneus, ex gemma enatus, adponitur. Et ſic porro. Simile eſt ramorum in longitudinem et craſſitiem incrementum. Tandem Cl. Auctor de modo diſſerit, quo vulnus, arbori inflictum, coit. Experimentis variis inſtitutis didicit, ſi portio corticis uſque ad lignum, vel et una cum aliqua ligni adiacentis portione, excíſa fuerit, et ad vulnus aeri liber acceſſus pateat, ad cicatricem illud venire ope materiae, ex intimis corticis ſtratis, vel inter corticem et lignum, emanantis, quae initio tumorem aliquem circa labia vulneris efficit, et, cum tempore ſe magis magisque extendens, cicatricem inducit, quum haec materia nouum corticem, et ſub eo nouum etiam lignum formet, quod ligno veteri exacte quidem ſe applicat, ſed cum eo non cohaeret; et hanc materiam ſemper copia maiori ex terminis lateralibus ſeu longitudinalibus ſectionis corticis, quam ex transuerſalibus, et ex parte ſuperiori vulneris copioſius, quam ex inferiori, promanare vidit. Quum p. 42.
autem ſemel iterumque ex truncis arborum iuniorum menſe Aprili annulos integros corticis excidiſſet, atque haec vulnera tubis vitreis aliisque inuolucris contra aerem et ſolem contexiſſet: animaduertit non ſolum illam inter corticem et lignum prouenientem materiem, ſed etiam papillas quaſi deprehendit gelatinoſas albidas ex ligno ipſo hic illic erumpere, quae ſuccedente tempore torideſcebant, increſcebant et cum illa corticali materia ſe coniungentes cicatricem ducebant. Hanc gelatinoſam materiam vere organi- p. 45.

 cam

cam eſſe, optime colligit Cl. Auctor ex eo, quod eadem etiam in aqua, qua tubum vitreum aliquando impleuerat, genita fuit, creuit et cicatricis formationem
p. 59. adiuuauit. Vulnerauit etiam iuniores arbores ſic, ut inflectendo eas magnam partem fibrarum corticalium et lignoſarum rumperet; quo facto reſtituit eas in ſitum verticalem, et per ferulas in hoc ſitu ſuſtentauit, donec reconualeſcerent; tandem ſerra diſſectis his arboribus, obſeruauit, fibras lignoſas ad ſanationem horum vulnerum nihil facere, ſed vacua inter eas fibras ſpatia repleri materie granulata herbacea, quae ex libro emanare videbatur, et ſucceſſiue indureſcebat, ac lignoſas fibras ex ſe producebat. Ceterum rationem ſanandi vulnera externa in arboribus eandem eſſe monet, quae in corpore animali; ſed, inter multa emplaſtrorum genera, ea citiſſime et optime ſanandis vulneribus arborum maxime couenire expertus eſt, quae ex materia balſamica, et pluuiae atque aeri arcendis idonea parantur, veluti ex cera, terebinthina, pice, ſtercore vaccino. Contra omnis pinguedo nociua eſt.

p. 65. Capite quarto Cl. Auctor omnes inſitionis modos docte, ac copioſe, et ad praxin maxime accommodate exponit. Omnium modorum unam hanc communem legem eſſe notat, ut liber ſurculi libro rami vel trunci contiguus reddatur, utque caueatur, ne cortex a ligno ſurculi inter inſerendum ſecedat. Sub finem autem huius capitis docet, quanti momenti ad inſitorum ſurculorum incrementum ſit certa inter arbores affinitas, adeo ut minime audiendi ſint, qui arbores ad modum diuerſae naturae ſibi inuicem, velut pirum quercui, vel morum ulmo, vel vitim ceraſo, inſeri, et hac ratione nouos ac ſingulares fructus obtineri poſſe, aliis perſuadere volunt.

p. 99. Capite quinto de radicibus earumque incremento iterum agitur, ſed eo conſilio, ut ratio arbores multiplicandi per taleas et propagines explicetur. Arbores

bores enim ita ſerere, nil aliud eſt, quam efficere, ut rami, radicibus hactenus deſtituti, agant radices. Poteſt autem ea res propterea effici, quia tubercula in cortice rami, quae vel natura praeſentia ſunt, vel quibus ars naſcendi occaſionem dedit, in extremitate rami ligatura facta, vel annulo ex cortice exſciſſo, continent germina, quae radices aeque ac ſurculos producunt, prouti vel terra obtecta, vel aeri expoſita ſunt; et quia radicibus nutrimentum atque incrementum ſuppeditat pars ſucci per truncum deſcendens. Quorum utrumque Auctor multis experimentis et ratiociniis vincit. Et ad poſterius quidem quod attinet, Vir doctiſſimus, quanquam circulum ſucci in ſtrictiori ſenſu defendere non audet, tamen in ea eſt ſententia, (quam etiam hic tantum nobis videtur demonſtraſſe, quantum propoſitio meris experimentis innixa demonſtrari poteſt) ſuccum interdum aſcendere verſus ramos, interdum deſcendere ad radices, non ſola grauitate, ſed vi peculiari propulſum, et, ſecundum ordinariam naturae oeconomiam, radices nutrimentum ſuum accipere a ſucco deſcendente, ſurculos autem ab aſcendente. p. 123.

Capite ſexto Auctor difficiles illas tractat quaeſtiones de cauſſis motuum, qui in certis plantarum partibus obſeruantur. Prima eſt, quamobrem ſemine germinante ſemper radicula deorſum, et plumula verſus ſuperficiem terrae tendat? Cuius rei cauſſa ſicut a viris doctiſſimis, DODART, ASTRVC, DELAHIRE, HALES, BAZIN perperam eſt expoſita, ita nec Cl. DVHAMEL labore et ſagacia adhuc in apricum producta eſt. Coniecturam tamen affert, quam a vero prope abeſſe putat, quod directio vaporum tam eorum, qui in vaſis plantae continentur, quam illorum, qui extrinſecus plantam circumdant, pro cauſſa huius phaenomeni habenda ſit. Ex hoc principio videtur etiam ratio reddi poſſe, cur caules et rami flexiles plantarum, prope murum aliquem po- p. 137. p. 154.

 ſitarum,

ſitarum, ſe ſemper in regionem liberi aeris dirigant et extendant, et cur in plerisque arboribus inferiores rami maiores cum trunco angulos conſtituant, quam
p.146. ſuperiores; unde parallelismus ille ſequitur ramorum arboris in decliuitate collis natae cum ſolo, obſeruatus a DODARTO. Hoc etiam loco occaſionem nactus Auctor conſiderandi cauſſam, cur plantae ex ſemine in loco aeri et praecipue lumini inacceſſo natae graciles fiant et albae, Cl. BONNETI * hac de re obſeruationes et ſententiam recenſet, et propriis
p.156. iungit. Arbitratur autem, non ſolam priuationem luminis cauſſam eſſe huius rei, ſed fortaſſis etiam defectum transſpirationis foliorum, ob quem planta tenerior manet, ac magis herbacea et ductilis, ut motui ſucci facilius obſequatur, et ergo magis in altum, quam in craſſum creſat. Ex eodem Auctore Noſter porro recenſet obſeruationes de motibus ſpontaneis foliolorum, quibus folia pinnata conſtant, et his larga manu ſubiungit proprias obſeruationes de motibus, in foliis *ſenſitiuae* ſpinoſae pro rerum circumſtantium varietate admodum variis. Quum etiam motus ſpontanei in floribus non nullarum plantarum, et in fructibus praeſertim capſularibus ac ſiliquoſis appareant, mentionem eorum non praetermiſit; ſed, de ratione iſtorum motuum in floribus incertus, mo-
p.171. tuum tantum, muſcularibus ſimilium, in fructibus obuiorum rationem explicat, per fibrarum peculiares directiones, earumque exſiccationem. Tandem caput hoc claudit obſeruationibus de coloribus florum, foliorum et fructuum, quae confirmant ſententiam plurimorum Phyſicorum, folia diſcolora ſignum eſſe debilitatis vel morbi plantae.

p.176. Capite ſeptimo, in quo Cl. Auctor admirabilem plantarum foecunditatem eleganter deſcribit, colophon huic IV libro imponitur.

Vltimus

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. p. 673.

Vltimus Liber, qui uniuerſae oeconomiae vege- p. 183.
tationis deſcribendae deſtinatus eſt, tribus conſtat capitibus. In primo Cl. Auctor de ſucco nutritio plantarum agit. Oſtendit nimirum, primam ſucci illius praeparationem fieri in terra, quum aqua particulas nutritias, quas humus et laetamen continent, ſoluat; naturam eius ſucci per analyſin plantarum p. 192.
chemicam vix unquam cognitam iri; ſolam aquam p. 198.
puram ſufficere non ſolum germinationi ſeminum, ſed etiam educandis plantis, immo arboribus, adeo ut non floreant ſolum, ſed etiam fructus ferant (licet adhuc, deficiente experientia, incertum ſit, an arbor per complures annos in ſola aqua viuere poſſit); plantas diuerſas non diuerſos ſuccos e terra hau- p. 210.
rire radicibus ſuis, ſed eiusdem generis ſuccos in variarum plantarum viſceribus vario modo mutari. Sub finem huius capitis de *plantis paraſiticis* agitur.

His de ſucco nutritio plantarum diſputatis, pergit Cl. Auctor in capite ſecundo ad motus varios ſucci exponendos. Ante omnia inquirit in vim, quae ſuccum illum in plantis aſcendere cogit. Talem enim vim et in radicibus et in ramis vere adeſſe, HALESII ac BONNETI experimenta, quae Noſter hic recenſet, demonſtrant. Enarratis autem auctorum de hac re ſententiis, docet, quanquam aſcenſio ſucci et perſpiratio plantae ita ſint ex ſe inuicem aptae et nexae, ut plerumque huius auctio vel im- p. 249.
minutio illam adiuuet vel impediat, tamen transſpirationem plantae pro unica cauſſa aſcenſus ſucci non eſſe habendam: quum non nunquam, ceſſante transſpiratione, vehemens tamen motus ſucci obſeruetur. Et quoniam huius rei exemplum habemus in vitibus p. 251.
lacrymantibus, Auctor hinc occaſionem arripit, de lacrymis arborum et in primis vitium hoc loco ea exponendi, quae indubia experientiae fide conſtant; num autem lacrymae aſcendentes et deſcendentes di- p. 259.
uerſae ſint indolis, et in diuerſis vaſis moueantur, id

poſterorum induſtria detegi optat, et detectum iri
p. 262. ſperat. Porro oſtendit, neque per ipſam hiemem,
niſi forſan intenſe gelidam, penitus ceſſare motum
ſucci nutritii in arboribus. Poſtea cauſſas recenſet
phyſicas, quae ad vegetationem concurrere putan-
tur, et de ſingulis, quid ſibi videatur, pronuntiat;
plurima quoque ad culturam arborum utilia monita
p. 283. interſpergit. Hinc progreditur ad enumerationem
tentaminum, quibus non ipſe ſolum, ſed etiam Viri
Cl. DELABAISSE et BONNET, viam ſucci in plan-
p. 292. tis ope iniectionum indagare allaborarunt. Et quum
haec experimenta docuerint, ſuccum illum non niſi
inter fibras lignoſas plantarum ſeſe eleuare, ideoque
verticaliter; cui conſequens videri poſſet, nullam eſ-
ſe inter vaſa ſuccifera arboris communicationem late-
p. 295. ralem: Cl. Auctor hanc opinionem per experimenta
refellit, et commonſtrat, ſuccum ab aliqua radice
hauſtum, quanquam via ordinaria ad unum duntaxat
arboris latus vel ramum tendat, tamen a via ſua non
nunquam data occaſione in latus deflectere, et ad
alias quoque arboris partes deuenire. Praeterea,
quum ex praedictis experimentis etiam probabile ſit,
ſuccum in arboribus per ſolum corpus lignoſum, non
p. 297. autem per corticem, aſcendere: rationes quasdam
dubitandi hac de re affert, et modum, quo veritas
p. 301. nouis experimentis detegi poſſit, indicat. Tandem
refluxum quoque ſucci a ramis verſus radices pluri-
mis obſeruationibus atque experimentis euincit, per
quae ſimul probabile eſt, hunc deſcenſum fieri inter
p. 313. lignum et corticem. Cuius loci tractationi ſubiun-
git longiuſculam de circulo ſucci in plantis diſputa-
tionem, in qua, legitime primum formato ſtatu
controuerſiae, omnia fere argumenta, quae tam
pro illo circulo, quam contra illum, hactenus allata
ſunt, perſpicue ediſſerit, et neutra ad hanc litem di-
p. 327. rimendam ſatis valere docet. Extremo loco attingit
quaeſtionem, unde terra recipiat prodigioſam illam
humoris

humoris copiam, quam plantae in auras transſpirati-
tione ſua iugiter diſſipare videntur? et oſtendere annititur, aquam, per pluuias, niues, et rorem ſuppeditatam, una cum humoribus, qui ex intimis terrae viſceribus aſcendant, ſufficere impenſae, quam plantarum nutritio requirat.

Tertium denique Caput morbos arborum, eo- p. 337.
rumque remedia docet. Quidam eorum morborum, de quibus hic agitur, a ſiccitate, vel humiditate, vel vitioſa quadam terrae indole oriuntur, alios gelu afficit, alii inſectis debentur. Plerorumque naturam et remedia Cl. Auctor ſtrictim hic indicat, prolixiorem eorum tractationem libro *de cultura arborum*, quem pollicetur, reſeruans.

Enarrauimus itaque hoc eximium opus, in cuius laudes digredi, ſuperuacaneum foret, quum nemo non harum rerum intelligens ex iis, quae diximus, intellecturus ſit, hoc opus inter claſſicos de phyſica botanica libros numerandum eſſe, eiusque lectionem omnibus, qui poſthac in hoc ſtudiorum genere aliquid praeſtare laude dignum cupiant, magnopere eſſe commendandam. Hoc unum ergo nobis reſtat, ut lectores moneamus, appendicis loco Cl. DVHAMEL huic operi annexuiſſe *lexicon* vocabulorum, quibus ſcriptores rei botanicae, agrariae, et ſilueſtris utuntur. Hoc lexicon, ſingulari diligentia elaboratum, quum aliis, tum iis praecipue, qui leuiori botanicae notitia tincti ad hoc opus ſe applicant, multum ad id melius intelligendum auxilii praeſtabit.

III.

III.

Diſſertatio inauguralis botanica de Buxbaumia Praeſide D. CASIMIRO CHRISTOPHORO SCHMIDELIO, Reſpond. *Ioan. Georg. Hoelzel.* Erlangae. 1759. 5 pl. c. tab. aen.

Quam alto a plerisque, vel rei naturalis cultoribus, fungorum muſcorumue familiae, ſupercilio deſpiciuntur, tantum abeſt, ut quisquam ſine eorum ſcrutinio, totius regni vegetabilis ſcalam intelligat; quid quod praeſertim in ſtricte ſic dictis muſcis, ſummi creatoris magnitudo atque ſapientia pulcherrime ſeſe manifeſtet. Iucundum ad modum huius rei teſtimonium exhibet Cl. SCHMIDELIVS, dum ex uniuerſa horum grege, contemplandam ſibi ſumit *Buxbaumiam*, in honorem viri eiusdem nominis, bene de botanica promeriti, ab Ill. HAL-
p. 8. LERO ſic nuncupatam. Primo itaque loco, continuo filo, vitae huius plantulae, ab ortu ad occaſum uſque tradit hiſtoriam, obſeruationibus per decennium fere continuatis collectam. Vbi quidem inter annuas eam refert plantas et calyptrae, a FABRICIO negatam praeſentiam affirmat. Ab hinc ad ſingulas partes perquirendas pedem mouet, radiculam, villum bulbum cingentem, et ex hoc prodeuntem pediculum ſeu ſetam deſcribit, nexuque pediculi cum capſula indicato, ad huius, ceu praecipuae par-
p. 15. tis conſiderationem ſeſe conuertit. In gremio nimirum capſulae, cuius internam laminam libro aequiparandam ſtatuit Auctor, haeret granum liberum, ex pediculi medulla procedens, parietibus capſulae filorum copioſorum interuentu annexum, quae ex interna capſulae lamina procedunt et profunde in grani corpus inſeruntur: quae, dum granum maturuit, exſiccantur et totum grani cauum polline per
p. 17. lobulos cohaerente farcitur. Coronis capſulae eſt opercu-

operculum, comprehendens ſub ſe pectinem, qui ſuperficiei internae capſulae implantatur. Eum ſeparatam tamen partem eſſe Cl. Auctor perhibet, quae ex congerie ſetarum rigidarum, in conum coeuntium, conflatur. Cum interim in illa plantula, quam celeberrimus DILLENIVS propter calyptrae abſentiam inter Sphagna ſua locauit, nomine: *Sphagnum acaulon, foliis in centro ciliaribus,* cum, inquam, multa in hac inuenerit, quae cum Buxbaumiae potius quam Sphagni charactere concordant, breuibus eam deſcribit, ubi *recte* et noſtris obſeruationibus conuenienter aſſerit, calyptram neutiquam deficere. Ex iis p. 25. autem omnibus concludit Cl. Auctor, Buxbaumiam non ſolum verum eſſe muſcum, ſed muſcum etiam eſſe ſui generis. Quare characterem eius ſic conſtituit, ut Buxbaumia ſit *muſci genus, quod ex bulbo radicato, capſulam trudit oblique ellipticam, orificii pectinati, inſtructam calyptra laeui, operculo obliquo conico tectam et intus fouentem granum, maturitate globulos farinoſos (ſeminales) excludens.* Atque ſic huius generis duas ſpecies condit, nimirum

caulescens I. Buxbaumia bulbo villis tecto.

ſeſſilis II. Buxbaumia bulbo foliis cincto.

His uſum partium, quae praeſertim ſobolis cauſſa adſunt, ſubnectit, et inſtituta conſideratione generali perfectiorum florum, ſecundum ortum naturamue eorum, nec non florum, quibus muſci inſtruuntur, ſolide diſcuſſis omnibus obiectionibus, de Buxbau- p. 36. mia ad minimum euincit, elaborationi ſeminum, granum inſeruire, eiusque pollinem ſeminum vices gerere, ideo quod ex medulla nutritur, et quod nulla alia organa generationis deprehenduntur. Maſcula vero organa, fila illa eſſe, quae ex interna capſulae lamina in granum penetrant, contendit idque eleganter Filicum exemplo illuſtrat.

IV.

IV.

IOHANN GEORG MODELS, *Apothekers bey der Rußiſch-Kayſerl. Ober-Apotheke zu St. Petersburg, Verſuche und Gedanken über ein natürliches oder gewachſenes Salmiack, nebſt Erörterung einiger vom Hrn.* BARON *gemachten Einwürfe über das perſiſche Saltz. Leipzig, in Ioh. Friedrich Gleditſchens Handlung.* 1758. 8. pl. 5.

h. e.

IOANNIS GEORGII MODELII experimenta et iudicium ſuper natiuo ſale ammoniaco, accedit dilucidatio quarundam, a Cl. BARON prolatarum, de ſale perſico obiectionum.

Praemittit Cl. Auctor in literis dedicatoriis, ad Cl. MARGGRAFIVM datis, quaedam de praeſtantia diſquiſitionis vegetabilium per triturationem continuatam, qua methodo uſus eſt ad praeparanda ſua ſic dicta ſalia Cl. GARAY, prae ea, quae coquendo ac deſtillando iſta corpora examinare docet. Quae enim ignis ope educuntur ex vegetabilibus, tantum non ſemper unius eiusdemque in cunctis videntur eſſe indolis, et ſi quando differant, vix ſenſu percipi aut ad amuſſim determinari poteſt hocce diſcrimen. Quin imo interdum fit, ut hacce coctione deſtruantur potius, vel deteriora reddantur quaedam educta, quod ſalium eſſentialium et opii exemplo docte ſatis comprobat. His igitur commotus Cl. MODEL, quae ſibi diſquirenda ſumſit vegetabilia, ita examinauit, ut vel eorum infuſa aut ſine, aut cum trituratione parata, explorando variis contrariis quicquid ſalini ipſis inſit detegere, vel ope *liquoris aetherei* FROBENII, ſpiritum rectorem cognoſcere, vel et putrefactionis auxilio ſingulares eorum proprietates perſpicere
p. 1. queat. Breuibus hisce diſputatis ad ſalis ammoniaci

examen

examen accedit, quod quamuis dudum ut corpus ſa-
linum in aqua ſolubile et in igne volatile innotuerit,
eiusque uſus latiſſimus in pharmaceutica aeque ac
docimaſtica chemia cognitus fuerit, magna tamen
inter chemicos huc uſque de origine eius fuit diſce-
ptatio. Cum enim illud ſal medium ex alcali volatili
et acido ſalis communis mixtum eſſe, experimentis
luculenter iam demonſtratum ſit, utrumque vero ho-
rum ingredientium vix in naturae regnis, ut purum,
inueniatur, fieri non poſſe, ut ſal illud a natura
productum proſtare queat, multi ſibi perſuadebant.
Quae in contrarium a quibusdam prolata ſunt, ea
de cauſſa, quod in vicinia vulcanorum naturalium ve-
rum ſal ammoniacale inueniatur, et ideo vim ignis
ad eius productionem requiri certum eſſe, vix vero-
ſimilia Cl. Auctori videntur, cum corpora, quae alca-
li volatile praebent, aeque diuerſa in ſuae mixtionis
proportione ſint, ac ea, quae alcali fixo praeparando
inſeruiunt. Monet hinc, et exemplis contra Cl.
POTTIVM demonſtrat, regulas chemicas, huc-
uſque interdum pro axiomatibus habitas, vix ſem-
per firmo talo niti, ſed ulteriori perfectione indige-
re. Exemplum, quod ipſe in ſuo corpore ex-
pertus eſt, adfert, ex quo probare annititur, non
ſummum ignis gradum, ſed lenem tantum, longe
tamen diuque continuatum, ad productionem ſalis
noſtri ſufficere. Cum enim Noſter, febre catar- p. 11.
rhali maligna laborans, criſi ſudorifera accedente ad
manus ſordibus purgandas, aquam tepidam, in qua
alcali fixum ſolutum erat, adhiberet, ſubito ab odo-
re alcali volatilis ita afficiebatur, ut ſenſuum uſu pri-
uaretur. Similem caſum iam olim obſeruatum in
Commerc. lit. Noric. deſcriptum adfert, et multa ex-
perientia varios alios eiusdem indolis in noſocomiis
vidiſſe ſe aſſerit. Quae recenſitae obſeruationes nul-
lum relinquunt dubium, odorem hunc volatilem ſa-
lis ammoniaci, cuius acidum alcali fixo accedenti ſe
iungebat,

iungebat, alcalique volatile expellebat, in ſudore praeſentiam manifeſtaſſe. Nec iis certe hac de re orietur dubium, quibus cognitum eſt, ſal illud urinae natiuum a variis aeui noſtri celeberrimis chemicis deſcriptum, quod varias ammoniacalis ſalis proprieta-
p. 17. tes poſſidere Noſter commonſtrat. Sal vero, quod nunc examini ſubiicit, in magna ſatis copia apportatur e regionibus, quas Calmuccae incolunt, in Sibiriam. In rupibus creſcere dicitur, quod et ipſi adhaerentes interdum ſaxeae particulae vel argilla bolarisue terra probare videtur, quibus in oppoſita ſuperficie, rariori tamen exemplo, ſulphur accretum inuenitur. Figurae eſt indeterminatae, ita ut vix duas reperias glebas, ſimilem figuram oſtendentes, nec in cryſtallos cogitur, ſed friabilem maſſam, ſali gemmae puluerulento analogam, conſtituit: in aqua plenarie ſoluitur. Naſcendi eius modum aliis relinquit determinandum, ſufficit ipſi pro vero ſale natiuo illud eſſe habendum. Nec experientias fuſius enumerat, quas cum ipſo ſale per varia contraria corpora inſtituit, ſed eas tantum, quae extra dubitationis aleam ponere videntur ſalis huius veram ammoniacalem naturam. Vncias duas ſalis unciis duabus cinerum clauellatorum ſubtiliſſime pulueriſatorum mixtas ſpiritu quodam leniſſimo irrorabat, et in balneo arenae deſtillabat. Prodiit ſub primo caloris gradu ſiccum album volatile alcalinum ſal cum paucis guttulis ſpiritus et tandem phlegma, quod ſal dictum ſoluebat. Reſiduum elixiuatum cryſtallos longas priſmaticas, nitro antimoniato ſimiles, oſtendebat, quae cum oleo vitrioli ſatis diluto dabant ſpiritum ſalis purum.

Quod idem eueniebat cum ſale tartari, calce viua, cui ultimae, ſi ſimul ſulphur admiſcebatur, productum tincturae ſulphuris volatili BEGVINI ex aſ-
p. 22. ſe ſimile deprehendebatur. Cum acido vitrioli deſtillationis ope exploratum, acidum ſalis communis

largieba-

largiebatur, cuius reſiduum, exceptis pauciſſimis floribus, vitreſcebat; cum acido nitri combinatum aquam regiam conſtituebat.

His expoſitis, num hocce ſal ſublimari poſſit, percontatus eſt, quod omnino experimentis inſtitutis probat, cum in denſas placentas per ſublimationem cogatur, ſimulque adfert varia argumenta, quae determinant, venale ſal ammoniacum per ſublimationem, non autem per inſpiſſationem in formas ſuas redigi.

In aqua ſolutum, et artis lege, vel leni tantum, vel ſummo ignis gradu ad cryſtalliſationem adaptatum, non niſi paucas tenues longas cryſtallos largiebatur, quae florum ſalis ammoniaci ſimilitudinem referebant. Inſpiſſatio placentas formabat, ab iis per ſublimationem paratis valde diuerſas. Quae igitur omnia cum ſalis ammoniaci indolem ſatis abunde declarent, non dubitat Cl. Auctor, ſalem iſtum, quem explorauit dicto modo, verum eſſe ſalem ammoniacum natiuum, illumque, qui vulgo venditur, ſublimatione parari.

Quae a D. HIRSCHINGIO in collectionibus franconicis de ſale ammoniaco ope vitrioli ex ungulis, cornubus, et oſſibus extracto proponuntur, probantur a Noſtro ac confirmantur.

Addit ſub finem quasdam dilucidationes obiectionum a Cl. BARON contra ſuum de ſale perſico inſtitutum examen, quibus dilucide commonſtrat iſtum celeberrimum ac magnum virum in eſſentialibus, ut aiunt, a ſuis prolatis aſſertis neutiquam diſſentire: et ad ea, quae contra eum monuit, docte ac ſolide reſpondet.

V.

Quaeſtio medica: An ut ſenſibilitas ſic irritabilitas a neruis? Praeſide M. CAROLO GEILLE DE SAINT LEGER, Doctore Medico, proponebat Pariſiis LVDOVICVS MARIA GIRARD DE VILLARS, Doctor Medicus Monſpelienſis. 1757. 4. pl. 1.

Experimenta, quae Cl. Auctor inſtituit, tum ſenſibilitatem, tum irritabilitatem plurium partium probant. Tendines enim, aponeuroſes, ligamenta, glandulae HAVERSII, perioſteum, pericranium, pleura et peritonaeum, ſecundum Cl. Auctoris obſeruationes, ſenſibilia ſunt. In pulmonibus vero, hepate, renibus et liene ſenſibilitas quidem, ſed parua deprehenditur eademque pluries in arteriis, rarius in venis apparet. De tunicae arachnoideae et piae matris ſenſibilitate certi quid vix ſtatuitur. Cerebrum nullum ſenſibilitatis ſignum conſpicuum, exquiſitiſſimum vero medulla oblongata et ſpinalis, porro dura mater, nerui omnes, cutis, ventriculus, inteſtina, veſica urinaria, uterus, urethra et muſculi produnt. Cordis ſenſibilitas ob agitationes et mortis periculum non definienda quidem, aſt ob analogiam, quam habet cum muſculis, aſſumenda eſt, euidenti contra ſenſibilitate donatur diaphragma. Quod ad irritabilitatem pertinet, caute hic experimenta inſtituenda et irritabilitatem natiuam ſimplici quidem mechanica irritatione, nec aeque chemica deſignari, Noſter monet, neruisque irritatis, ad muſculum abeuntibus, hunc contrahi atque cor, diaphragma, ventriculum, inteſtina, veſicam urinariam atque uterum irritata ſe contrahere perhibet. Duram vero matrem, cerebrum, cerebellum, medullam oblongatam et ſpinalem, neruos, pulmones, viſcera abdominis non muſculoſa, tendines, aponeuroſes, li-

gamenta, perioſteum, pericranium, glandulas et ureteres irritata euidenti contractione non donari, dicit. Ex his itaque plerasque animalium partes ſenſiles eſſe, certos vero ſenſibilitatis gradus definiri vix poſſe, atque motum et ſenſibilitatem infantibus neruorum copiae non eſſe ſemper proportionales, colligitur. Cum vero in parte irritata ſenſibilitatis ſigna frequentius oriantur, quam contractio, neruisque irritatis, ſequatur partium contractio, vel demum illis ligatis motus et ſenſus pereant, affirmatur proinde, quod ſenſibilitas pariter ac irritabilitas a neruis dependeat.

VI.

Eſſai ſur les Alimens pour ſervir de Commentaire aux Livres Diététiques d'*Hippocrate*. Par Mr. LORRY. Tome Premier. A Paris de l'imprimerie de Vincent. MDCCLVII. 12. mai. pl. 19½.

et

Eſſai ſur l'Uſage des Alimens etc. Tome Second. A Paris, MDCCLVII. 12 mai. pl. 19.

i. e.

Tentamen ſuper alimentis, inſtar commentarii in libros diaeteticos Hippocratis. Auctore Cl. LORRY. Tomus I. Pariſiis, 1757. etc.

et

Tentamen ſuper uſu alimentorum etc. Pariſiis, 1757. etc.

Alimentum omne id dicitur, quod corpus animale ſuſtentat, partes amiſſas reſtaurat, vel et in incremento conſtitutum corpus auget. Ergo particulae nutritiae naturam animalem habeant, neceſſe eſt. Cum autem materies alimenti a corpore animali dif- p. 1.

 ferat,

ſerat, requiritur omnino, ut in naturam animalem transmutetur. Omne igitur corpus, quod augmentum capit, neceſſario proprietat m poſſidet, materiem ita mutandi, ut in propriam naturam conuertatur.

Corpora vegetabilia et animalia analogiam inter ſe alunt. Nam ex iisdem principiis conſtant, modo attendatur, gradus ſeu modos mutationis diuerſos eſſe. Atque vegetabilia quidem materie, quae in omnibus plantis eadem eſt, ſimplici magis magisque elementari nutriuntur, neque vero animalia. Haec enim vegetabilibus ſuſtentantur, ideoque materies, quae illa nutrit, mutata iam eſt, et prout vegetabile eſſe ſolet, varie mutata eſſe deprehenditur. Cum vero multa animalia, genere omnino diuerſa, una tamen eademque plantarum ſpecie viuant, aliaque contra multiplici vegetabilium genere veſcantur, omnia proinde alimenta unam eandemque ſubſtantiam nutrientem continere, ſequitur. Vocatur haec ſubſtantia chyloſa et lymphatica, quae humores noſtros conſtituit. Ex ea in corpore generatur lympha mucilaginoſa, quae ſenſim attenuata omnia vaſa corporis penetrat, et quamlibet partem corporis nutrit ſeu in ſtatu ſeruat. Verum materiae nutritiae mutatio in corpore tum a facilitate plus minus maiori, quam habet ipſa materies, tum ab ipſo corpore, quod mutat et aſſimilat, dependet. Haecce tamen facilitas mutandi in omnibus eadem non eſt, ſed valde variat, imo ipſa quoque corpora maxime in mutando variant. Cum itaque alimentorum mutatio in corporibus animalium et ab alimentis et ab illis ipſis dependeat, cuncta hinc, ut clarius intelligantur, quatuor exponuntur partibus. Prima materiem nutritiam in genere conſiderat; ſecunda alimenta in corpore perpendit; tertia eadem in diuerſis corporibus diſquirit, atque has tres partes primus tomus continet. Quarta denique pars comparationem

alimen-

alimentorum cum diuerſis corporibus inſtituit. Cum autem hoc argumentum latius exponendum ſit, cuncta ea propter ſeorſim pertractanda a prioribus ſeiunguntur et alteri tomo committuntur.

Primae partis caput primum de eſſentia et proprietatibus eſſentialibus materiae nutritiae agit. Huius materiae character eſt, ut in ſubſtantiam animalem mutari poſſit. Mutatio autem diuerſa eſt, hicque tres in primis conſtituuntur gradus. Primo quaedam in corpore mutantur et ſtatim applicantur; deinde non nulla aliqua mutatione opus habent, qua facta animalis naturam acquirunt; tandem non nulla magna attenuatione opus habent, ut nutriant. Ex his itaque ea tantum corpora, quae mutata iam ſunt, quaeque ulterius in corpore mutari et a natura animali ſuperari poſſunt, ad nutritionem apta eſſe, colligitur. Omne enim, quod naturam animalem ſuperat, hoc eſt, quod non mutatur, ſed mutat, id alimentum non dicitur. Mutatio iſta in eo conſiſtit, ut omne id, quod ſponte in principia reſoluatur, in naturam animalem tranſeat. Singularis autem aut proprius materiae nutritiae character aſſumitur, ſi materies lenem lubricitatem in ſe foueat, nec non in aqua ſolui et mutari poſſit. Cum autem id in mucilagine reperiatur, haec proinde materiem ſiſtit nutritiam. Quicquid itaque hanc poſſidet, id alimentum dici poteſt. p. 13.

Caput ſecundum differentias eſſentiales materiae nutritiae pertractat. Differentiae hae in diuerſo gradu alterationis conſiſtunt; haec autem in maiori minoriue gradu attenuationis verſatur. Differt etiam iſta materies, prout mucilago perfecta vel imperfecta deprehenditur. Perfecta eſt, ubi nullum principium eminet; imperfecta, ubi particulae peregrinae immixtae ſunt, ita tamen, ut praeparationem in corpore animali facta, perfecta demum exſurgat materies.

 ries.

ries. Differentiae praeterea in corporibus animalium quaerendae ſunt. Itaque notetur, materiem magis attenuatam, quam animal, quod ea nutriri debet, ad nutriendum aptam non eſſe, contra, quo denſior eadem ſit, eo magis, ſi concoquatur, nutrimentum praebere poſſe. Ergo diuerſitas mucilaginis plus minus attenuatae, et diuerſitas inſuper corporum animalium reſpectu attenuationis, mutuas materiae nutritiae conſtituunt differentias.

p. 48. Caput tertium naturales, quas materies nutritia patitur, mutationes conſiderat. Materiem hanc mucilaginem inſipidam eſſe, ſuperius dictum fuit, eam vero ex principio terreſtri, ſalino et oleoſo, aqua plus minus mixtis conſtare, iam nunc oſtenditur. Haec, ſi mucilaginem conſtituere debeant, ita inter ſe inuicem iuncta eſſe oportet, ut nullum alterum ſuperet. Antequam vero principia haec miſceantur, varias mutationes ſubeunt, quae in vegetabilibus incipiunt. Quo iunior planta eſt, eo plus abundat aqua et terra, quod ſapor probat; dum autem magis magisque adoleſcit, ſalinum ſe prodit principium, quod in aciditate conſiſtit. Quando demum creſcere deſinunt, oleoſum principium, quod odor prodit, ſe offert, atque hoc ſummus eſt motus ſpontanei effectus. Si enim aqua, terra et ſal cum phlogiſto miſcentur, oleum exſurgit. Quando nunc omnia haec perfecte miſcentur, ita, ut nullum alterum ſuperet, tunc mucilago animaduertitur. Cauſſa mixtionis eſt calor et aqua, utpote quibus motus excitatur, qui iſta principia miſcet. Quo magis aqua abundat, eo tenuior eſt mucilago, quoue autem parcior illa, eo denſior haec apparet, ſed quo denſior mucilago eſt, eo plus aeris recondit: Tandem quo magis ſapor in vegetabili eſt, eo imperfectior iudicatur mucilago; atque ſapor quidem acidus ſalini, amarus vero oleoſi principii abundantiam manifeſtat. At vero aer, qui in mucilagine haeret, ultimae

mae mutationis cauſſa putatur. Quando nunc muci-
lago in animale corpus peruenit, mutatio demum
exoritur, et mucilago magis attenuata redditur.
Cumque motus inſimul adſit, partes ea propter a ſe
inuicem disiunguntur inque alium ſtatum mutantur,
inter quas ſalinae facillime degenerant; unde fit, ut
motu ſpontaneo iſtae extricentur, attenuentur et ſub
alcalini volatilis forma appareant.

Caput quartum mutationes recenſet, quas ars in p. 78.
materie nutritia profert. Prima mutatio mucilaginis,
quae ante excitatur, eſt fermentatio. Haec non
niſi motus ſpontanei continuatio dicitur et eſt parti-
um heterogenearum disiunctio, et homogenearum
combinatio. Cum autem mucilago ex partibus he-
terogeneis conſtet, harum autem perfecta mixtio
materiem nutritiam conſtituat, mucilago proinde
maximam partem nutriendi facultatem per fermen-
tationem amittit. In omnibus tamen minime haec-
ce facultas deſtruitur, ſiquidem non nulla fermenta-
ta ſunt, quae et nutriunt, ut vinum. Quodſi vero
plenaria partium disiunctio fiat, ut in aceti produ-
ctione animaduertitur, tota demum nutriendi facul-
tas aufertur. Mutatio porro in mucilagine per alio-
rum corporum additionem producitur. Ad haec re-
feruntur aqua, oleum et ſales, inter quos acidi pro-
penſionem mucilaginis in ſtatum alcaleſcentem hinc-
que attenuationem impediunt; alcalini contra muci-
laginem ita attenuant, ut coagulari unquam nequeat.
Ad corpora, quae adduntur, referuntur etiam ſapo-
res vegetabiles aceſcentes, qui mucilaginem atte-
nuant et eo diſponunt, ut facilius aſſimilari poſſit.
Tertia tandem mutatio per ignem inducitur. Sed
effectus, qui inde reſultant, pro vario ignis gradu
varii ſunt, inter quos tamen ultimus ſemper ad par-
tium disiunctionem tendit. Ita enim omnes muci-
lagines in aqua ebulliente attenuantur. Licet autem
animalium mucilagines in aqua ebulliente primo

coagulantur, gradu tamen caloris protracto, coagulatio iterum ceſſat. Lenis praeterea ſicci caloris gradus partes etiam disiungit, magnus autem eas plenarie ſeparat et immutat.

p. 106. Caput quintum de corporibus peregrinis, quae cum materie nutritia mixta eſſe poſſunt, deque diuerſis, quae inde proueniunt, combinationibus agit. In omni corpore tum vegetabili tum animali reperitur mucilago, quae vero plus minus pura eſt. Attamen non niſi arte mucilago obtinetur perfecta. Differt enim ea, prout partes ſunt, quae cum ea miſcentur. Ita in non nullis partes acres admiſcentur, inde vis medicamentoſa, aut ſi corpus deſtruitur, venenata ab illis dependet. Harum particularum, in diuerſis corporibus tam diuerſimode mixtarum, cauſſa in corporum organiſatione et vaſorum in primis ſtructura quaerenda eſt. Cauſſas autem, cur peregrinae hae particulae cum mucilagine miſceantur, aut hanc in principia iſta mutent, ſolis calor, tempeſtatum viciſſitudines et climatis varietas ſiſtunt. Sed quaenam partes ſunt in humoribus animalium et ſuccis vegetabilium, quae nutriunt et quae non nutriunt? Materiae nutritiae character primarius eſt, ut ſit in aqua ſolubilis, inque ea ſimul mutabilis. Quodſi nunc partes mucilaginis attenuatae iam ſunt, eae nutrire nequeunt. Ergo requiritur, ut materies minus attenuata ſit, quam corpus, quod iſta nutriri debeat. At, partes, quae non nutriunt, ſunt aqua, terra, oleum et ſal. Licet enim hae partes in mucilagine mixtae reperiantur, eae tamen, ſi una vel altera abundat, non nutriunt. Hinc omne corpus maturum, ſi uno vel altero dictorum principiorum abundat, non nutrit. Sed, accidit ſaepe, ut, ſi quando maturatio facta eſt, quaedam quaſi degenerent; quare etiam ad ea attendendum eſt. Si enim in non nullis aqua difflatur, oritur reſina, quae putredini ideoque mutationi reſiſtit, hinc non nutrit; ſi in

ſi in ſalem aut olea abeunt, talia quoque non nutriunt, quia in corpore animali immutari nequeunt. Ergo particularum perfecta unio, ita, ut inſipidae in aqua ſolubiles et mutabiles ſint, materiem nutritiam conſtituunt.

Pars ſecunda alimenta in corpore animali conſiderat, atque caput quidem primum de nutritione ſeu mutatione alimentorum in corpore animali agit. Alimenta, quae in corpus introducta ſunt, muſculorum, caloris et affluentium humorum ope attenuantur, inque chylum, cum emulſionibus vegetabilium conuenientem, mutantur. Hic, chylus nimirum, nihil niſi partium mucilaginoſarum, quae in alimentis continentur et per copioſum fluidum ſeparantur, extractus liquor eſt, et ex iis tantum elicitur, quae eiusmodi naturae ſunt; hinc ea, quae plus talis materiae fouent, pauciora excrementa relinquere, et magis nutrire, colligitur. p. 137.

Caput ſecundum de aſſimilatione in ſtatu naturali, ſano, agit. Alimenta ſi mutari inque naturam animalem tranſire debent, requirunt, ut coctio in primis viis, ſanguificatio tandemque ſe et excretio humorum optime ſe habeant. Signa ergo ſtatus huius ſani ut pernoſcantur, neceſſe eſt. Corpus robuſtum, ſobrium, quod functiones alacriter, facile et conſtanter perficit, ſigna dat generalia. Specialia in viis primis aliisque quaerenda ſunt. Appetitus igitur bonus, iuſto tempore accedens, ventriculus, absque incommodo digerens, et faecum laeuium, conſiſtentium, inodorarum, ſtato tempore, depoſitio coctionem primam bene peractam manifeſtant. Alteram coctionem ſeu ſanguificationem bene procedere, ex eo cognoſcitur, ſi quando homo de nulla infirmitate queritur, omni momento agilis eſt et iuſto tempore ſomno reficitur. Secretionem tandem bene peractam humorum ſtatus bonus declarat, hunc p. 161.

 vero

vero indicat perſpiratio et urina. Si enim illa bene ſuccedit, et urina decem horis a paſtu bene colorata, aurantia, pellucida, non adeo odora, ſedimento leui aequali pauco cum facilitate emiſſa deprehenditur, ſtatus ſecretionis bonus iudicandus eſt.

p. 183. Caput tertium regulas generales tradit, ad quas, quo aſſimilatio in ſtatu naturali ſeruetur, obſtringere quiuis ſe debet. Regulae generales ſequentes ſunt: 1) Si vires aſſimilantes augentur, neceſſe omnino eſt, ut reſiſtentiae, quae ab illis ſuperari debent, augeantur. 2) Contra ſi vires iſtae diminuuntur, neceſſario reſiſtentiae imminuendae ſunt. 3) Rurſus, ſi reſiſtentiae augentur, vires augendae ſunt, ſique illae diminuuntur, hae etiam minui debent. Motus itaque et ſomni ratio recte ubique habita media, regulas has exercendi, ſuppeditant, atque ſomnus quidem non nimius itidemque motus moderatus, tempore in primis matutino, optime huic rei proſpiciunt.

p. 209. Caput quartum de nimia quantitate alimentorum, in corpus introducta, deque huius incommodis hisue medendi methodo agit. Hic tres gradus conſtituuntur: Primus eſt, quando ab alimentis nimium aſſumtis reſiſtentias ſentimus, ita tamen, ut, niſi crebro id fiat, facile a natura ſuperentur. Secundus eſt, quando natura a pondere, quo obruitur, absque motu extraordinario ſe liberare nequit. Tertius tandem eſt, quando natura pondere opprimitur et, niſi ars ſuccurrat, ſuccumbit. Quod ad primum gradum ſpectat, ubi quantitas ſemel tantum inducta aliqua incommoda profert a natura facile ſuperanda, praeter ventriculi pondus, quod ſentitur, nihil niſi chyli elaborati copia in vias ſecundas transfertur, tuncque ad tempus quaſi oritur plethora, quae autem, tranſpiratione aucta, ſuperatur. Quando vero plus quam ſemel quantitate peccatur, maiora ſtatim incommoda ſentiuntur, et natura motibus extraordina-

ordinariis opus habet, ſi quando incommodis iſtis liberari debet. Mala fere eadem, quae in priori, ſed peiora ſunt: Pondus ventriculi diutius ſentitur, circulatio magis turbatur, propenſio in ſomnum fere continua, reiectio ciborum absque motu vehementi atque ſingultus oritur. Symptomata circulationis turbatae ſunt horror, pandiculatio, oſcitatio, paulo poſt calor et ariditas. Praeter haec et tormina et alui deiectio accedunt, tandem aſthma et, citra manifeſtam cauſſam, a ſomno ſudor. Quando tunc vires fortius reſiſtunt, euacuationes magis auctae euadunt, quaeque ideo in hoc gradu magis quam in illo ſenſibiles ſunt. Quodſi denique ventriculus ultra modum diſtenditur, actio huius ceſſat, reſpiratio difficillima fit, magnum pondus ventriculi ſentitur, ineptitudo ad agendum, facies rubra et affectus comatoſi accedunt. Aſt raro ultra modum diſtenditur ventriculus, crebrius contra accidit, ut plus ingeratur, quam digeri poteſt. Euenit hoc in conualeſcentibus ac infantibus. In prioribus cephalalgia inſignis et febris ſaepe magna, in poſterioribus reſpiratio difficilis, fere ſuffocatiua et motus conuulſiui deprehenduntur, quae mala autem ceſſant, quam primum vomitus vel materiae ſemicoctae deiectio per aluum accedit. Et ſi quoque euacuationes iſtae ſuccedunt, in adultioribus tamen fomes corruptionis inque infantibus viſcida in primis pituita remanet. Sed ex his varia mala. Primo namque circulatio turbatur, quare pulſus inaequales et febris lenteſcens; viſcera dein in primis pulmones chylo, non ſubacto, infarciuntur, inde ſaepe ſuffocatio; in capite tandem ſommus lethargicus et apoplexia ſeroſa. Atque haec cuncta a viſcido collecto dependent. Methodus his malis medendi, in abſtinentia et quiete, ſubiuncto motu moderato ſenſim aucto, conſiſtit. In gradu ſecundo motus in primis matutinus in primo autem motus paululum auctus ſuadetur.

Caput

p. 236. Caput quintum de quantitate alimentorum imminuta deque motibus inde pendentibus agit. Hic conſiderandum eſt, mala, prout gradus abſtinentiae ſe habent, variare. Primus eſt relatiuus, quando nimirum ſtato tempore, ubi quis prandere ſolet, non prandet. Quodſi vero diu quis impranſus manet, maior gradus habetur et mala maiora fiunt. In priori ſubita ſtatim impotentia, tremor et animi defectus eſt, quae autem ceſſant, quam primum cibus aſſumitur. In poſteriori acrimonia putrida et ſumma debilitas oritur; tunc autem ſenſim ſenſimque corpus cibis implendum eſt. Interdum vero acrimonia iſta ita augetur, ut horrenda ſaepe mala et mors accedant.

p. 252. Caput ſextum de alimentis agit, quae praeter virtutem nutriendi, etiam proprietatem, nouas quasdam mutationes in corpore animali producendi poſſident. Cum alimenti character primarius ſit, ut id inſipidum exiſtat; ſignum ea propter eſt, alimentum, ſi plus minus ſapidum reperitur, particulas peregrinas admixtas habere. Harum ſunt, quae in primas vias, aliae, quae in ſanguinem et humores, aliaeque tandem, quae in neruos agunt. Quicquid itaque ſaporem et odorem in alimentis habet, id medicamentoſum eſt. Alimentum vero medicamentoſum ab ipſo medicamento diſtinguas: In illo enim non, ut in hoc eſt, particulae medicamentoſae ſed alimentares eminent. Sed quaenam igitur alimenta conducunt? Id in genere pronunciari non poteſt, ſed ad idioſyncraſiam, tempus aliasque circumſtantias attendendum eſt. Nam, quod robuſto alimentum, id debili ſaepe medicamentum eſt.

p. 267. Tertia pars materiem alimentorum in diuerſis naturae corporibus conſiderat. Hanc, ſcilicet materiem, vegetabilia et animalia ſuppeditant, inde caput primum de differentiis generalibus materiae nutritiae

tritiae in plantis agit. Differentiae hae primo a varietate climatum dependent. Ita enim, ubi vel frigida vel calida, vel calida cum humiditate coniuncta, temperies eſt, mucilago etiam vel attenuata vel ſicca deprehenditur. Dein etiam in regionibus temperatis pro temporum viciſſitudine mucilaginis plantarum diuerſitas eſt. Ita v. g. verno tempore pauca in plantis mucilago, eaque magis attenuata reperitur.

Caput ſecundum de differentiis partium vegeta- p. 279.
bilium ſpecialibus, quatenus ad nutriendum plus minus aptae ſunt, agit. Hic minime de materie nutritia, ſed de alimentis, quae vulgo ſub hoc nomine veniunt, ſermo eſt. Diſquiritur itaque, quae partes vegetabilium particulas peregrinas pauciores, plures contra nutritias habeant; ex quibus materies iſta facilius extrahatur; inque quibus demum eadem ſimplicior magisque animali naturae conformis ſit. Radices materiem nutritiam craſſiorem, atque caules et folia, quae inter plantas alimentares olera audiunt, eandem fere ut illae largiuntur. Aſt notandum hic tempus eſt, quo ad nutriendum apta veniant. Id, non niſi aetate tenerrima fit; in adulta enim prorſus non alunt. In his materies nutritia imperfecta eſt, cum partes nondum unitae ſint et terra et aqua abundent. Flores mucilaginem valde paucam, contra vero plures partes peregrinas actiuas et fere medicamentoſas continent, hinc ad alimenta referri nequeunt. Fructus, ſub quo nomine horaei arborum in primis ueniunt, mucilaginem valde attenuatam et ſaponaceam habent, ita tamen, ut in non nullis aqua, in aliis terra praeualeat. Proprie iſti fructus ad alimenta non pertinent, ſed ad medicamenta, et magis ad anni tempus et climata a natura coordinati eſſe videntur. Aſt ſemina praecipuum nutrimentum ſuppeditant. Horum non nulla plus minus in aqua ſoluuntur, cumque ea fermentant. Alia vero, in aqua non ſoluenda, in ea macerata putreſcunt, haec-

que

que cum aqua trita emulſionem exhibent, quae materiem nutritiam continet. Emulſiones de reliquo plus minus nutriunt, omnis tamen emulſionis nutrientis character in eo poſitus eſt, ut dulcis guſtu reperiatur. Aliam denique ſpeciem ſeminum, ad nutritionem animalis deſtinatorum, conſtituunt cerealia et legumina, quae ultima craſſiores partes continent, craſſioremque hinc mucilaginem nec adeo attenuatam poſſident; quare ea coctu difficiliora ſunt. Illa vero, cerealia nimirum, mucilaginem perfectiſſimam continent, eaque, ut HIPPOCRATES dicit, *alimentum et re et nomine, alimentum maximum in minima mole* ſiſtunt. Cum autem ſemina haec, nondum praeparata, difficilius digerantur, colligendum inde eſt, ſemina haec ad maxime nutrientia pertinere. Aſt cauſſa difficilioris eiusmodi digeſtionis in nimia aquae abſorptione poſita eſt; hinc aqua tantum macerata et praeparata bene tandem digeruntur inque nutrimentum abeunt.

p. 327. Caput tertium de praeparationibus generalibus et ſpecialibus agit, quas materiae nutritiae e vegetabilibus extractae ferre poſſunt. Praeparationum claſſes duae conſtituuntur: Altera eſt, ubi mucilago in ſtatu naturali ſeruatur; altera autem, ubi eadem mutatur et nouam formam induit. Ad priorem referuntur fructuum ſaponaceorum per calorem ſolis aut ignem exſiccatio, cumque aqua eorundem poſthac decoctio, tandem ſuccorum vegetabilium, gummoſorum et mucilagineorum absque aqua extractio, ut ſaccharum, mel etc., ſed praeter mucilaginem et multas partes peregrinas in talibus contineri, notandum eſt. Ad poſteriorem claſſem referuntur praeparationes per fermentationem, quippe qua et potus et victus nutrientes obtinentur. Verum, quo magis fermentatio rite procedit, eo magis productum digeri et nutrire poteſt. Iſta enim in omnibus, quae mucilaginem continent, attenuationem huius

et

et praeparationem efficit. Differt tamen inde or-
tum alimentum; alia enim ſubito nutriunt, ut vi-
num, alia conſtantem nutritionem praeſtant, ut pa-
nis, qui vero pro puritatis diuerſitate etiam in dige-
ſtione variare ſolet. Reliquae praeparationes, quas
guſtus et voluptas excogitauit magis medicae quam
vere alimentares dici poſſunt.

Caput quartum materiem nutritiam ex animali- p. 351.
bus extractam, eiusdemque differentias generales
perpendit. Nutrimentum, quod animalia ſuppedi-
tant, eadem principia poſſidet, quae vegetabilia.
Differt tamen ab eorum mucilagine, animalium mu-
cilago. Magis enim in his, quam in illis, ea attenua-
ta eſt, magis etiam oleoſa minusque terreſtris. Eo-
dem porro minus in aqua intumeſcit, tandem par-
tes mucilaginis animalis multo magis aequaliter mix-
tae ſunt, quam in vegetabilibus. Omnes hae muta-
tiones a motu, quem in animalium organis patitur
mucilago, dependent. Verum motus iſte, in variis
animalibus varius eſt, quare etiam differentia muci-
laginis in ipſis animalibus ſuboritur. Dependent au-
tem differentiae in primis ab aetate, ſexu, viuendi
modo, corporis exercitio locique varietate. Ita enim
alia animalia mucilaginem craſſiorem minusque atte-
nuatam, alia contra attenuatam fouent, hinc mul-
tiplex omnino nutritionis eo pendentis diuerſitas
oritur.

Caput quintum differentias ſpeciales alimento- p. 378.
rum, ab animalibus deſumtorum, exhibet. Hic ad
animalia quadrupeda, volatilia et aquatica in primis
reſpiciendum eſt. Inter quadrupeda diſcrimen faci-
unt cicurata et fera. Illa partes teneriores et muci-
laginem, ad indolem humanam propius accedentem,
continent et magis nutriunt. Haec, fera nimirum,
deliciis tantum hominum fauent, eorumque mucila-
go multum ab hominum mucilagine diſtat. Volati-
lia carnes ſicciores, non adeo nutrientes, ſed facile
digeren-

digerendas habent, ita tamen, ut auium domeſticarum carnes humidiores ſint quam ſylueſtrium. Aſt et inter has quoque magnum diſcrimen eſt, utrum nempe vegetabilibus an aliis animalibus veſcantur. Quae enim alia animalia et putridas in primis carnes deuorant, eae in nutrimentum adhiberi prorſus nequeunt, quia mucilago earum hominum mucilagine multo tenuior eſt. Piſces mucilaginem ut plurimum valde attenuatam habent et caro eorum facile digeritur. Inter piſces, quorum caro mollis facileque digerenda eſt, pertinent hic in primis littorales et ſaxatiles; ad eos vero, qui duram carnem habent et multa excrementa in corpore relinquant, referantur omnes, qui in mari magniſque fluminibus degunt.

p. 397. Quod ad ipſas animalium partes, ceu alimenta, in ſpecie pertinet, eae duplices ſunt; ſolidae nimirum et fluidae. Illae, quatenus ſolidae ſunt, non nutriunt, ſed quatenus fluida in ſe recondunt; hinc plus minus alimenti praebent, prout fluidi copia ſe habet. Inter fluida, ceu alimenta conſiderata primum locum occupat lac, quippe quod chyli naturae accedit et mucilaginem nutrientem magna copia continet. Differt tamen lac, prout animal eſt. Ita enim alia craſſum, alia magis tenue lac habent. Prius coctu difficile eſt, poſterius vero facile concoquitur. Differt de reliquo lac pro vario anni tempore. Cum enim iſtud multum de vegetabilium natura participet, diuerſum proinde enaſcitur alimentum. Differt denique lac, prout vegetabilia ſunt, quibus animal veſcitur.

p. 411. Ad fluida etiam refertur ouum, albumen nimirum et vitellus. Illud totum mucilago eſt, et alimentum valens praebet, quod attenuationem magnam pati poteſt. Vitellus vero partes quidem nutritias continet, ſed oleo abundat et magis ſaponem oleoſum quam verum nutrimentum largitur.

Butyrum,

Butyrum, quod lactis pars eſt, aliquas quidem mucilaginis partes continet, ſed magis oleoſum eſt, hinc non nutrit. Caſeus vero, qui etiam lactis pars eſt, copioſam mucilaginem inſimulque multas partes terreſtres habet. Quo magis iſte durus obtinetur, eo magis alimentum praebet, ſed eo magis quoque coctu difficilis eſt; contra quo mollior deprehenditur, eo magis digeritur, ſed eo minus nutrit. p. 414.

Quod ad ſanguinem attinet, iſte quidem multas partes nutritias, ſed attenuatas continet. Cum vero, ſecundum Cl. Auctoris ſententiam, id tantum huic vel illi animali alimentum ſit, quod humoribus animalis, quod nutriri debet, minus attenuatum deprehenditur; facile hinc intelligitur, cur ſanguis homini alimentum eſſe nequeat. Ex his etiam facile colligendum eſt, quid de reliquis humoribus ſtatuendum ſit. Hi enim, vel, quia multum attenuati ſunt, alimenta eſſe nequeunt, vel, quia aliqua pars, ut in bile oleum, abundat, ob hanc cauſſam alimenta eſſe non poſſunt. p. 417.

Caput ſextum de mixtione animalium inter ſe inuicem, deque alimentis ex animalibus et vegetabilibus inter ſe inuicem mixtis, agit. Hic oſtenditur, quomodo alimenta praeparari debeant, ut magis ſalutaria aut facilius digerenda euadant. Omnes praeparationes vel in conſeruatione vel mutatione in ſtatum meliorem conſiſtant. Quod ad conſeruationem ſpectat, alimenta, ex regno animali petita, vel partibus non nullis peregrinis additis, vel propriis quibusdam ſubtractis conſeruantur. Ita carnes leni igne vel ſole exſiccant, aut ſale quodam condiunt, vel et fumo indurant et a putredine conſeruant. Verum, ita praeparatae carnes vel coctu difficiles ſunt, vel ab additis acrimoniam aliquam concipiunt, hancque ſecum in corpus introducunt. Quod ad mutationem in ſtatum meliorem pertinet, omnis res in eo verſatur, ut vel in aqua decoquantur vel aſſentur. p. 421.

Prior praeparatio ad diaetam humidam pertinet et alimenta, facile digerenda, largitur. Poſterior vero ad diaetam ſiccam numeratur, et alimenta, plurimum mucilaginis continentia, exhibet. De conditis demum, quae ad corrigenda animalia addunt, notandum, ſalem communem principatum tenere, omnibus praeferendum. Reliqua enim palato fauentia magis medicamentoſa quam vere diaetetica aeſtimantur.

p. I. Pars quarta, quae unice alterum tomum conſtituit, primo de differentiis hominum agit. Earum fontes ſunt, regionum et vitae generis diuerſitas. Ita alio corpore Lapponius, alio Afer; rurſus alio ruſticus, alio miles, alio demum, qui ſtudiis dediti ſunt, gaudent. Quod ad ipſa corpora in qualibet regione ſpectat, duplex ubique in genere differentia ſtatuitur; alia eſſentialis, alia accidentalis. Illa ſexum et aetatem reſpicit, haec in corporis colore, forma etc. conſiſtit. Aſt mechaniſmus et organiſatio in omnibus una eademque eſt. Omnium enim corpus ex ſolidis et fluidis conſtat, quorum mutatio ab illis dependet. Pro varia igitur ſolidorum conſtitutione, corpora etiam variant. Hinc fibrarum differentiae notandae ſunt, quae vel in maiori minoriue tenſione, dein in ſenſibilitate et mobilitate, tandem vel in debilitate vel in laxitate vel in firmitate conſiſtunt. Prout autem fibrarum tenſio plus minus augetur, corporis etiam robur varium eſſe ſolet. Solidorum itaque ſtatus diuerſus omnis, quae inter homines eſſe ſolet, varietatis fons eſt. At vero, eaedem hae differentiae, diuerſitatis humorum originem ſiſtunt. Horum enim formatio ab illis dependet; interim tamen humores etiam absque ſolidorum ratione habita differentias conſtituunt, ſi ad acrimonias, quas ſuſcipiunt, attendamus. Nam licet formatio a ſolidis dependeat, aliae tamen cauſſae, ut euacuationes

plus

plus minus maiores, varietas exercitii etc. ſunt, quae inter ipſos humores apud ſingulos differentias conſtituunt. Ita varius humorum ſtatus oritur, prout ſolidorum actio vel viuida et continuata cumque calore inſigni coniuncta eſt, vel inertia in iisdem deprehenditur. In priori caſu humores attenuantur, ſales et olea exaltantur, et acrimonia ſic dicta biliosa oritur. In poſteriori autem nulla fit attenuatio, ſed pituita colligitur, quae tandem acrimoniam concipit et atram bilem ſiſtit. Acrimonia, quae non a ſolidis dependet, vel in materie excrementitia reſorpta, vel in particulis quaerenda eſt, quae, oeconomia animalis turbata, alimentorum uſu minus conuenienti euoluuntur.

His praemiſſis capite primo de differentia regiminis ſecundum diuerſa temperamenta agitur. Horum diuerſitas non niſi a diuerſa principiorum fluidi mixtione ſeu combinatione dependet. In omnibus enim eadem principia, ſed numero et combinatione diuerſa ſunt. Fontes autem, de quibus differentiae iſtae manant, ſunt digeſtio in primis viis varia, dein circulationis humorum et vitae actiones variae, varia tandem fibrarum, excretiones et euacuationes dirigentium mobilitas. Pro varietate itaque harum rerum varia ſolidorum conſtitutio variaque fluidorum mixtio oritur et, prout haec vel illa ſe habet, ita varia temperamenta, ſanguineum, cholericum et pituitoſum gignuntur. Melancholicum vero ut plurimum ſtatus morboſi ideam et intemperiem potius quam verum temperamentum ſiſtit. Diſtinguendum tamen inter ſic dictum temperamentum melancholicum, quod functiones aliqua cum alacritate perficit, et melancholiam, quae verus ſtatus morboſus. p. 90.

Temperamentorum horum quodlibet peculiare regimen poſcit; inde iis, qui ſanguineo temperamento gaudent, ſequentes regulae praeſcribuntur: Cum in his ſolida laxa et debilia ſint, ſanguisue copioſus p. 114.

pioſus in iisdem contineatur, omnia hinc mucilaginoſa non fermentata ob viſcidum non ſuperandum fugienda ſunt; contra, quae facile mutanda, ut fermentata et carnes animalium herbis paſtorum, tenuem mucilaginem continentes atque olera concedantur. Aromata vero omnesque cibi, his conditi, atque ea etiam, quae oleum multum in ſe recondunt, euitentur. Potus ſit vel aquoſus ſolus vel cum pauxillo vini auſteri mixtus: Reliqua ſpirituoſa intermittantur. Corpus denique motu ſaepe exerceatur, quo fibrae firmiores euadant.

p. 124. Bilioſi valida viſcera digeſtionis, fortem vaſorum actionem, fibrarum ſenſibilitatem et mobilitatem notabilem caloremue magnum fouent, euacuationes inſignes patiuntur, inque vaſis humores, ad ſuſcipiendam acrimoniam et ad denſitatem pronos, gerunt. His ieiunia, piſcium omniumque carnium ferinarum eſus, olea et quicquid facile ad putredinem inclinat, interdicantur, atque ſemper diaeta carnoſa parca aeſtimetur. E contrario omnes mucilagines vegetabilium, etiam non fermentatorum, bonae, bona quoque legumina, boni demum fructus ſaponacei indicentur. Potus ſit ſemper aqua, inter fermentata cereuiſiae tenues, inter vina acidulum, tartarum continens; ſpirituoſus de reliquo fere nullus.

p. 135. In pituitoſis vis ventriculi et viſcerum digerentium debilis, fibra laxa, hinc vaſa laxa et ſanguis, viſcida pituita abundans, deprehenditur. Itaque leguminoſa, farinacea non fermentata nunquam, contra panis bene fermentatus et bis coctus, atque plantae, alcalino volatili principio ſcatentes, neque vero fructus ſaponacei concedantur. Caro animalium adultorum bona aeſtimetur, parcius vero iuniorum et nunquam piſces et olea ingerantur. Potus ſit parcus, non aquoſus ſed bene fermentatus, nunquam mere ſpirituoſus et inter vina Burgundicum et ſimilia. Motus ſit moderatus ſed creber.

In

In melancholicis ſolida ſicca fere rigida, hinc actio ventriculi et viſcerum digerentium minus viuida, hinc ſanguis craſſus et terreſtris, inde ſiccitas et frigus. Quicquid itaque difficulter digerendum et facile mutationem ſpontaneam ſubit, id euitandum eſt. Quo circa omnia farinacea non fermentata et leguminoſa exulent. Conuenit panis bene fermentatus, caro animalium, herbis paſtorum, ſerum lactis, vinum album leue, olera et fructus ſaponacei. De regimine temperamentorum mixtorum nihil eſt, quod addamus, cum facile ex hactenus dictis regulae concinnari poſſint. Quod ad conſtitutionem cuiuslibet viſceris in ſpecie attinet, hic prae reliquis ventriculus in cenſum venit. Attendendum itaque eſt, utrum iſte fortis an debilis ſit; inde etiam victus eo coordinandus eſt. In genere tamen ventriculum nunquam inter edendum ultra modum diſtendendum eſſe, notetur. p. 144. p. 159.

Caput ſecundum regulas regiminis in aetate diuerſa diuerſisque vitae periodis neceſſarias tradit. Foeminae corpus debilius laxiusque viris habent, quare etiam ventriculus illis debilior eſt. Itaque omne id vitandum, quod difficulter digeritur. Grauidae parcius ſed ſaepius alimenta facile digerenda ſumant atque, quantum poſſunt, aromatica et ſalina vitent. p. 166.

Infantis, recens nati, victus ſit lac maternum, ſeu ſi nutrix neceſſaria eſt, talis eligatur, quae plura cum matre communia habet. Lac autem animalium aliusque tunc temporis victus reiiciatur. Quantitatem victus pro tenello motus determinat. Itaque ii, qui linteis inuoluuntur parcius nutriantur quam, quorum membra libera moueri poſſunt. Lacte ultra annum nec alio cibo nutriantur, dein alimenta alia non niſi a nutrice, nunquam autem a vetulis maſticata, porrigantur. Reiiciatur omnis cibus, ex farina cum aqua et lacte per coctionem paratus, p. 169.

cuius potius loco panis bene fermentatus cum melle concedatur. Infantes, qui ipſi maſticare poſſunt, atque motu membra exercent, ſolidiora alimenta ſumant, inter quae tamen ſemper ea eligantur, quae facillime digeruntur. Aſt pro incrementi corporisue exercitati ratione alimenta exhibeantur atque oua, mucilagines tenues, bene fermentata, ut panis, panatellae fructusque dulces iſtis pro victu ſint, caro autem animalium cicuratorum parciſſime, nunquam tamen ferorum ingeratur. Potus ſit aqua, euitetur calidus et fermentatus.

p. 195. Qui pubertatis annos attigerunt, ei obſeruent, quae ſanguineis commendantur, et ad adultos quod ſpectat, hi ſecundum temperamentum, clima aliasque circumſtantias alimenta eligant. Regulae, quae ab his obſeruandae ſunt, partim in antecedentibus, partim in ſequentibus reperiuntur.

p. 198. Senibus ſolida rigida et ſanguis craſſus, hinc temperamentum ſiccum et frigidum, ut melancholicis, eſt. Sed duplex ſenectutis diſcrimen. Alia eſt incipiens, alia decrepita. Semper itaque ſalubritas, huiusque prolongatio indicatur. Vt hoc obtineatur, omne id vitandum eſt, quod rigiditatem ſolidorum auget et ſanguinem incraſſat, ut aromata, vinum, exercitia violenta animique affectus vehementes. Diaeta autem ſit tenuis, diluens, parca, carnes facile digerendae, panis bene fermentatus, fructus ſaponacei, vinum aqua dilutum, motus in primis in agris moderatus atque balnea. In ſenectute decrepita diaeta ſit humectans, panatellae, iuſcula, decoctum fabarum cacao, Chocolat dictum, nec non vinum tenue parciſſime ſpirituoſum. Singula horum parcius ſumantur; poſt prandium corpus quieſcat, dein motus in aere humido leniſſimus ſuſcipiatur.

p. 207. Vita prolongatur ſi mature diaeta tenui humectante, exercitiis moderatis quis utatur, omniaque obſeruet, quae fibris mollitiem et humiditatem conciliant.

ciliant. Cum vero nobis nati non ſimus, ſed ut alter alteri inſeruiat, fit inde, ut regulas, vitae prolongationi inſeruientes, vix unquam obſeruemus. Itaque regulae traduntur, ſecundum quas in vario vitae genere diaeta coordinanda eſt. Duplex igitur attendatur vitae genus: alii vitam ſumme exercitatam, ut milites, ruſtici idque genus alii tranſigunt. His ſit diaeta dura nec victus mollis, ſed difficulter alias digerendus. Alii, ut artifices, vitam ſedentariam agentes, conſtitutionem prioribus fere contrariam habent; hinc diaeta mollis, victus facile digerendus, nec aceſcens, potus aquoſus vel nullus, vel vino generoſo mixtus concedatur. Cumque foeminis ſimilis fere conſtitutio ſit, eadem etiam ab his obſeruari debeant.

Eruditi, qui, praeter vitam ſedentariam, animam laboribus fatigant, corpus ea propter debilius reddunt: In primis autem in his functiones, digeſtioni dicatae, langueſcunt; inde diaeta ſingularis obſeruanda. Poſt prandium nec ſomnus nec exercitium conuenit, ſed corpus quaſi otioſum eſſe debet. Victus ſit tenuis, mucilaginoſus, facile ſubigendus, panis optime fermentatus beneque coctus. Olera magis quam fructus nec non aues iuniores et tenerae carnes animalium teneriorum, fructus cocti atque vinum album molle optime conueniunt. Motus tempore matutino optimus. p. 233.

Caput tertium de differentiis regiminis, quod climata et anni tempora requirunt, agit. Varia climatum annique temporum atque caloris in corpus mechanica actione expoſita, regulae traduntur, quae, calore praeſente obſeruandae ſunt. Vt itaque fibrarum ariditas ſanguinisque condenſatio praecaueatur, alimentis liquidis, multam aquam in ſe recondentibus, acidis, ſaponibus plantarum acidulis, cibis mollioribus, leguminibusque recentibus utendum eſt. Diaeta carnoſa parca ſit, et non niſi animalium, p. 246.

 herbis

herbis paſtorum caro concedatur, farinae vero et quicquid facile putredinem ſuſcipit, euitetur, nec unquam cibo oneretur ventriculus. Potus, Chocolate, habito reſpectu corporum, interdum concedatur, contra omne oleum, butyrum, iuſcula atque aromata euitentur. Potus ſit aquoſus cum tenui vino acidulo mixtus, vel et cereuiſia tenuis hisque ſimiles. Inter edendum potus ſit parcus, poſtea vero hauſtus crebriores ſumentur. Quod ad frigidos potus ſpectat, hi ſane conueniunt, ſed non niſi circumſpecte, et rebus bene ponderatis, exhibendi ſunt. Potus, gelu artificiali frigefacti, inter cibandum prorſus interdicantur, de reliquo autem eadem cautione concedantur. Motus ſit moderatus, de die nullus, in primis autem ad meridiem omnis labor, omnia exercitia vitentur. Tempore nocturno ſomno reficiatur corpus.

p. 302. Quando calor cum humiditate coniunctus eſt, regimen fere medicamentoſum obſeruandum eſt. Talis aeris conſtitutio putredini cum faueat, antiputredinoſa hinc, aromatibus iuncta, exhibeantur. Conueniunt etiam acida mineralia, itidem cum aromatibus combinata, motus dein moderatus, balnea frigida et ſomnus breuis, exercitium vero veneris prorſus nullum.

p. 309. In frigore leuiori liquores fermentati, vinum, caro et farinacea paulo craſſiora conducunt. Quando autem humiditas cum hoc gradu coniuncta eſt, ambulatio, frictio cum motu, ſomnus breuis, diaeta ſicca, vina generoſa, farinacea bene fermentata beneque cocta et aromata conueniunt. Acida vero, oleoſa, lacticinia et potus copioſi vitentur. In frigore magno ſomnus longior, victus parcus, magis ſiccus quam humidus, carnes attenuatae, alimenta aromatibus condita, motus crebior ſed nunquam tempore digeſtionis, vinum meracum, potus de reliquo nec calidus nec frigidus ſuadeantur. In frigore

gore tandem extremo motus fortis, protractus, ſomnus longus, potus parcus vinoſus, alimenta pauca ſicca, ut piſces et caro vel ſalita vel fumo indurata etc. conducunt.

Tempore vernali ſobrietas utilis eſt; vinum et omnes potus generoſi, hyeme uſurpati, ſenſim intermittantur atque, vere ad finem properante, prorſus exulent. At carnes animalium herbiuororum tenerae, farinacea bene fermentata nec non herbae recentes tenerae concedantur. p. 339.

Tempore autumnali omne id vitetur, quod ad putredinem inclinat, contra fructus ſaponacei, ut pyra, pruna, etc. exhibeantur. p. 343.

In regionibus, ubi omni die calorem magnum intenſum ſub nocte frigus excipit, mane corpus contra calorem per antiputrida muniendum et ſemper attendendum eſt, ut perſpiratio bene ſuccedat. Tempeſtate procelloſa vel nullus cibus vel paucus ad modum aſſumendus eſt. p. 345.

Regimen tempore contagioſo ſequens obſeruetur: Vitentur omnes carnes, piſces, aromata fortiora atque potus acres ſpirituoſi, in primis autem ieiunium. Contra antiputredinoſa, ut omnia acida, acidula et vegetabilia concedantur. Ventriculus cibis non oneretur, ſed vino albo roboretur, hilarisque de reliquo ſemper ſit animus. p. 351.

Caput quartum regimen in morbis acutis tradit. Vt hoc rite obſeruetur, morbos in principio, incremento, vigore ſummo et decremento conſiderandus eſt. Victus ſemper tenuis indicatur. HIPPOCRATES in principio pulten, ex hordeo cum aqua paratam, in incremento cremorem ſeu florem iſtius decocti, in vigore meram tantum hordei decoctionem vel aquam puram cum melle et aceto, ſub finem vero ptiſanam paulo ſpiſſiorem exhibuit. Noſter, omnem diaetam carnoſam, etiam iuſcula, in morbis eiusmodi proſcribens HIPPOCRATI omni p. 356.

 ex

ex parte ſuffragatur, paululum tamen ab eo recedens loco hordei panem bene fermentatum cum aqua decoqui et in principio et incremento propinari iubet, inque vigore fructus acidulos ſaponaceos commendat. Sub finem autem morbi victum vegetabilem continuandum eſſe, praecipit, ita tamen ut iſte nutriens magis, fortior et aromaticus paullo exhibeatur.

p. 388. Caput quintum viuendi rationem in morbis chronicis exponit. Hic triplex morborum diſcrimen conſtituit Noſter. Primo morbos chronicos actiuos nuncupat, h. e. ubi natura malo ſe liberare annititur. Dein morbos paſſiuos vocat, h. e. ubi natura quaſi quieſcit et non agit. Tandem morbos nominat, quorum radices in nullo viſcere quaerendae ſunt, ſed qui a tono plus minus aucto neruorum dependent et neruoſi dicuntur. Regulae diaeteticae generales hic ſunt, ut primo alimenta eligantur, quae debilitati organorum digeſtionis non obſtant. Dein ut alimenta morbi diuturnitati proportionata ingerantur, nec corpus impurum ultra neceſſitatem nutriatur. Tandem ut alimenta ſtatui naturali proportionata aſſumantur. Singuli horum morborum peculiare regimen poſcunt.

p. 406. Morbi chronici actiui vel cum vel ſine febre ſunt. Si febris adeſt, ea vel ſalutaris vel ſymptomatica habetur et noxia. Vbi prior eſt, mucilagines fermentatae, attenuatae, facile digerendae exhibeantur. Carnes in regula vitandae ſunt, ſed cum conſuetudo eas poſcat, tales eligantur, quae ad indolem humanam accedunt, ut pulli, verueces, piſces ſaxatiles etc. carnes vero aſſatae coctis praeferantur. Aſt panis alimentum praecipuum ſit, cui mucilagines fructuum iungi inſimul poſſunt. Vitentur leguminoſa, farinacea non fermentata et omnia oleoſa. Potus ſit parcus, aquoſus, pauxillo vini mixtus. Vbi febris ſymptomatica a reſorptione eſt, tale eligatur alimentum, quod ad naturam humanam propius accedit,

dit, nec adeo digeſtione et attenuatione opus habet; cui ſcopo lac animalium, naturam animalem iam expertum, ſatisfacit. Morbi actiui, ubi nulla febris eſt, requirunt alimenta demulcentia et talia, ubi nullum principiorum, alimentum conſtituentium, eminet. Plura hic ſuppeditat natura, ſed valde viſcoſa, quae attenuanda prius et praeparanda ſunt. Hinc lac iterum commendandum venit, quod et alimentum et medicamentum in hoc caſu ſimul eſt.

In morbis chronicis paſſiuis, h. e. ubi inertia p. 421.
fibrarum eſt, et humores partim nimis tenues, partim nimis craſſi ſunt, alimenta magis corroborantia, quam vere nutrientia, ut vinum fortiſſimum et ſuccus carnium valentiorum vel carnes ipſae cum leguminibus calidioribus ceu aromatibus exhibeantur. In eo autem caſu, ubi actiones difficillime perficiuntur, ut in ſcirrhis et viſcerum obſtructionibus, alimenta parcius ingerantur et talia, quae facile digeruntur. Reliqua, ut in iis, qui debili fibrarum genere inſtructi ſunt, obſeruentur.

In morbis neruoſis duplex diſcrimen aſſumitur. p. 425.
Alii ſunt, ubi extraordinaria tenſio et ariditas fibrarum neruearum deprehenditur. His conducit diaeta humectans, diluens, tenuis, refrigerans, balnea et exercicitia moderata. In aliis, ubi ſpirituum tantum ataxia ſeu influxus inordinatus, his ventriculus primo roborandus eſt, deinde autem aromata et corpora, particulis terreſtribus valde attenuatis praedita, et vina exhibenda; diluentia vero, ſaponacea potusque copioſi fugiantur.

VII.

Recueil des pieces, qui ont concouru pour le prix de l'academie royale de Chirurgie. Tom. II. à Paris chez la Veuve Delaguette. 1757. 4to mai. alph. 4.

h. e.

Collectio diſſertationum, quibus de praemio, in academia chirurgiae obtinendo, concertatum fuit. Tom. II. etc.

Laudandi huius inſtituti rationem ſupra * iam, cum primi Tomi recenſionem exhiberemus, reddidimus, hinc nihil ultra monendum habemus, praeter id, quod quaeſtiones ab anno huius ſeculi quadrageſimo tertio ad quadrageſimum ſeptimum uſque propoſitae in ſecundo hoc Tomo ventilentur, cuius ſummam iam nunc expectes.

Primam quaeſtionem anno 1743 de *remediis emollientibus, eorum agendi ratione, diuerſis ſpeciebus et uſu, quem in morbis praeſtent*, propoſitam explicauit et anno ſequenti praemium obtinuit Cl. GRASSOT.
p. 3. Quaeſtionem hanc in quatuor partes Cl. Auctor diuidit et primo quidem diſquirit, quid ſub remediis emollientibus intelligendum ſit. Emollientia dicuntur, quae partibus ſolidis, nimis tenſis, mollitiem conciliant, dolores mitigant, inflammationes ſedant et liquores inſpiſſatos fluidos reddunt, eosdemque vel ad reſolutionem vel ad ſuppurationem diſponunt. Horum omnium tres a Noſtro conſtituuntur claſſes, quarum prima emollientia anodyna, altera emollientia reſoluentia et tertia maturantia comprehendit. Emollientia anodynam vim praeſtant, ſi fibrarum et filamentorum nerueorum tenſio remediis applicatis ceſſat, quod fit, dum multae particulae,

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. III. p. 494.

ticulae, valde fluidae, per poros ſe inſinuant et fibras relaxant. Remedia, quae id praeſtant multum aquae et olei, paruam vero portionem ſalis continent. Emollientia reſoluunt, ſi quando, fibrarum tenſione p. 10. ſublata, obſtructa ob auctam vaſorum diametrum reſerantur, et humores craſſi ita attenuantur, ut ruptura vaſorum praecaueatur. Remedia, quae huc ſpectant, minorem aquae portionem, aſt oleum magis attenuatum magisque penetrabile ac maiorem ſalis copiam, quam prioris claſſis remedia, continent.

Emollientia maturantia ſunt, ſiquando materies p. 14. obſtructionum, non reſoluenda, talibus applicatis eo diſponitur, ut liquores craſſi obſtruentes, ruptis vaſis, emiſſi, una cum his miſcentur, attenuantur et in pus bonum mutantur. Remedia huc ſpectantia parum aquae, multum olei, maximam autem copiam ſubſtantiae mucilaginoſae, gummoſae et terreſtris, nec adeo multum ſalis continent.

Quod ad ipſas emollientium ſpecies pertinet, in- p. 18. ſignis copia a Cl. Auctore adducitur, e quibus pauca duntaxat exempli loco commemorare liceat. Ita ad primam claſſem, anodynorum nimirum, talia referuntur, quae et multum aquae et olei ſimul habent, ut ſolanum, mandragora etc. atque ex compoſitis aqua liliorum, roſarum vel et oleum nympheae, ſolani, hyoſcyami etc. Alteram claſſem conſtituunt, quae minus aquae, contra plus olei cum pauco ſale continent, ut ex ſimplicibus, melilotus, chamomilla, ſambucus, ex compoſitis oleum roſarum, unguentum neapolitanum, emplaſtrum diachylon etc. Tertia claſſis maturantia comprehendit, talia nimirum, quae paruam copiam aquae, magnam olei et maximam mucilaginis cum ſale volatili continent, ut ex ſimplicibus maluae omnes, althaea, porrum, allia etc. ex compoſitis oleum lini, unguentum populeum, emplaſtrum de mucilaginibus etc. Remedia p. 29. haec emollientia varia ſub forma, ut in balneo, fomenta-

mentatione, iniectione, cataplaſmate, inunctione etc. applicantur, eorumque uſum varii inflammationis gradus determinant. Cumque ipſae inflammationes pro diuerſitate partium atque etiam tempore diuerſo varient, diuerſa proinde emollientium applicatio attendenda erit. Ita v. g. in principio eryſipelatis aqua calida in fomentatione applicatur, et ſi inflammatio et ſymptomata augentur, fomentum ex malua, meliloto, chamomilla etc. cum aqua decoctis adhibetur, ſique ſymptomata ceſſant, ſeque ad reſolutionem determinat eryſipelas, emollientia reſoluentia et leniſſime ſpirituoſa conducunt, ſin vero ad ſuppurationem tendit, emollientia maturantia applicanda ſunt. Sed ſuperſedemus his, quae exempli loco tantum adduximus; ſumma enim eorum, quae dicta hic ſunt, absque iactura vix tradi poteſt.

p. 43. Eandem quaeſtionem declarauit Cl. GVYOT, et primo quidem, quid emolliens ſit, expoſuit. Quicquid partes corporis humani, duritie aut tenſione contra naturam praeditas, emollit et relaxat, id omne a Noſtro dicitur emolliens. Vt autem emollientium actio clarius intelligatur, non nulla prius de humorum corporis humani natura, deque ſolidorum indole et actione praemittuntur, dein autem oſtenditur, quomodo omnis tumor aut durities vel a vitio ſolidorum, vel humorum, vel ab utriſque ſimul dependeat. Si ſolida peccant, omnia humectantia, relaxantia, anodyna et ſtimulantia in hoc caſu emolliendi vim praebent, ſique fluida in cauſſa ſunt, emolliendi facultatem exſerunt, quae euacuant, diluunt, attenuant et reſoluunt.

p. 52. Omnia emollientia ſunt vel ſimplicia, h. e. talia, quae natura largitur, aut compoſita, ſi plura ſimplicia inter ſe inuicem miſcentur. Simplicium quatuor conſtituuntur claſſes; diuiduntur nimirum in aquoſa, oleoſa et pinguedinoſa, mucilaginoſa tandem

dem ſaponacea. Quaelibet harum iterum in diuerſas claſſes diuiditur, prout nimirum maior vel minor copia particularum peregrinarum immixta eſt. Inter aquoſa palmam omnibus praeripit aqua fontana, fluuialis et pluuialis: Reliquae ſpecies aquae vix emolliunt, imo interdum duritiem augent. At requiritur tamen, ut aquae priores, ſi emollire debeant, nec frigidae nec calidae ſint; ſed calorem temperatum foueant, quia alias nunquam talem vim, ſed contrariam praeſtant. Aqua itaque moderate calida ſub forma balnei, vaporis, fomentationis et embrocationis applicanda eſt. Pariter huc ſpectant thermae, plantae ſucculentae calefactae, ſerum lactis et vapor animalis viui. Ad oleoſa referuntur olea expreſſa, reſinae liquidae, non autem ſolidae, bitumina et animalium pinguedines, de quibus ultimis notandum eſt, eas, ſi adhibeantur, recentes nec in principio inflammationis applicari debere. Ad mucilaginoſa, h. e. quae ex oleo, aqua, particulis terreſtribus et ſale quodam ammoniacali ſeu alcali fixo mixta ſunt, pertinent ſucci vegetabilium mucilaginoſi minus condenſati, ut althaeae, gummata, ut ammoniacum et ſucci mucilaginoſi viſcoſi animalium, ut lac et gelatinae ex partibus extractae. Ad ſaponacea naturalia referuntur ſucci vegetabiles, ut ſaccharum, ſucci fructuum maturorum, ut pyrorum vel herbarum, ut ſaponariae, ex regno animali mel, bilis, ſaliua et excrementa animalia, ut vaccae. His adductis ad emollientia compoſita, h. e. quae ex pluribus emollientibus, inter ſe mixtis, conſtant progreditur Noſter, haecque cuncta vel ſecundum materiam vel ſecundum diuerſam conſiſtentiam conſiderat. Prioris generis quaedam ſunt oleoſa, ut olea compoſita et unguenta, alia aquoſa et mucilaginoſa ut cataplaſmata. Quod ad genus poſterius ſpectat, alia ſunt fluida ut olea, fomentationes, alia minus fluida, ut mucilagines, linimenta, alia craſſa ſed

mollia

molliа ut emplaſtra. De omnibus his exempla adducuntur, quae vero, ne nimis longi ſimus, omittimus, de cataplaſmatum tamen uſu notamus, ea paululum calida nec adeo craſſa applicanda et ſaepe renouanda eſſe, ne ſuper partes ſiccescant. De emplaſtris notandum eſt, plurima quidem attenuare, maturare et reſoluere, neque vero ſtricte emollire, dari tamen, quae emolliant, ut diachylon magnum,
p. 76. cum gummi etc. Emollientia in variis morbis egregium auxilium praeſtant et, habita ratione morbi, diuerſimode applicari poſſunt. Ita enim in inflammationibus, ſcirrhis benignis et confirmatis, tumoribus mammarum duris, luxationibus inueteratis, anchyloſi, contractura et rigiditate muſculorum tendinumue, ambuſtione emollientia ſub hac vel illa forma applicanda ſunt. Aſt dantur quoque remedia emollientia ſpecifica, ut mercurialia in tumoribus venereis et emplaſtrum diabotanum in tumoribus tunicatis. Tandem etiam notandum, emollientia cum anodynis, reſoluentibus aliisque coniungi poſſe, prout morbi indoles aliaeque circumſtantiae id requirere videantur.

p. 83. Hanc ipſam quaeſtionem etiam Cl. LOVIS declarauit. Emollientia a Cl. Auctore vocantur, quae ſolidas partes, nimis tenſas, relaxant et emolliunt, quaeque fluiditatem liquoribus conciliant. Licet autem difficile ſit, emollientia in certas quasdam claſſes redigere, ea tamen, ſi ad effectum eorum et obiecta, in quae agunt, attendamus, in anodyna reſoluentia et relaxantia diuidi poſſe, animaduertimus. Quod ad anodyna pertinet, ea probe a narcoticis diſtinguenda ſunt, quippe quae non cauſſam morbi, ſed ſpirituum influxum ad tempus tollunt, illa vero, dum fibras relaxant, tenſionem et adeo cauſſam doloris auferunt. Cum autem in inflammatione ſanguis vaſa non rubra intret, haecque infarciat

ſarciat atque diſtendat, non poteſt inde fieri, quin ſimul oriatur dolor. Itaque fibrae relaxandae ſunt, quo fluidum liberius tranſire poſſit; id vero emollientia ſic dicta anodyna praeſtant, quippe quae ob mucilaginem aquoſam, quam poſſident, et ob calorem, qui eiusmodi remediis conciliandus eſt, per poros ſe inſinuant, fibras irrorant, minus ſenſiles reddunt et humores rarefaciunt. Referuntur huc aqua tepida, lac, althaea, malua etc. quae ut ſimplicia, vel etiam ut compoſita applicari poſſunt. Inter illa ſimpliciſſimum remedium aqua eſt tepida, poſt hanc lac tepidum, quae utraque in tumoribus inflammatoriis inſignem opem afferunt. Si cum his plantae coniunguntur, et ſub forma cataplaſmatis applicantur, emollientia tunc compoſita habentur. Talia autem cataplaſmata ſaepius renouanda ſunt, quia alias facile aceſcunt, tuncque plus nocent, quam proſunt. Inter partes, quae inflammantur, ſunt quaedam, quae emollientia anodyna leniſſima requirunt, ut oculi et faucium cauitas, pro quo ſcopo lac, vel ſolum, vel cum plantis, optime conuenit, imo inflammationi oculorum egregie pulpa pomorum medetur.

In tumoribus duris et ſcirrhoſis emollientia ano- p. 94.
dyna in principio quidem adhiberi poſſunt, ſed ad curationem non ſufficiunt, hinc emollientia reſoluentia ceu efficaciora eligantur. Mere reſoluentia huic ſcopo non ſatis faciunt, imo nocent, talia vero, quae praeter partes reſoluentes etiam emollientes poſſident, ut ex ſimplicibus crocus, chamomilla, melilotus etc. maxime vero gummata, ut galbanum, bdellium etc. et ex compoſitis emplaſtrum Vigonis, ſaponatum, de cicuta etc. optime conueniunt. In horum autem applicatione cautione opus, et in primis ad tempus, idioſyncraſiam aegrotantis, partem affectam et cauſſas tumorum ſcirrhoſorum attendendum eſt.

p. 99. Tertia emollientium claſſis relaxantia continet, h. e. quorum particulae lubricantes intra ſolida ſe inſinuant, a ſe inuicem disiungunt, eadem irrorant et emolliunt. Simplicia talium remediorum mitiſſima ſunt butyrum, pinguedo pulli et vituli, oleum lini, amygdalarum etc. et quae inſimul reſoluunt, ut pinguedines vulpis et caprae. Quae vero parum emolliunt pinguedines, ab iis animalibus deſumuntur, quorum oleum valde attenuatum et penetrabile eſt, ut in leone et tauro. Compoſita ſunt unguentum de althaea, oleum lumbricorum, emplaſtrum diachylon et alia. Nocent iſthaec remedia in inflammatione cutis, in vulneribus vero, ſclopeto inflictis, in inflammationibus internis externe applicata, in hernia incarcerata, in morbis oſſium, ubi emollitione opus, in luxationibus imo in fracturis, ad emolliendum callum et partes in priſtinum locum collocandas, conueniunt.

p. 105. Quaeſtio anno 1744 propoſita a Cl. LOVIS declarata fuit, cui etiam praemium adiudicarunt. Verſatur autem in eo, ut definiatur, *qnid remedia anodyna ſint, quomodo agant, qua ratione ſecundum ſpecies varient, et in quibusnam morbis chirurgicis adhiberi debeant.* Quaeſtio in duas partes diuiditur; in priori de natura anodynorum, eorum diſcrimine et agendi modo agitur, in poſteriori autem variae formulae pro uſu in morbis adducuntur, inſimulque recta earundem in morbis adhibendi ratio declaratur. Praemiſſa doloris theoria variisque de eodem ſententiis adductis aſſeritur, formalem doloris et ſymptomatum inde prouenientium cauſſam ab inordinato fluidi neruei influxu, partibus neruoſis irritatis et diſtentis, dependere. Differunt autem dolores, prout partes maiori vel minori filamentorum nerueorum copia praeditae ſunt, vel prout gradus eſt, quo partes afficiuntur. Ita dolores vel grauatiui, vel pulſantes

tes, vel tenſiui, vel denique lancinantes ſunt. Omne itaque remedium, quod efficit, ut dolores ceſſent, anodynum dicitur, quorum tres conſtituuntur claſſes. Prima ea, quae fluida infarcta diluunt et ſolida nimis tenſa relaxant, continet, atque haec ſunt ſtricte ſic dicta anodyna; ſecunda talia exhibet, quae absque eo, ut ſopiant, ſedant, haecque ſedantia dicuntur; tertia demum ſtupefacientia comprehendit, h. e. quae dolores ſedant, dum partium aut corporis ſenſum obtundunt. Prima triplex anodynorum genus exhibet; alia ſunt aquoſa et diluentia, ut aqua, lac, ſanguis et fructuum quorundam v. g. pomorum coctorum pulpa etc. Omnia haec liquores infarctos diluunt et extrauaſatos eo diſponunt, ut facile in reſolutionem ſpontaneam h. e. putredinem abeant, hinc in contuſionibus non conueniunt. Alia ſunt mucilaginoſa et emollientia ut gummata, folia verbaſci et alia. Haec, cum magnam partem aquae contineant, in fluida agunt inſimul autem ſolida quodammodo relaxant, hinc in ulceribus vulneribusque, ubi tenſio, dolor et calor, nec vaſa ultra tonum a fluidis infarctis diſtenta ſunt, conueniunt. Alia demum ſunt oleoſa et relaxantia, quorum particulae fibrarum texturam penetrant, eas lubricant et relaxant. Haec, quae non niſi recentia exhiberi debent, in tenſionibus partium dolorificis, ut peritonaei inflammatione, exterius inuncta conueniunt; nocent vero ubi partes externae inflammatae ſunt.

Altera claſſis anodyna ſedantia, et quatuor eo- p. 1
rum ſpecies continet. Quaedam nimirum ſunt antiſpaſmodica, ut camphora, quae in ſpiritus animales agit, fibrationes conuulſiuas neruorum ſedat et putredini reſiſtit, inde ea in contuſionibus bonam opem fert. Alia ſunt reſoluentia ut flores meliloti aliaque, quae in humores in primis agunt eosque attenuant. Hinc talia uſurpanda, ubi et reſolutio et mitigatio ſimul indicatur. Alia porro ſunt in craſ-

ſantia, quae partibus viſcoſis praedita, ut ſperma ranarum, portulaca etc. ſolida illiniunt et ſuccos irritantes inuiſcant. Alia tandem ſunt exſiccantia, quae materiem acrem abſorbent et impediunt, quo minus ſolida irritet, atque hic in primis plumbum eiusque praeparata ſpectant.

Tertia claſſis narcotica, h. e. quae partes ſenſu ad tempus priuant, continet. Haec omnia, ut opium, cynogloſſa etc. externe vix et non niſi in caſu urgente, tuncque valde circumſpecte adhibenda ſunt. Cum enim calidae indolis ſint, ea irritant et dolorem excitant.

p. 129. Pars poſterior uſum anodynorum in morbis, inſimulque formulas talium remediorum continet. Anodyna, in genere conſiderata, in omnibus morbis, ubi dolor eſt, locum inueniunt, cumque variae eorum ſpecies ſint, itidemque morbi et partes affectae varient, Noſter ideo oſtendit, in quonam caſu et ſub quibusnam conditionibus anodyna applicari debeant. En itaque morbos, quos dolor comitatur et cui medendum eſt! In inflammatione praeter venaeſectionem, quae optimum anodynum hic eſt, cataplaſma ex mica panis, lacte et croco dolorem ſedat. In quibusdam autem inflammationibus, ut parotidibus, bubonibus aliisque tumoribus criticis, ubi ſuppuratio neceſſaria eſt, talia cataplaſmata anodyna
p. 135. non conueniunt, ſed eligenda ſunt maturantia. In eryſipelate et omnibus inflammationibus ſuperficialibus fomentationes ex lenientibus, ut decocto althaeae vel decocto chamomillae et meliloti profunt. In
p. 136. ophthalmia attendendum eſt, utrum cauſſa externa, an interna ſit; in priori collyrium anodynum reſoluens ex aqua roſarum et plantaginis cum croco, ſique tunc inflammatio non ceſſat, ſola anodyna lenientia, ut lac et ſanguis columbi, ſuper impoſito cataplaſmate ex pulpa pomorum coctorum, vitello ouorum, pulpa caſſiae recenti, mucilagine ſeminum pſyllii

pſyllii et althaeae cum pauxillo hordei applicanda ſunt. Si inflammatio ex illapſo corpuſculo oritur, hoc educto, guttae dein aliquot collyrii, ex aqua roſarum, plantaginis et foeniculi cum ſaccharo ſaturni et croco parati, immittantur. In ophthalmia a cauſſa interna curatio variat. Ita in ophthalmia phlegmonode anodyna reſoluentia in principio, lenientia in progreſſu, inque ſtatu fere eadem, quae in ophthalmia a cauſſa externa, commendantur. In ophthalmia ſeroſa ſedantia proſunt, quae nimirum vaſorum tonum reſtaurant et lachrymarum acrimoniam abſorbent, ut collyrium ex aqua roſarum, plantaginis et ſolani off. cum vitriolo albo et tutia, ſuper impoſito cataplaſmate ex decocto florum chmamomillae. In coniunctiuae inflammatione, ex materie ulcerum orta, abſorbentia et exſiccantia, ut tutia et vitriolum album, conueniunt. In angina praeter venaeſectio- p. 141.
nem et humectantia et relaxantia interne ſumta, quae maxime neceſſaria, etiam gargariſmata acidulata, quae in principio adhibenda, intermittenda autem ſunt, ſi malum progreditur, atque tunc lac tepidum opem ferunt; ſin vero ob tenſionem et inflammationem magnam gargariſatio impoſſibilis, cataplaſma reſoluens ex nido hirundinum cum foliis maluae et violae, radice althaeae et liliorum, ficubus, floribus chamomillae et meliloti, farina hordei, ſeminis lini et foenu graeci, croco, butyro recenti, oleo chamomillae et amygdalarum dulcium paratum, exterius applicandum eſt.

In haemorrhoidibus dolentibus venaeſectio et p. 143.
remedia interna optima hic iudicantur, laudatur tamen decocti, ex foliis maluae, althaeae, parietariae, violae et verbaſci, floribus chamomillae et meliloti, ſeminibus lini et foenu graeci cum aqua parati, vapor per infundibulum ad partem dolentem admiſſus.

In paronychia inter topica remedia cataplaſma p. 146.
ex mica panis, cumque ea ſaepe ad ſuppurationem

tendat, maturantia, anodynis mixta, applicanda ſunt.

p. 148. In inflammationibus albis, ſeu lymphaticis, praeter purgantia, etiam cataplaſma ex mica panis ſimul adhibitum laudatur.

In podagra, rheumatiſmo et doloribus arthriticis, qui omnes inflammationis albae ſpecies ſunt, ſi externa requiruntur, linimentum ex vitello ouorum cum oleo roſato, ſuper impoſito cataplaſmate ex mica panis, lacte, mucilagine ſeminis althaeae, farina ſeminum lini et foenu graeci, puluere florum chamomillae et meliloti, croco et oleo roſato ſuadetur. Sin vero dolor extremus, caute tunc fomenta, ex aqua cum ſtupefacientibus, ut hyoſcyamo, mandragora etc. parata, applicanda ſunt. Maxime vero embrocationes una cum pinguedine humana, oleo lumbricorum etc. adhibitae laudantur.

p. 150. In vulneribus in primis neruorum et tendinum emollientia et relaxantia, ut oleum terebinthinae calefactum conuenit. Vbi autem poſt vulnera rigiditas et dolores rheumatici in membris remanent, tunc optimo cum fructu aquae thermales ſuadendae ſunt. In ulceribus dolentibus abſorbentia et exſiccantia, ut linimentum ex unguento populeo, roſato, de ceruſſa et oleo cerae conuenit. In combuſtionibus folia, ſambuci ſeu ebuli cum axungia porcina cocta, vel unguentum populeum aut oleum nucis chartae molli inunctum et tepefactum maxime ad compeſcendos dolores laudantur. Et ſi magna inflammatio ſuperuenit, cataplaſma ex mica panis ſuperimponendum ſuadetur.

p. 157. Eadem haec quaeſtio, quam exponendam quoque ſumſit Cl. GAYOT, in tres partes diuiditur. Prima de dolore, eius cauſſis, partibus huic obnoxiis deque eius effectibus agit. Secunda remedia anodyna, eorum agendi modum et diuerſas ſpecies conſiderat.

derat. Tertia tandem uſum exponit, quem anodyna in morbis chirurgicis ſecundum genus, cauſſas, ſymptomata et diuerſas partes, quas infeſtant, conſideratis, praeſtent. Dolor eſt complurium morborum, tam internorum, quam externorum, ſymptoma, cuius cauſſa proxima fibrae nerueae tenſio ſeu compreſſio ſeu alia praeternaturalis diſpoſitio habetur. Huius cauſſae remotae plures eſſe poſſunt. Inter internas plethora, obſtructio, inflammatio, corpora peregrina interius formata aliaque plura in cenſum hic veniunt; inter externas vero luxationes, herniae, puncturae, ſciſſurae, ambuſtiones etc. nominantur. Inter partes corporis non nullae dolori obnoxiae ſunt, aliae non aeque. Ad has referuntur pinguedo, viſcera non nulla valde mollia et ſpongioſa ut pulmones, demum oſſa et cartilagines. Dolori vero obnoxiae ſunt omnes partes muſculoſae, membranoſae, aponeuroticae, tendinoſae et neruoſae, atque inter has ipſas aliae plus, aliae minus dolorem ſuſcipiunt. Dolores ipſi inter ſe differunt et alii leues et tolerabiles, hique vel breues vel continui, alii pulſantes aliique grauatiui etc. ſunt. Effectus doloris varii ſunt, prout nempe dolor vel leuis vel magnus eſt et vel breue vel longum tempus durat. Ita enim functiones animales et tranquillitas animi turbatur, vel inſomnia, febres, calor, inflammatio, deliria aliaque plura dolores ſequuntur.

Altera pars de remediis anodynis agit. Anody- p. 165.
na dicuntur, quae dolorem vel prorſus ſedant vel imminuunt, quorum omnium tres claſſes conſtituuntur. Prima claſſis anodyna continet, quae cauſſam doloris auferunt; altera, quae cauſſam vel corrigunt vel debilem reddunt, exhibet, atque tertia demum anodyna comprehendit, quae abſque eo, ut cauſſa doloris corrigatur vel imminuatur, ſenſum doloris vel aufert vel obtundit. Primae claſſis alia ſunt euacuantia, ut venaeſectio, urina per cathete-

rem et puris, abſceſſu aperto, eductio, ſcarificationes, cauteria, veſicatoria et id genus alia, dein corporum peregrinorum, ut calculi veſicae eductio, porro remedia pharmaceutica, ut purgantia, ſudorifera, emetica, tandem nix ſeu aqua frigida, membris gelu rigidis applicata. Alia ſunt reſoluentia, quae nimirum ob particulas aquoſas, diluentes et attenuantes materiem morboſam diuidunt, et ob particulas ſubtiles penetrantes et ſtimulantes in vaſa agunt, haecque excitant, ut materiem mobilem factam per colatoria expellant. Horum quaedam ſunt humida, ut balnea, fomentationes etc.; quaedam vero ſicca ut fumigationes et pulueres calide applicati; quaedam tandem medium tenent, ut emplaſtra reſoluentia. Anodyna reſoluentia etiam in ſimplicia et compoſita diuiduntur. Ad illa pertinent ex regno minerali aquae minerales paullulum calidae, petroleum, mercurius etc.; ex animali pellis animalis, recenter occiſi, mel, cera etc.; ex vegetabili tandem plantae emollientes aquoſae, mucilaginoſae ut althaea, malua etc. vel flores chamomillae vel ſemina e. g. lini, vel plantae aromaticae et reſoluentes fortiores, ut abſinthium, vel gummata, ut ammoniacum aliaque plura. Ex his vero varia componi poſſunt, ut unguenta, olea et emplaſtra, diuerſimode reſoluentia. Sed omnium horum ſelectus faciendus eſt, prout nempe hoc vel illud indicatur. Quod ad uſum anodynorum reſoluentium ſpectat, iſte varius eſſe ſolet. Ita ubi calor et inflammatio eſt, eligenda ſunt aquoſa et mucilaginoſa, contra ſtimulantia et calida vitanda. Vbi vero dolores non a cauſſa calida nec febris nec diſpoſitio cancroſa, tunc attenuantia, ſtimulantia etc. adhiberi poſſunt. Porro ubi cauſſa doloris in materie acri ſalina conſiſtit, ibi leniſſime diluentia, mucilaginoſa etc. conueniunt. Tandem etiam notandum, ſemper reſoluentia calide nec unquam frigide applicanda eſſe, gradus autem caloris variare poſſe.

Tertium genus, quod ad hanc claſſem pertinet, reductionem partium dislocatarum in ſtatum naturalem, ut luxata etc. comprehendit. Quartum denique genus ſectionem partium, ut neruorum ſectionem integram etc. continet. Eo enim in caſu dolor fit medicina doloris.

Secunda claſſis remedia comprehendit anodyna, quae dolorem ſedant vel cauſſam eius imminuunt, dum vel cauſſam corrigunt, vel debilem eam reddunt. Horum quaedam in ſolida, quaedam in fluida, tandem quaedam in utraque ſimul agunt et varia ſunt, quae huc pertinent. Primo emollientia adducuntur, quorum alia ſunt aquoſa, ut aqua tepida, ſerum lactis et ſuccus plantarum emollientium; alia ſunt oleoſa, ut olea expreſſa, non autem deſtillata; alia denique ſunt mucilaginoſa, ut ſemina farinacea etc. Aquoſa dolorem auferunt, dum fibras relaxant et fluidi particulas attenuant, hinc, ubi nimia tenſio, conueniunt. Oleoſa et mucilaginoſa dolorem tollunt, dum fibras relaxant et particulas acres et irritantes inuiſcant. Remedia haec vel ut ſimplicia vel ut compoſita ſub forma fomentationis, cataplaſmatis, unguenti etc. applicari poſſunt. De uſu autem notandum eſt, balnea, fomentationes et cataplaſmata calida applicanda eſſe, mucilaginoſa et oleoſa vero ſemper recentia requiri, inque inflammationibus inſignibus, in primis eryſipelate, aquoſa oleoſis et mucilaginoſis praeferenda. Secundo temperantia et refrigerantia, ut ex vegetabilibus melones, cucumeres etc. ex animalibus ſperma ranarum et ex mineralibus ſaturnina et prae reliquis cunctis nitrum commemorantur. Haec fibras motrices vel relaxant, humectant et oſcillationes earum moderantur, vel liquidorum rarefactionem impediunt; vel ſales inuoluunt; vel vaſa conſtringunt et impediunt, quo minus a liquidis diſtendantur; vel ſpiritus animales ſopiunt; vel denique acrimoniam humorum p. 176.

corrigunt. Ex ſimplicibus plura componi et ſub forma fomentationis, cataplaſmatis etc. applicari poſſunt, ita tamen, ut omnia refrigerantia, in primis repellentia et adſtringentia caute et non niſi in inflammationibus leuioribus et quidem in principio adhibeantur. Tertio abſorbentia, ut terrae, atque corrigentia et alterantia, ut ſales oppoſiti conſiderantur. Priora materiem acrem abſorbent, poſteriora dolorem ſedant, dum materiem immutant. Hinc varie compoſita, ut unguentum de lithargyrio, emplaſtrum de ceruſſa etc. huc pertinent.

p. 185. Tertia claſſis anodyna exhibet, quae ſenſum quidem doloris neque tamen eius cauſſam auferunt. Pertinent huc papauer album et nigrum, hyoſcyamus, cicuta, opium etc. atque ex his varia compoſita ut, pro uſu externo, aquae deſtillatae, decocta, olea, linimenta etc. pro interno vero ſic dicta opiata. Remedia haec narcotica prudentem applicationem requirunt et magis quidem, quam omnia anodyna, de quibus hactenus actum fuit. Cum autem ab omni tempore multum de eorum actione et uſu diſputatum ſit, Noſter ea propter varias, tum veterum tum recentiorum, de uſu narcoticorum interno et externo ſententias profert, quibus adductis, Ipſe de non nullorum narcoticorum uſu in ſpecie agit. Primo loco adducuntur papauer eiusque producta, ut opium, laudanum opiatum, laudanum liquidum etc. quae cuncta in parua doſi pro uſu interno commendantur, pro externo autem uſu folia papaueris cum emollientibus in cataplaſmate applicata ad compeſcendos dolores vehementes in phlegmone laudantur, opium vero eiusque praeparata pro uſu externo ob effectus incertos et ſaepe noxios reiiciuntur. Hyoſcyamus tam interne quam externe admodum caute uſurpandus eſt, folia tamen eius in cataplaſmate cum emollientibus et reſoluentibus adhibita conceduntur. Cicuta atque mandragora pro uſu interno reiici-

reiiciuntur, externe vero tanquam anodyna reſoluentia non autem ut narcotica, ſolanum vero officinarum tanquam narcoticum et refrigerans pro uſu externo commendantur. His expoſitis in genere nunc de uſu talium remediorum quaedam monentur. 1) Non niſi neceſſitate urgente ad opium et ſimilia confugiatur, et pro uſu interno papauer tantum eiusque ſuccus exhibeatur. 2) Nunquam continuetur vel augeatur in doſi opium, ſi dolor perſtat, ſed vel cauſſa doloris auferatur, vel aegrotans, quantum poſſit, dolorem perferat. 3) Nunquam opio et narcoticis aſſueſcendum eſt. 4) Narcotica exterius applicanda vim reſoluentem et emollientem non autem refrigerantem et repellentem habeant; hinc folia tantum hyoſcyami, papaueris, cicutae, ſolani furioſi et mandragorae in cataplaſmate cum aliis applicata ſuadeantur. 5) Narcotica vel nunquam vel cum corrigentibus oculo et auribus applicentur. 6) Tandem uſus narcoticorum in omni caſu, ubi euacuationes naturales neceſſariae ſunt, interdicatur. Tandem remediis anodynis, quae non cauſſam ſed ſenſum doloris auferunt, annumeratur compreſſio aut deſtructio nerui, ita ut commercium inter cerebrum et partem, in qua cauſſa doloris haeret, tollatur.

Tertia pars de uſu anodynorum in morbis chirurgicis agit. Morborum, qui huc ſpectant, quinque numerantur genera, nimirum tumores, vulnera, ulcera, fracturae et luxationes ſeu partium dislocationes. Tumores, qui cum dolore coniunguntur, ſunt tumores inflammatorii, cancroſi atque ii, qui in partium dislocatione oriuntur. Remedia anodyna varia in inflammatione eſſe ſolent, prout nimirum cauſſa eſt. In genere optimum remedium praebent venaeſectio et aquoſa, emulſiones ſeminum frigidorum et nitrum, interne ſumta. Externa remedia, quae dolores in inflammatione compeſcunt, ſunt p. 215.

emollien-

emollientia et reſoluentia vel et interdum refrigerantia. Cautiſſime vero, vel nunquam, adhibenda ſunt frigida, repellentia et pinguia. Singulae inflammationum ſpecies peculiaria remedia anodyna poſtulant. Ita in phlegmone, ſi tumor augmentum capit, anodyna et emollientia ut cataplaſma ex mica panis cum lacte et croco applicentur. Sique dolor imminuitur et tumor ad reſolutionem ſe diſponit, reſoluentia fortiora, ut plantae aromaticae, ſemina carminatiua, vinum etc. applicentur. Sin vero tumor nec reſoluitur nec dolor ceſſat, maturantia adhibeantur. Notetur tamen, in hoc morbo remedia ſemper tepida applicanda et, ne ſuper partem refrigeſcant aut aceſcant, ſaepe mutanda eſſe. Tandem in phlegmone, ad ſuppurationem tendente, optimum anodynum praebet puris eductio. In ophthalmia venaeſectio oculi, ſecundum methodum de S. YVES, et coniunctiuae ſcarificatio remedia anodyna optima ſunt. In inflammatione palpebrarum cataplaſma ex mica panis lacte et croco vel pomum coctum, inque aurium inflammatione lactis tepidi cum croco aliquot guttae inſtillatae ſuper impoſito ſimili cataplaſmate, ſuadentur. In inflammatione gingiuarum, parulide dicta, ficus vel lac cum croco laudantur. In inflammatione uvulae et tonſillarum ſub initio refrigerantia et paulo adſtringentia ut aqua plantaginis, hisque non iuuantibus, reſoluentia atque, inflammatione ad ſuppurationem tendente, maturantia, ut ficus cum lacte et croco decocti, laudantur. In furunculo relaxantia et emollientia; in anthrace relaxantia et reſoluentia ſimulque ſcarificatio partiumque corruptarum ſeparatio; in paronychia pro cauſſarum varietate varia, ut interdum relaxantia et emollientia, interdum leuis per ſcalpellum inciſio, interdum autem profunda, inque haemorrhoidibus dolentibus varia etiam pro diuerſitate cauſſae, ut in exulceratis unguenta

guenta exſiccantia, refrigerantia etc. in carcinomaticis remedia, cancro propria, et alia ſuadentur.

In eryſipelate, quod alterum inflammationis genus conſtituit, praeter interna remedia, inflammationi oppoſita, nullum externum applicandum; cum vero ſaepe exigantur topica, varia ea propter hic apponuntur, quorum uſus interdum concedi poteſt. p. 230.

In tumoribus cancroſis non exulceratis optimum remedium, ſi fieri poteſt, iudicatur extirpatio; ſin vero ſuſcipi nequit, *inter externa* camphora optima habetur. Ad compeſcendos dolores *in* cancro exulcerato ſuccus ſedi vermicularis officinar. et forte alia commendantur. p. 234.

In vulneribus varia anodyna, ut corporis peregrini eductio, vel partium in fracturis reductio in ſtatum naturalem, de reliquo leuia ſuppurantia ſuadentur. In vulneribus partium neruoſarum vel integra nerui ſemidiſſecti diſciſſio, vel, ſi acris materies vellicat, huius per olea aetherea et remedia ſpirituoſa correctio, inque vulneribus cum contuſione lenia ſuppurantia et in vulneribus extremitatum cum contuſione et partium dilaceratione amputatio etc. ſuadentur. In ambuſtionibus leuioribus partis laeſae ad ignem admotio, ſpiritus vini etc. in grauioribus vero relaxantia et lenia ſuppurantia, in aliis ulceribus unguenta exſiccantia, ex plumbo parata, in fracturis oſſium reductio earum in ſtatum naturalem, in luxationibus fomentationes et inunctiones relaxantes, in diſtorſionibus venaeſectio et relaxantia et reſoluentia, in partium dislocatione earum in ſtatum naturalem reductio et topica relaxantia, tandem in malis venereis mercurialia dolores vel auferunt vel mitigant. p. 239.

Haec ipſa quaeſtio etiam a Cl. FABRE declarata fuit. Anodyna ab eo dicuntur, quae vel in cauſſam doloris agunt eamque tollunt, vel actionem p. 247.

cauſſae

cauſſae ad tempus ſupprimunt, vel ſenſum organorum obtundunt. Vt clarius omnia exponantur, in tres partes quaeſtionem Noſter diuidit, atque in prima de dolore, in ſecunda de anodynorum ſpeciebus diuerſis inque tertia de uſu eorum in morbis chirurgicis agit. Dolorem Noſter cum BOERHAAVIO impreſſionem violentam per neruum, rumpendi periculo expoſitum, ad cerebrum delatam vocat, atque in hac re cauſſam doloris proximam conſtituit. Cauſſas remotas, a quibus illa producitur, in tenſione immoderata, obſtructione, acrimonia et corporibus peregrinis, neruos in ſtatum violentum redigentibus, quaerit. His praemiſſis altera nunc parte oſtenditur, quaenam anodynorum ſint ſpecies, quaue ratione ea agant. Primo diuerſae anodynorum ſpecies adducuntur, quae cauſſam doloris ſupprimunt. Pertinent huc relaxantia et quae fibras, nimis tenſas, vel laxiores vel magis extenſiles reddunt, ita, ut absque rupturae periculo facile elongari queant. Alia dolorem leniunt, dum obſtructionem diſſipant, hinc omnia, quae humorum maſſam minuunt, eos diluunt et vaſa relaxant, huc pertinent. Porro ea, quae acrimoniam corrigunt, ut diluentia, mucilaginoſa, oleoſa et abſorbentia; tum, quae inaequalem tenſionem tollunt, tandem, quae corpora peregrina auferunt vel ſupprimunt, dolorem ſedant. Quod ad remedia, quae, ſenſum auferendo, dolorem ſopiunt, attinet, duplex hic diſcrimen notandum eſt. Alia, in neruum affectum agentia, communicationem cum cerebro ſupprimunt, ut oleum terebinthinae calidum, nerui compreſſio aut eius deſtructio. Alia ſtatum cerebri mutant, ita, ut ſenſus doloris animae communicari nequeat, atque hic ſpectant ſic dicta narcotica. Ex his opiata fere ſola interne ſumi poſſunt, reliqua, interne ſuſpecta, exterius tantum locum habent.

In

In tertia parte de uſu anodynorum in morbis p. 263.
chirurgicis atque primo quidem de uſu eorum, quae cauſſam doloris auferunt, agitur. In caſu itaque, ubi nimia fibrarum tenſio, ſemper, excepto cancro, relaxantia et emollientia conueniunt; ubi vero dolor ab obſtructione, venaeſectio et purgantia antiphlogiſtica nec non diluentia cum nitro interius ſumta proſunt. Externa remedia in inflammationibus in ſpecie conſideratis variant. Ita in eryſipelate pinguia et viſcida nocent, proſunt vero fomentationes aquoſae vel vapor aquae. In ophthalmia et aurium inflammatione lac foeminarum inque aliis alia conueniunt. Deinde, ubi dolores ab acrimonia, ea, quae hanc corrigunt, conducunt, e. g. ſi acrimonia ſalina in primis viis eſt, ita, ut ulcera ſimul afficiantur, olea expreſſa, clyſmata et potus ex radicibus demulcentibus conueniunt. Vel, ſi acrimonia ab humore ſtagnante moto, ut in cancro exulcerato, oritur, exterius applicantur lenia aquoſa et abſorbentia, ut ſuccus plantaginis et ſolani, in mortario plumbeo triti et plumaceolis excepti. Vel denique, ſi dolores a miaſmate peculiari, ut venerea lue, mercurialia, aut ſcorbuto ſic dicta antiſcorbutica etc. proſunt. Porro, ubi inaequalis fibrarum tenſio eſt, ut in laeſionibus cutis, muſculorum, tendinum etc. aut partium ſeparatarum unio, aut emollientium applicatio, ut balſamum ARCAEI, aut cauterium actuale, aut diſciſſio, e. g. neruorum, aut vulnerum dilatatio etc. dolores mitigant et ſaepe tollunt. Tandem etiam attendendum eſt ad dolores, qui vix a vulnere ſed ab aliis cauſſis, ut malo obſeruato regimine etc. dependent, hinc ſollicite in cauſſas tales inquirendum eſt, quo remedium aptum adhiberi poſſit.

Quod ad uſum remediorum, quae dolores, ſen- p. 270.
ſum auferendo, ſopiunt, attinet; alia neruorum communicationem cum cerebro ſupprimunt, ut ner-

uorum

uorum diſſectio aut compreſſio, ſed haec, non niſi omnibus incaſſum tentatis, adhibenda ſunt. Deſtructo enim neruo, partium integritas perit. Alia, quae functiones partium ad tempus tollunt, ſunt narcotica, quorum uſus cautus eſſe debet. In genere, ubi dolores non a plenitudine vaſorum, ſed ab acrimonia quadam, ut in cancro, dependent, narcotica, interne ſaepe adhibita, proſunt, in inflammationibus vero, ubi ſanguinis maſſa per venaeſectionem et purgantia nondum imminuta eſt, narcotica interne nocent. Eadem cautio et in externa applicatione obſeruanda eſt. Ita in phlegmone, emollientibus fruſtra adhibitis et dolore perſiſtente, cataplaſma ex lacte cum foliis hyoſcyami et papaueris prodeſt. In doloribus vehementibus oculi aqua papaueris albi deſtillata inque aurium dolore oleum mandragorae laudantur. Tandem et caſus ſunt, ubi narcoticorum uſus non adeo timendus eſt. Dantur nimirum inflammationes, ubi obſtructio a dolore ipſo, ut in vulneribus partium tendinoſarum, oritur. In earum principio ſtatim narcotica exhibenda ſunt, quo filamenta neruoſa, quae extremitates arteriarum capillarium ſtringunt, relaxentur et ſanguini motus liberior reddatur. Laudantur etiam narcotica in gangraena ſicca, ubi non ſolum dolorem ſedant, ſed et vulnus eo diſponunt, ut humectetur.

p. 277. Quaeſtionem anno 1745 propoſitam, in qua *diuerſae remediorum ſuppurantium ſpecies, eorum agendi modus et uſus in morbis chirurgicis*, definienda fuerunt, declarauit annoque ſequenti praemium reportauit Cl. GRASHVIS.* Quaeſtionem in quatuor capita diuidit Noſter, quorum primum de ſuppuratione et pus mouentibus agit. Pus, tenax et ſubpingue liquidum, cum aqua miſcibile inque ea fundum

* Prodiit etiam haec diſſertatio de generatione puris Amſtelodami 1747. 8. latine et belgice.

dum petens in viui animalis parte, morbo affecta, productum vocatur, atque ſuppuratio, ſeu partium quarundam in pus mutatio, actio corporis viuentis ſpontanea, nullis artis adminiculis, vel non niſi imperfecte, imitanda dicitur, digeſtio autem puris in ulcere quotidie repetita generatio appellatur. Vt itaque pus generetur, requiritur, ut ad illud coquendum motus vitalis in parte ſuperſtes ſit; dein ut morbus praecedat, quo ſuppuratio tanquam morbi finis ſequatur; porro ut inflammatio praegrediatur, atque talis quidem, quae acuta eſt cumque magno in parte calore coniuncta; tandem ut pars, ſi in ſuppurationem abire debeat, ab aere externo defendatur atque eo diſponatur. ut facilis ſit intumeſcentia inque tumorem expanſio. Suppurationis actionem abſolutam eſſe cognoſcimus, ſi quando inflammatio per aliquot tempus protrahitur, ſymptomata continuo augentur, aegrotans minus febrit, parum de dolore conqueritur atque pars minus tendi incipit, molliorque fit. Dum haec mutatio, ſuppuratio nimirum, in parte contingit, membrana celluloſa, plurimis vaſis, materiem pinguedinoſam vehentibus, praedita, infarcitur, extenditur, rumpitur; quo facto cauum formatur, in quod corrupta pinguedo effunditur, cui ex vaſis ruptis humor, efficiendae pinguedini deſtinatus, in pus transformandus adfunditur. Itaque inflammationis mutationem in abſceſſum in membrana celluloſa potiſſimum fieri, pus in ea coqui, hocque ipſum ex pinguedine maximam partem oriri, ſtatuendum eſt. Quodſi vero tantus eſt aliorum humorum affluxus, ut hi materiae pinguedinoſae quantitatem ſuperent, tunc vel aquoſum vel ichoroſum vel ſanguinolentum pus apparet. At vero, cum ſuppuratio ſolius naturae opus ſit, facile hinc intelligitur, quid de remediis ſuppuratoriis dicendum. Nunquam nimirum reperiuntur, quae actionem hanc inducunt, ſed quae impedimenta, ſuppurationem

vel arcentia vel retardantia, remouent aut ea requiſita, quibus puris generatio perficitur, procurant, ea omnia ſuppurantia dici merentur.

p. 303. Caput ſecundum oſtendit, quibus modis pus mouentia operentur. Remedia, quae puris maturationem promouere debent, requirunt motum vitalem ſuperſtitem, quo praeſente iſta ſymptomata eorumque cauſſas aliquo modo mutant, dum vel iis aliquid addunt vel detrahunt. Promouetur itaque puris maturatio, ſi liberior aeris acceſſus arcetur, nimia in parte perſpiratio impeditur, cutis et partes externae relaxantur magisque extenſiles redduntur, nimius porro in parte calor imminuitur, vel, cum certus quidam caloris gradus requiratur, iſte augetur, inſimulque motus inteſtinus inter ſtagnantes vel in cauum depluentes humores excitatur atque leuioris putredinis principium h. e. fluidorum ab indole naturali degeneratio inducitur. Eadem fere ratione agunt digeſtiua, dum vel puris generationem adiuuant vel corrigunt, paulo tamen a ſuppurantibus differunt. Ipſi enim humido, in pus mutando admiſcentur, ipſis partibus caeſis applicantur inqne ipſum cauum introducuntur.

p. 317. Caput tertium medicamentorum, pus mouentium, claſſes exhibet, quarum prima ea continet, quae, aeris externi acceſſum arcendo, calorem et humiditatem ut pix et ſemina auenae cum aqua cocta, conſeruant. Secunda claſſis ea comprehendit, quae partes relaxant et intumeſcentiam et rupturam facilem reddunt, ut radix althaeae, herba maluae, mel, olea et pinguia tum vegetabilia tum animalia. Tertia claſſis continet, quae calorem nimium minuunt atque hic ſecundae claſſis vegetabilia, cum aqua cocta et tepide applicata ſpectant, maiori tamen efficacia agunt, quae potentia frigida ſunt vel frigide applicantur, ut lens paluſtris, folia nymphaeae, unguentum populeum etc. Claſſis quarta offert, quae

calorem

calorem paruum excitant vel augent. Referuntur huc, quae motu inteſtino gaudent, ut fermentum panis; dein quae fragranti et aromatica virtute pollent, ut gummi ammoniacum; porro quae fragranti et volatili aromate praedita ſunt, ut herba baſiliconis et quae minus volatili, valde autem penetrante, virtute gaudent, ut herba abrotani; tum quae magna acrimonia irritant, ut radices cepae; tandem, quae acria et ex acribus et calidiſſimis compoſita ſunt, aliisque ut plurimum adiutoriorum loco adiunguntur, ut fel taurinum et ſapo niger.

Caput quartum de medicamentorum pus mouentium uſu in morbis externis agit. Si inflammatio in ſuppurationem abire debet, neceſſe eſt, ut calor et humiditas in parte conſeruentur. Hinc emplaſtra et cataplaſmata nec adeo humida nec ſicca, ex farinaceis parata, applicanda ſunt. Si vero his ſuppuratio ob difficilem intumeſcentiam non ſuccedit, ea, quae in ſecunda claſſe reperiuntur et partes extenſiles reddunt, uſurpentur. Si calor inflammationis tantus eſt, ut gangraena metuenda ſit, iſte relaxantibus, ſecunda claſſe enumeratis, vel frigefacientibus, tertia claſſe adductis, temperetur. Sed caute his utendum eſt, ne nimium frigefaciendo ſuppuratio impediatur. Si contrarium, hoc eſt, motus et calor debilis obſeruatur, calefacientibus, quarta claſſe reperiundis, excitetur. Si abſceſſus ad maturationem accedit, maxime relaxantia, ut olea et pinguia applicanda ſunt, quae vero, in leuiori gangraenae ſuſpicione, vel omitti vel parcius uſurpari debent. Cum in glandulоſis obſtructionibus, non reſoluendis, ſuppurantia, absque praeuia inflammatione, vix proſint, ſuppuratoriis proinde calidiſſimis et penetrantiſſimis, naturae ſuccurrendum eſt. In magnis contuſionibus eaedem fere cautiones obſeruandae ſunt, et ſi gangraena imminet, relaxantibus utendum, vel ſi partes vicinae inflamma-

p. 335.

 tione

tione afficiuntur, reſoluentia cum ſuppurantibus permiſcenda ſunt. Motus vero in contuſis fere ſuffocatus, calidis ſuppuratoriis et cortice peruuiano, interne ſumto, excitari debet.

p. 353. Digeſtiua in vulnere recenti vel et in ulcere locum habent. Digeſtioni obeſt aeris acceſſus, hinc omnia, quae hunc arcent, nec digeſtioni, naturali proprietate, reſiſtunt, adhibenda ſunt. In ulcere cruſta et ſordities puris exortum ſaepe impedit, hinc relaxantia, ut pinguia et oleoſa admouenda. Si in ulcere nimia laxitas eſt, ita, ut benignum pus vix generetur, reſinoſa balſamica, ut terebinthina, aloe, myrrha proſunt, eademque etiam, vel maiori adſtringendi vi praedita in ulceribus cancroſis conueniunt. Tandem et ulcus ſaepe adeo ſordidum eſt, ut eſcharotico opus ſit, hinc butyrum antimonii applicandum, quo nouum ulcus generetur et digeſtio inde reſtauretur.

p. 361. Eandem hanc quaeſtionem explicandam ſibi ſumſit Cl. ESCHENBACH. Generalibus non nullis de ſolidorum fluidorumue ſtatu ſano atque morboſo praemonitis, ad ipſam rem accedit Noſter, et primo
p. 371. ſtatim puris definitionem exhibet. Hoc, inquit, *eſt ſubſtantia ex albido flaueſcens; conſiſtentiae mediocris fluidae; odore vel nullo vel ſaltem non ingrato praedita; originem trahens ex miſcela fibrarum dilaceratarum, cum ſanguine extrauaſato.* Remedia igitur externa, quae puris confectionem promouent, ſuppurantia vocantur, ipſa autem actio, qua pus in parte generatur, dicitur ſuppuratio, quae nunquam ſine praeuia inflammatione locum habere poteſt. Vt pus generetur certus requiritur vaſorum mouendorum gradus, qui nec debilis, nec violentus eſſe debeat. Si itaque ſuppuratio in parte inflammata adiuuanda eſt, motus nimius compeſcendus, debilis vero augendus eſt. Prius perficitur remediis ſic dictis emollientibus,

entibus, quippe quae fibrarum tenſionem nimiam imminuant atque efficiant, ut hae ſanguini et humoribus ungentibus facilius cedant. Poſterius praeſtant irritantia, ea nimirum, quae ſolidorum tenſionem et motum adeoque circulum humorum augent. Hinc duo ſuppurantium genera diuerſa enaſcuntur atque ſemper, in procuranda ſuppuratione attendendum, ideoque cauendum eſt, ne emolliens cum irritante, ut ſaepius fieri ſolet, commiſceatur. Vbi itaque, imminente ſuppuratione, cum tenſione dolor inſignis eſt, emollientia proſunt, ut pote quibus fibrae laxantur et dolor et motus minuitur. Aſt omnia emollientia eundem agendi gradum non poſſident, quare tres claſſes conſtituuntur, quorum prima mitiſſime agentia, ſecunda fortiora, tertia tandem fortiſſima comprehendit. Ad primam claſſem aqua ſimplex vel ex decoctis emollientium fortiorum cum aqua paratis vapor, ad ſecundam lac, decocta mucilaginoſa ex ebore, plantis earumque partibus mucilaginoſis etc. ad tertiam denique ſperma ceti et oleoſa pertinent. De horum omnium uſu notandum eſt, ſemper ea calida applicanda atque calida conſeruanda eſſe. His de emollientibus adductis variae remediorum formulae apponuntur.

Vbi tenſio nulla ſed potius indolentia eſt, irri- p. 407. tantia conducunt, quae cum in actione varient, in quatuor claſſes rediguntur. Prima mitiſſima, ſeu nude roborantia, ut terrea, ex plumbo parata, plantas adſtringentes et aromaticas etc. continet. Secunda vera irritantia aſt mitiora, ut gummi reſinas, ceram, mel etc. comprehendit: Tertia irritantia fortiora, ut terebinthinam, reſinam ligni ſancti, ſalia fortiora, ſaponem, cepas, allium etc. exhibet: Quarta demum rubefacientia atque corrodentia ut ſemen ſtaphiſagriae, olea deſtillata, acida mineralia etc. offert. Quod ad uſum horum ſpectat, haec tanquam ſimplicia vel ut compoſita et calida applicari

 poſſunt,

poſſunt, de quibus ultimis plures iterum formulae
p. 421. anneƈtuntur. Quamdiu pus confeƈtum includitur, morbus dicitur abſceſſus, quam primum autem, partibus diſruptis, puri liber exitus patet, ulcus vocatur, inde ea, quae abſceſſui imponuntur, maturantia, quae autem, ulcere praeſente, uſurpantur, digeſtiua nuncupantur, utraque vero ſic diƈta ſuppurantia conſtituunt. In uſurpandis his ſemper partium habenda eſt ratio, ſiquidem aliae magis aliae minus ſenſibiles ſunt. Omnibus partibus, quae molliores nec elaſticae ſunt, ſuppurantia ſine ulla exceptione applicari poſſunt, quae vero elaſticae ſunt, ut partes neruoſae et tendinoſae, in harum inflammatione, ad ſuppurationem tendente, emollientia fortiora euitanda, contra mitiſſima eligenda vel reuulſio ſuſcipienda eſt. Oſſibus emollientia nunquam, ſed irritantia, ut euphorbium etc. conueniunt. In genere de ſuppurantibus notandum eſt, eorum uſum in inflammatione, ad gangraenam tendente, maximum eſſe pariterque in ulceribus fiſtuloſis ac mali moris, fiſtulis ipſis, tumoribus ſaccatis aliisque excreſcentiis mollioribus atque in primis in ulceribus conducere. Emollientia autem in ſpecie, in primis primae et ſecundae claſſis in omnis generis inflammatione, tenſionem et dolorem inducente, inque aliis morbis, ubi dolor eſt, egregie conuenire, atque irritantia tandem, ut adſtringentia in haemorrhagiis, balſamica et ſales in gangraena imminente, aromata et vinoſa in contuſione ad ſanguinem reſoluendum, terrea et ſaturnina in eryſipelate, adſtringentia et aromatica in oedematoſis tumoribus atque veſicantia et corroſiua in partibus gangraenoſis, tumoribus ſaccatis, excreſcentiis carnoſis fiſtuloſisque ulceribus multum valere experientia docet.

p. 438. Quaeſtio, quae anno 1746 *diuerſas remediorum detergentium ſpecies, eorum agendi modum et uſum in morbis*

morbis chirurgicis definienda propoſuit, anno ſequenti praemium non obtinuit, ſed ad annum 1749 translata fuit. Praemium proinde duplex conſtitutum Viri Cll. FLVRANT et LOVIS obtinuerúnt. Prior quaeſtionem in tres partes diuidit; in prima nimirum morbos pertractat, in quibus detergentia adhibenda ſunt; in ſecunda de ipſis his remediis agit; inque tertia oſtendit, in quonam caſu memorata remedia proſint vel noceant. Morbi, in quibus detergentibus opus, ulcera ſunt, ſub quo nomine partium mollium, quae in pus conuertuntur, ſoluta continuitas intelligitur. Haec vel ſimplicia ſunt vel complicata. Illa adeſſe dicuntur, ſi quando nullus morbus, nec aliud quidquam, quod carnis regenerationi aut cicatricis formationi impedimento ſit, ea comitatur. Complicata vero vocantur, ſi quando ulcera cum aliis vitiis, ut callo, ſinu, fiſtulis, vermibus, varicibus aliisque coniuncta reperiuntur. Origo ulcerum in ſuppuratione quaerenda eſt, haec autem oritur, ſi vel vaſa externa quadam vi illata rumpuntur, vel ſi eadem fluidis ita infarciuntur, ut deinde etiam continuitas ſoluatur. Licet autem ortus ſuppurationis diuerſus ſit, in utroque tamen caſu formatio ſuppurationis uno eodemque modo perficitur. Ea enim nihil aliud, quam puris ex deſtructorum vaſorum fruſtis cum fluidis effuſis mixtis, formatio eſt. Facta itaque ſuppuratione cauum conſpicitur, quod ulcus vocatur, in quo vaſa dilacerata, relaxata et depreſſa reperiuntur, quae vero tanquam eſcharae ſeparandae et regenerationi obſtantes conſideranda veniunt. Partes hae mortuae vel facile ſeparantur, ſi leues ſunt, vel ſi nimis craſſae ſunt, difficulter ſecedunt. Exinde autem ſtatus ulcerum dependet, qui malignus eſt, ſi partes mortuae nimis craſſae ſunt, inſimulque materies purulenta vel nimis craſſa vel acris vel ſeroſa eſt; hinc etiam praecipua impedimenta, quae bonae carnis regenerationi

ſe opponunt, enaſcuntur. Vt itaque ulcus purum fiat, partes mortuae et peregrinae ſeparentur atque vitia fluidorum et materiae purulentae corrigantur, neceſſe eſt, ut auxilium feratur, quod non niſi remediis ſic dictis detergentibus perpetratur.

p.451. Secunda parte de his nunc agitur atque, ut recta eorundem agendi ratio exponatur, primo ſtatim in principia eorum inquiritur. Haec, ut ſubſtantias ſalinas ſeu ad minimum ut mixta, in quibus ſales partes eſſentiales conſtituunt; conſideranda eſſe, Noſter autumat. Quod ad ſalium actionem pertinet, ii vel partes arrodunt vel diſſoluunt et varias mutationes pro varia partium, in quas agunt, diſpoſitione producunt. Ita in partibus ſolidis iſti dolorem, tenſionem fibrarum neruearum et affluxum copioſiorem ſpirituum animalium excitant, imo in partes mortuas, ut eſcharas agunt, eas penetrant et partim conſumunt; in fluidis autem viſcoſitatem tollunt eaque attenuant. Differunt autem remedia detergentia, prout ſales ſunt, qui eorum mixtionem ingrediuntur, vel prout aliae partes cum ſalibus ſimul mixtae remedium detergens conſtituunt. Ratione itaque effectuum, quos praeſtant, detergentia in quatuor genera diuidi poſſunt; in irritantia nimirum, quae partium viuarum oſcillationem viuidiorem reddunt; dein in rodentia, quae partes mortuas penetrant et efficiunt, ut decidant; porro in diluentia, quae fluida exiſtunt et viſcoſitatem humorum in ulcere tollunt; tandem in abſorbentia, quae humores ſeroſos attrahunt et vaſa relaxata conſtringunt. Primi generis remedia eo in caſu, ubi in ulcere ſuppuratio lente procedit, pus malae indolis eſt et partes mortuae ob debilem fibrarum oſcillationem non decidunt, applicantur. Secundi generis remedia adhibentur, ubi ulcera a tumore maligno orta ſunt et ubi partes mortuae, fibris licet irritatis, non decidunt, niſi eſcharae ipſae diuidantur et conſumantur. Tertii generis

remedia

remedia uſurpantur in tumoribus ſcirrhoſis exulceratis, ubi humores viſcidi et tenaces ſunt. Quarti denique generis remedia proſunt, ſi humores tam copioſi tamque fluidi ſunt, ut ſanationem impediant. Quod ad uſum horum remediorum in ſpecie attinet, tempus in primis conſiderandum eſt, quo adhiberi debeant. Ea itaque non niſi ſuppuratione praegreſſa et materie purulenta, conſiſtentia requiſita non praedita, ulcerisque fundo non rubro, paucis, regeneratione impedita, conducunt. Talia enim remedia regenerationem bonae carnis accelerant, ſique illa praeſtita fuerit, tempus etiam datur, quo iterum iſtis abſtinere debeamus. Quando nimirum canales molles et liberi ſunt, ſuccus nutritius conſiſtentiam requiſitam habet, fundus ulceris ruber apparet et dolor a remediis applicitis excitatur, detergentia illico intermittenda ſunt, quia alias dolor, ſiccitas ulceris praematura, et induratio marginum enaſcitur, atque in genere ſanatio impeditur. Praeter haec et diaetae regimen obſeruandum et, pro ulceris conditione, varia etiam remedia ut diluentia, incraſſantia, lenientia etc. propinanda ſunt. Detergentia in omnibus ulceribus uſurpanda veniunt, exceptis cancroſis, quippe in quibus lenientia tantum adhiberi poſſunt. De reliquo remedia illa varia ſub forma et vel liquida ut balnea vel minus liquida ut balſama, vel ſolida ut emplaſtra exterius applicantur, interius vero, ſi detergentia indicantur, ea ſemper ſub forma liquida exhibentur. His expoſitis remediorum tam ſimplicium quam compoſitorum ſubnectitur catalogus.

Eandem hanc quaeſtionem expoſuit Cl. LOVIS, p. 481. atque primo de natura et cauſſa ulcerum agit; deinceps caſus exponit, ubi remedia detergentia applicanda ſint; porro de ſelectu, praeparatione et viribus medicamentorum, quae morbus indicat, loqui-

 tur;

tur; tandem varias remediorum formulas apponit.
Vlcus Noſtro dicitur ſolutio continui ſeu diuiſio par-
tium mollium, de quibus materies purulenta manat.
Haec, ſi ante partium diuiſionem formatur, ulcus a
cauſſa interna natum dicitur; ſin vero partium diui-
ſionem ſequitur, cauſſa ulceris externa habetur. Siue
autem ab hoc ſiue ab illa naſcatur ulcus, uno tamen
eodemque modo in utrisque pus generari, hocque,
ſanguine in cellulas pinguedinoſas effuſo cumque
pinguedine mixto formari, certum eſt.

p. 490. Quod ad ulcerum curationem attinet, ea primis
diebus maturantibus et digeſtiuis tractanda ſunt, cau-
te tamen iſta continues. Quam primum igitur ſup-
puratio imminuitur et materies alba, aequalis, lae-
uis et absque malo odore apparet, recedendum ſta-
tim ab illis eſt, et ſic dicta detergentia applicanda
ſunt. His enim ulcera mundantur et eo diſponun-
tur, ut noua caro generari poſſit, quae vero matu-
rantibus aut digeſtiuis, diu continuatis, impeditur
omnino. Cum autem remedia iſta varia ſint et a ſe
inuicem ita diſcrepent, ut unum alteri minime ſub-
ſtitui poſſit, ſed pro varia indicatione varia eligi de-
beant, iſta proinde remedia in certas claſſes redigun-
tur, quarum quaelibet oſtendit, qua ratione reme-
p. 493. dia iſta uſurpanda veniant. Prima claſſis mundifi-
cantia, quae ex digeſtiuis et ſuppurantibus cum re-
ſinoſis, ut terebinthina, myrrha etc. mixtis, con-
ſtant, exhibet inſimulque oſtendit, quomodo iſta
remedia, ob olea balſamica, irritent et mundent.
Cum vero ea non niſi in caſu, ubi nullum impedi-
p. 496. mentum ſe praebet, exhiberi poſſint, altera claſſis
talia largitur, quae fortius paulo agunt, attenuant
et incidunt quaeque demum adhibentur, quando
prioribus, diu continuatis, caro non rubra ſed pal-
lida, pusque craſſum et glutinoſum fit. Remedia
iſta balſamica, cum relaxantibus et oleoſis mixta, in
priori claſſe nominata, hanc quoque claſſem conſti-
tuunt,

tuunt, eo tantum diſcrimine, ut quantitas relaxantium imminuatur, balſamicorum vero augeatur. Praeter haec et lixiuia, ex cineribus plantarum parata imo et ſal fixus tartari nec non urina atque ſapones tam naturales, ut bilis, mel, ſaccharum, ſuccus ſaponariae etc. quam artificiales, ut ſapo niger, ſal volatilis oleoſus etc. ſecundum indicationem prudenter adminiſtranda, huc etiam referuntur. Ter- p. 500.
tia claſſis detergentia antiputrida continet, quae in ulceribus adhibentur, ubi odor foetidus et color, inſtrumenta argentea tingens, deprehenditur. Praeſtant id vel decocta vulneraria ex herbis abſinthii, ſcordii etc. vel acida, ut acetum, oxymel ſimplex etc. vel ſpirituoſa ut ſpiritus vini vel ſolus, vel cum camphora aut ſale ammoniaco mixtus. Quarta claſ- p. 502.
ſis exſiccantia largitur, quae eo in caſu adhibentur, ubi materies absque eo, ut cauſſa virulenta ſubſit, valde tenuis reperitur. Pertinent huc colophonii puluis, aut tinctura myrrhae, aloes etc. Cum vero non ſolum humorum, de quibus hactenus actum fuit, ſed et ſolidorum ratio in ulceribus habenda ſit, quinta hinc claſſis ea remedia tradit, quae in primis in ſolida agunt. Accidit nimirum, ut in ulcere ſaepe caro mollis, pallida et fungoſa a vaſis vel diſruptis vel et integris, debilibus tamen, pronaſcatur, atque ideo curatio impediatur. Ad deſtruendam hanc carnem, remedia, hactenus commemorata, ſi non ſufficiunt, alia atque fortiora eligenda ſunt. Praeſtant id ſic dicta irritantia detergentia, quae ex corroſiuis, e. g. viridi aeris et praecipitato rubro cum pinguibus et relaxantibus mixtis, ut unguentum aegyptiacum, conſtant. Atque haec ſunt, quae, de remediis detergentibus hic expoſita, breuiter commemorare placuit; formulas diſſertationi ſubnexas omittimus.

Hanc

p. 519. Hanc ipſam quaeſtionem declarauit etiam Cl. FABRE. Detergentia ſeu mundificantia ab eo dicuntur remedia, quae vulnera et ulcera ad conſolidationem diſponunt, malas ſuppurationis qualitates immutant, depletionem vaſorum efficiunt, carnemque ſuperfluam deſtruunt. Remedia haec in vulneribus recentibus, bonae notae, non adhibentur, ſed in iis tantum, quae diu durant et ubi caro mollis ac ſpongioſa eſt, atque pus ſeroſum fit, in genere ubi vulnus ad conſolidationem perduci nequit, iſta adhibenda veniunt. Detergentia irritant et in ſolida agunt, et duplicis generis eſſe ſolent. Alia ſunt ſtimulantia, ut plumaceola ſicca, decocta plantarum vulnerariarum, adſtringentia, ſapones etc.; alia vero ſunt corroſiua, ut alumen uſtum, praecipitatum rubrum etc. In vulneribus, ubi ſuppuratio ac tanta vaſorum relaxatio eſt, ut laudabiles ſuppurationis qualitates ſenſim euaneſcant, conducunt. In abſceſſibus eadem laudantur atque quidem, ſi ulcus poſt phlegmonem ſuppuratam remanet, aut in viſceribus ſpongioſis, ut hepate et in primis cerebro deprehenditur, detergentia ſtimulantia leuiora optimi iudicantur uſus. Vbi vero ulcera diu durant et absque dolore, tenſione et inflammatione ſunt, inſimulque vitioſum pus apparet, ibi ſtimulantia acriora conducunt, atque haec absque pinguibus admixtis, quod ſaepe in priori caſu fieri ſolet, adhiberi poſſunt.

p. 529. Quaeſtionem, quae anno 1747 *remedia exſiccantia et cauſtica, eorum agendi modum, diuerſas ſpecies et uſum in morbis chirurgicis* definienda propoſuit, explicauit annoque ſequenti praemium reportauit Cl. CHARMETTON. In duas partes hanc quaeſtionem diuiſit Cl. Auctor, inque priori de cauſticis, in poſteriori vero de exſiccantibus egit. Cauſticorum nomen ab uſtione, roſione ſeu conſumtione partium, quibus applicantur, deſumitur, eorumque vis atque efficaci-

efficacitas eadem fere eſt, quam ferrum candens, cauterium actuale dictum, praeſtat. Remedia iſta cauſtica, potentialia dicta, vel ope ſalium acrium agunt, ſuntque ſimplicia ſeu naturalia, vel ope particularum ignearum vel harum et ſalinarum ſimul agunt ſuntque compoſita, id eſt, quae arte chemica aut alia mutationem ſuſceperunt. Cauſtica potentialia non niſi in viuum corpus agunt, quia tranſpiratio inſenſibilis menſtruum quaſi eſt, quo ſales ſoluantur particulaeque igneae liberae reddantur. Variant cauſtica, quoad effectus, eorumque varietas a diuerſa conſiſtentia, natura, forma et quantitate ſalium vel maiori minoriue particularum ignearum inuolutione, vel a longiori aut breuiori tempore, quo partibus applicata manent, dependet. Itaque ob diuerſos actiuitatis gradus diuerſae etiam habentur ſpecies, quarum tres ſunt. Alia in cutem agunt ſuntque veſicatoria; alia in carnes, cute denudatas, agunt et dicuntur catheretica; alia et in cutem et carnem ſimul agunt, vocanturue eſcharotica. Harum quaelibet debilia et fortia nec non ſimplicia et compoſita habet, de quibus omnibus Noſter in ſpecie nunc agit.

Primo veſicatoria, ad quae et epiſpaſtica perti p. 537.
nent, conſiderantur. Vtriusque generis efficacitas a ſubtilitate et acrimonia partium dependet, uſusque eorum in concutiendo genere neruoſo inque educendis humoribus, ad nobiles partes facile tranſeuntibus, conſiſtit. Applicantur iſta vel in dorſo, vel pone aures, vel in ſuris aut femoribus et, praeter non nullos morbos internos, ubi utilitatem praeſtant, multum etiam in morbis oculorum, dentium auriumue valent. Exhibentur hic variae formulae, quae emplaſtra et cataplaſmata veſicantia nec non unguenta epiſpaſtica continent.

Catheretica craſſiores quam veſicatoria magisque p. 548.
inuolutas, quam eſcharotica poſſident particulas. Illa

cutem

cutem intaſtam relinquunt, ſed hac remota et carni nudae admota, effeſtus exſerunt. Haec autem, eſcharotica nimirum, ſalibus magis liberis et acrioribus praedita, cuti ſi applicantur, facile deliqueſcunt, cutem arrodunt, carnes adurunt, corpora dura et calloſa penetrant et cruſtam nigreſcentem relinquunt, quam eſcharam vocant. Licet autem catheretica tam violenter non agunt ut eſcharotica, unus tamen idemque agendi modus in utrisque deprehenditur et non niſi gradu aſtiuitatis a ſe inuicem diſcrepant. Applicatis remediis his vaſa irritantur et ad crebriores oſcillationes diſponuntur, hinc ea fluidum vehementius ad obſtaculum appellunt, mortuamque demum partem ſeparant. Catheretica ſunt vel leniora, ut borax, alumen uſtum etc. vel fortiora, ut puluis arſenici albi, auripigmenti etc. Pariter etiam eſcharotica vel ſunt leniora, ut aqua phagedaenica, oleum tartari per deliquium etc. vel fortiora, ut ſpiritus nitri, butyrum antimonii, lapis infernalis etc. Ex his, in primis cathereticis ſimplicibus inter ſe mixtis varia, vel in forma ſicca vel in fluida aut alia, componi poſſunt, de quibus omnibus formulae appoſitae hic reperiuntur.

p. 560. Quod ad uſum cauſticorum ſpeſtat, ea et in morbis ſimplicibus et compoſitis uſurpanda quidem, ſed caute adhibenda ſunt. Morbi dicuntur ſimplices, ubi caro fungoſa in ulcere, quod partes non adeo ſenſiles occupat, conſumenda aut ubi excreſcentiae diuerſae in partibus ſenſibilibus extirpandae ſunt. Ita tales morbi in dura matre, oculorum partibus, naſo aliisque reperiuntur, qui eiusmodi remediis traſtandi ſunt. Morbi dicuntur complicati, qui plus minus maligni ſunt, quiue ſitum plus minus periculoſum habent. Ita non nulli adeo maligni ſunt, e. g. ulcera cancroſa, aut ſitus eorum adeo periculoſus eſt, ut cauſtica adhiberi prorſus nequeant. Vbi vero ſymptomata non adeo moleſta ſunt, licet etiam morbi

morbi ſitus optimus non videatur, cauſtica tamen, caute adhibita, conducunt. Tandem etiam cauſtica uſurpantur, ſi cutis erodenda et tumores aperiendi ſunt, in quo caſu horum remediorum ſelectus, tumorum ſtatus, pars affecta modusque applicandi attendenda veniunt.

Altera pars de exſiccantibus agit. Sub hoc nomine intelliguntur remedia, quae cicatricem producendi facultatem poſſident, quaeque fibras roborant, humiditatem nimiam abſorbent et ſuccum nutritium inſpiſſant. Cum autem ulcera raro admodum ita deprehendantur, ut remediis exſiccantibus, ſtricte ſic dictis, unice applicatis cicatrix produci poſſit, alia proinde notio exſiccantium exhibenda eſt. Itaque omne id, quod ulcus ad conſolidationem diſponit omniaque impedimenta remouet, exſiccans ſeu, quod idem eſt, cicatriſans vocandum eſt. Cum vero ulcerum ſtatus diuerſus deprehendatur, remedia etiam, quae ulcus ad conſolidationem diſponere debent, diuerſa eſſe, colligitur. Omnia itaque eiusmodi remedia in quatuor diſponuntur claſſes et diuiduntur in exſiccantia emollientia, id eſt, quae ſolida nimis rigida ita emolliunt, ut motus ſucci nutritii, ad conſolidationem facientis, promoueatur; talia ſunt balſamum ARCAEI, emplaſtrum nigrum etc. Dein in exſiccantia detergentia, quae materiem purulentam nimis tenacem penetrant et diuidunt, ut digeſtiuum ſimplex, tinctura myrrhae etc. Porro in exſiccantia rodentia, quae fibras relaxatas firmant et carnes luxuriantes deſtruunt, ut unguentum aegyptiacum, aqua calcis viuae etc. Tandem in exſiccantia abſorbentia, quae nimiam humorum fluiditatem tollunt et abſorbent, ut tutia, lapides cancrorum, radix gentianae, ceruſſa, unguentum de ceruſſa etc. haecque proprie dicuntur exſiccantia. Licet autem trium priorum claſſium remedia ad haec relata ſint, ea tamen ad vere exſiccantia non pertinent,

nent,

p. 575.

nent, ſed ut conſolidantia tantum conſiderari debent. De ultimis itaque vere exſiccantibus, nunc, quod res eſt, agitur et ſingula horum conſiderantur. Sunt autem, quorum mentio facta hic eſt, tutia, pompholix, lapis haematites, lapis calaminaris, corallia, lapides cancrorum, bolus, oſſa ſepiae, colophonium, plumaceola aſpera et raſa, lithargyrium, radices gentianae et iridis florentinae, folia ſabinae et artemiſiae atque varia ex his compoſita.

p. 594. Quod ad uſum horum attinet, ea vel in morbis recentibus vel inueteratis et tam ſimplicibus quam complicatis uſurpantur. Licet autem ut plurimum in fine morborum applicentur, in vulneribus tamen recentibus ab initio ſtatim non ſine fructu adhibentur. Neceſſe tamen eſt, ut iſta remedia ſaepe cum emollientibus detergentibus et rodentibus coniungantur, prout nimirum diuerſus morbi ſtatus id poſtulat. Ita v. g. in excoriatione ſimplici leui absque contuſione unguentum album RHASIS inque vulnere ſimplici leui, inſtrumento ſcindente, facto plumaceola, aqua vulneraria irrorata, et ſimilia applicantur, idque valet in partibus carnoſis, humiditate abundantibus; ubi vero partes ſicciores et rigidiores ſunt, ut partes capitis minus muſculoſae, ibi exſiccantia emollientia, ut plumaceola, aqua vitae tincta, una cum balſamo ARCAEI conuenit. Aſt, ubi morbi complicati ſunt, e. g. vulnus cum contuſione etc. porro etiam in puncturis exſiccantia in principio adhiberi nunquam poſſunt, ſed alia, ſuppurantia et emollientia, eligenda. In ulceribus inueteratis contra, ubi nihil niſi conſolidatio deeſt, exſiccantia abſorbentia, ut plumaceola ſicca, ſuperimpoſito emplaſtro exſiccante emolliente conuenit. Vbi vero ora calloſa ſeu et diſpoſitio ad inflammationem remanet, ibi exſiccantia detergentia et emollientia conducunt. In ulceribus ſanioſis, difficulter conſolidandis plumaceola ſicca, raſa, leni digeſtiuo tecta,

prodeſt,

prodeſt, atque ubi in ulcere hyperſarcoſis eſt, exſiccantia rodentia conueniunt. Vlcera, diu durantia, in primis in ſenibus, conſolidanda non ſunt, ſed aperta ſeruanda, quo peſſima ſymptomata praecaueantur. Tandem etiam ad ſedes morbi attendendum eſt, quibus ponderatis, remedia memorata varia ſub forma applicari debent. Ita v. g. in gonorrhoea pertinaci, materia correcta et remediis internis ad ſiſtendam hanc diu et fruſtra adhibitis, exſiccantia per iniectionem; in oculorum morbis, ſi iſta remedia indicantur, ſub forma collyrii; in morbis faucium ſub forma gargariſmatis inque aliis alia ſub forma caute et circumſpecte applicari debent.

Eandem quaeſtionem declarauit Cl. NANNONI p. 605. atque primo de exſiccantibus, poſt modum autem de cauſticis eodem ordine, quem quaeſtio praeſcripſit, egit. Exſiccantia, a veteribus epulotica dicta, vocantur remedia, quae carnem eo diſponunt, ut cicatrix formari poſſit. Vis horum remediorum duplex habetur; alia eſt, dum robur fibrarum augetur, alia dum omne id, quod ſuperficiei ulceris adhaeret et conſolidationem impedit, attrahitur. Exſiccantia a Cl. Auctore diuiduntur in ea, quae ex particulis acidis conſtant, ut ſtyrax, benzoe, maſtix etc. atque in ea demum, quae ex acidis cauſticisque ſimul componuntur, ut alumen rupeum, aerugo, vitriolum calcinatum etc. Cum vero morbi, in quibus eiusmodi remedia adhibenda ſunt, varient, variae ea propter conſtituuntur eorum claſſes, quarum prima ea continet, quae in ulceribus, cuticula tantum deſtitutis, conducunt. Primo ſpiritus vini optimus in combuſtione et contuſione leuiori aliisque ſimilibus laudatur, in capitis tamen ambuſtione aut ubi corporis mollities eſt, et ubi calor et dolor nondum ceſſarunt, iſte intermittendus eſt, huiusque loco unguenti ceruſſae cum thure, ſubtiliter trito, mixti,

aut etiam ſolius tantum aquae frigidae applicatio
p. 627. ſuadetur. Secunda claſſis remedia exhibet, quae in ulceribus profundis, materiem ſebaceam continentibus, adhibenda ſunt. Quantum ex his videre licet, adſtringentia mineralia, ut alumen rupeum aqua ſolutum, lithargyrium, interdum ſpiritus ſulphuris aut etiam alia acida, cum cauſticis mixta, commen-
p. 633. dantur. Tertia claſſis remedia comprehendit, quae uſurpanda, ſi poſt abſceſſum apertum, aut aliam cauſſam, cutis et membrana adipoſa deſtruitur. Pauca huius claſſis remedia eſſe Cl. Auctor aſſerit, quia paucos poſt dies, digeſtione bene ſuccedente, ulcus ſponte eo diſponitur, ut cicatrix generari poſſit. Hinc ſaepe non niſi plumaceolis ſiccis ulcus obtegendum eſt, aut ſi non ſufficiant, unguenta exſiccantia leuiora, quae ex oleoſis, pinguedinoſis et exſiccantibus conſtant, ut unguentum ceruſſae etc. adhibenda
p. 645. ſunt. Quarta demum claſſis remedia tradit, quibus in ulceribus inueteratis utendum eſt. Haec ex acidis leuiterque cauſticis conſtant, eoque referuntur praecipitatum rubrum, lapis infernalis et alia. At vero, in ulceribus ubi dolor, ſiccitas in ſuperficie, inflammatio ambitusque tumidus adſunt, omnia haecce remedia adhiberi nequeunt, quia alias ſiccitas ulceris, inflammatio aliaque ſymptomata augentur ideoque conſolidatio impeditur.

p. 653. Cauſtica, de quibus in altera diſſertationis parte agitur, a Noſtro vocantur *remedia chirurgica, quae expoſita per aliquot tempus contactui alicuius partis viuentis, omne id deſtruunt, quod inueniunt idoneum propriae actiuitati.* Cauſtica ope particularum ignearum, quas poſſident, agere, iisdemque oleum in primis deſtrui, aquam diſſipari particulasque terreſtres ſicciores fieri, Noſter aſſerit. Variant autem cauſtica pro varia, quam exſerunt, actione. Alia enim connexionem cuticulae cum cute ſoluunt, ut veſicatoria; alia gangraenam in cute excitant, ut calx viua cum

cineri-

cineribus clauellatis mixta etc. alia denique duritiem morboſam abſumunt, ut ſal tartari, oleum vitrioli, etc.

Quod ad uſum cauſticorum ſpectat, Noſtro de p. 661. prima ſpecie nihil quidquam dicere placuit, ſecundae autem ſpeciei cauſtica ad aperienda gummata venerea, hydrocelen curandam, aperiendos tumores cyſticos, tendinibus, neruis vaſisque magnis non adiacentes nec cum oſſibus coniunctos, dolore carentes nec cancro proximos, porro ad delendas verrucas, deſtruendosque naeuos maternos et ſarcocelen curandam commendantur, in tumoribus autem ſcirrhoſis ſedulo interdicantur. Tertiae ſpeciei remedia ad delenda ſarcomata tam venerea quam alia, porro ad ſtrumas ulceroſas, calloſaque ulcera curanda laudantur, ita tamen, ut ſemper attentio adhibeatur, utrum morbi ſtatus aut ſedes cauſticorum applicationem permittat. Saepe enim ob neruos, tendines etc. iſta remedia adhiberi prorſus nequeunt, et ſi etiam adhiberi poſſunt, ſemper tamen cautione opus et a mitiſſimis incipiendum eſt.

VIII.

Diſſertation ſur l'aether, dans laquelle on examine les differens produits du melange de l'eſprit de vin avec les acides mineraux, Par M. BAVME', M. Apothicaire de Paris. A Paris, chez Iean Thomas Hériſſant. MDCCLVII. 12. mai. pl. 15. tab. aen. 2.

h. e.

Diſſertatio de aethere, in qua varia ex miſtione ſpiritus vini cum acidis mineralibus producta examinantur. Auctore Cl. BAVME'. etc.

Adductis ſub initium huius libelli auctoribus, qui de combinatione ſpiritus vini cum acido minerali ſcripſerunt, Noſter dein miſcelam hanc ante aliquot ſecula et a RAYMVNDO LVLLO iam tentatam fuiſſe, perhibet; quibus enarratis ad ipſam tractationem accedit et primo de aethere vitriolico agit.
p. 27. Ad eum obtinendum ſex librae ſpiritus vini cum totidem libris acidi vitriolici miſcentur, liquoresque, retortae vitreae commiſſi, aucto ſenſim caloris gradu, ad ebullitionem uſque euecto, deſtillantur, hicque labor eo uſque continuatur, donec albi vapores prodeant. Abſiſtitur dehinc ab operatione recipiens remouetur et liquor in eo collectus ſeparatur. Recipiente ad retortam iterum adaptato igneque paulo moderatiori applicato deſtillatio continuatur, tuncque ſpiritus ſulphureus, valde volatilis, una cum pauxillo olei ſupernatantis prodit; in retorta autem materies nigra, craſſa, odoris ſulphurei, bituminoſa remanet. Liquor primo egreſſus cum pauxillo olei tartari per deliquium miſcetur, retortae vitreae iterum committitur et, accenſis aliquot ellichniis ſuper lampadem ex balneo arenae deſtillatur. Striis in collo retortae viſis ellichnia extinguuntur, atque,

guttis

guttis elabentibus imminutis, liquor egreſſus, qui pro aethere habetur, ſeparatur. Recipiente iterum agglutinato igneque paulo fortiori accenſo liquor prodit, ab HOFFMANNO mineralis anodynus dictus. Quod in retorta reſtat, paruam olei dulcis, phlegmati acido ſulphureo ſupernatantis, portionem conſtituit.

At vero mixti liquores abſque interrupta ſerie p. 48. ad ſiccitatem uſque ſi deſtillantur, ſequentia exhibent producta: 1) Prodit ſpiritus vini non mutatus. 2) Spiritus vini parum mutatus, valde aromaticus, olei et phlegmatis parte orbatus exit, hicque liquorem anodynum mineralem HOFFMANNI ſuppeditat. 3) Hos liquores ſequitur liquor aethereus, valde leuis, volatilis, inflammabilis, odore grato, aromatico praeditus. 4) Liquor aquoſus, leuiſſime acidus exit. 5) Huic liquor paulo magis acidus, valde volatilis, non inflammabilis, ſub nomine ſpiritus ſulphurei volatilis cognitus, ſuccedit. 6) Cum hoc et praecedente liquore oleum inſimul dulce, aquae ſupernatans, exit. 7) Aliud oleum, citrinum, minus fluidum et ſub aqua fundum petens cum acido ſulphureo fortiori deſtillat. 8) Liquor ponderoſus, niger, craſſus, valde acidus, pro vero oleo vitrioli, ſed ſulphureo habendus, ſequitur. 9) Materies albicans, ſulphuri communi quidem ſimilis, neque vero omnibus eiusmodi dotibus donata, ſublimatur. 10) Denique in retorta materies nigra, ſplendeſcens et fragilis, pro bitumine alias habita, omnibus autem bituminis proprietatibus non praedita, reſtat. Quodſi vero ſtatim, ac liquor aethereus egreſſus eſt, p. 54. a deſtillatione abſiſtitur et reſiduum vaſi lapideo, *Bouteille de grais* dicto, minus cocto, ſuppoſito alio eiusdem materiei vaſculo, committitur, tunc, octodecim menſibus elapſis, liquor purus, pellucidus, valde acidus per filtrum quaſi penetrat, qui deſtillationi commiſſus alia, quam communi modo deſtilla-

 tus

tus liquor, producta exhibet. Exit nimirum primo phlegma acidulum, cui aliud, paulo magis acidum, neque vere ſulphureum ſuccedit; deinceps acidum prodit, quod odore acidi ſalis marini donatur; porro ſequitur acidum ſulphureum, colore ex purpureo coeruleſcente, *Lilac*; tum oleum vitrioli puriſſimum albiſſimumque exit; tandem materies, vitriolum martis ſiſtens, in fundo retortae remanet.

p. 67. Recenſita hactenus producta ſeorſim conſiderantur, atque primus liquor examinatus verus ſpiritus vini, non mutatus, aeſtimatur. Secundus liquor, valde volatilis et penetrante odore donatus, ſpiritum vini mutatum cumque acido vitriolico combinatum ſiſtit. Aether, ordine tertius liquor, valde ſpirituoſus, inflammabilis, volatilis, odore ſuaui, penetrante ſingulari praeditus eſt, et ex partibus ſpiritus vini ope olei vitrioli ſeparatis oritur. Hocce enim, oleum vitrioli, in principium oleoſum et aquoſum agens, ea ab acido vinoſo ſeiungit atque ideo ſpiritum vini in mixtione mutat. Itaque aether nihil niſi ſpiritus vini ſumme rectificatus et ita mutatus eſt, ut aquoſum quidem cum oleoſo principio liquorem adhuc conſtituat, tantam autem, quantam in ſpiritu vini ſimplici habet, connexionem cum oleoſo ultra non poſſideat, quare etiam fit, ut liquor iſte aethereus, rite praeparatus, omnem fere cum aqua miſcelam reſpuat. Experimenta, quae Cl. Auctor cum liquore hoc aethereo inſtituit, varia declarant. Deguſtatus namque liquor ſenſum frigoris in lingua ſimilemque effectum in cute, ſi affricatur excitat. Liquor thermometri, in liquorem aethereum immerſi, deſcendit, niſi vero iſte euaporet et immediate thermometrum tangat. nullus deſcenſus annotatur. Si globulus vitreus, oleo oliuarum plenus, eo immergitur, hoc congelaſcit, idque pariter in aqua obſeruatur, quando vaſculum aqua plenum in liquorem aethereum, glacie frigefactum immittitur. Cum aqua mixtus

tus iſte liquor caleſcit, cum glacie vero coniunctus liquoris, in thermometro contenti, deſcenſum efficit. Idem liquor in vas vitreum, patulum, figurae conicae, immiſſus poſt aliquot horas in auram abit, guttasque aliquot phlegmatis aciduli, aceto deſtillato ſimilis, relinquit. Liquor aethereus accenſus fumat et colorem chartae album in nigrum vertit. Sub antlia pneumatica diſquiſitus, quam primum aer extrahitur, bullulas aliquas emittit, omni autem aere extracto, nihil ultra obſeruatur. Pulueris pyrii aliquot granulis ſuperfuſus aether vitriolicus et accenſus poſt conſumtionem puluerem iſtum accendit, ipſe autem ope ignis electrici accenditur. Cum oleo tartari per deliquium mixtus poſt aliquot menſes veri tartari vitriolati cryſtallos, ſed ſingularis figurae, exhibet. Cuncta haec experimenta atque ea etiam, quae ad disiungendas liquoris aetherei partes conſtitutiuas inſtituta ſunt, probant, liquorem aethereum nihil niſi ſpiritum vini ſumme rectificatum eſſe, omnemque differentiam in gradu tantum concentrationis partium ſpirituoſarum inflammabiliumque conſiſtere. His experimentis iunguntur demum alia, quae varios liquoris aetherei, cum variis corporibus mixti, effectus probant, et in primis oſtendunt, eum non niſi ad certa quaedam corpora, praecipue oleoſa, ſoluenda et ad extinguendas veſtimentorum maculas oleoſas idoneum eſſe. Quartus liquor, qui in deſtil- p. 181.
latione una cum aethere exit, phlegma acidulum eſt, quod pro acido vitriolico volatili, valde debili, habetur. Quintus liquor acidum ſulphureum vola- p. 186.
tile exhibet, ex quo cryſtalli ſalinae obtinentur, quae, ſuperfuſo acido vitriolico, vaporem leuem ſalis marini emittunt. Sextum et ſeptimum productum oleum p. 205.
duplex largitur, quorum alterum citius aſcendit nec adeo ſulphureum eſt; ambo tamen oleo eſſentiali ſimilia ſunt nec ullam in metallis mutationem, ſi ab omni ſulphureo liberantur, proferunt, hinc pro eſ-

ſentiali tantum oleo vini habentur. Quodſi autem
oleum quoddam eſſentiale adhibitum fuerit, hoc ſem-
per odorem plantae ſpecificum retinet, eumque etiam
cum liquore aethereo communicat ideoque ab oleo
p. 216. vini eſſentiali differt. Octauum productum acidum
volatile ſulphureum ſiſtit, de quo inter alia notan-
dum, aeri liberiori iſtud expoſitum et volatili ſulphu-
reo liberatum, odorem acidi ſalis marini exhibere.
p. 222. Nonum productum verum oleum vitrioli dicitur,
hocque omnia praeſtat, quod alias oleum vitrioli,
p. 224. nunquam uſurpatum, praeſtare ſolet. Decimum
productum ſublimatum exhibet, communiter pro
ſulphure habitum, ſecundum experimenta vero po-
p. 227. tius pro ſale volatili acido habendum. Vndecimum
productum ſpeciem bituminis, ſecundum Noſtri ſen-
tentiam, pro vero bitumine non habendi praebet.
Hoc examinatum et deſtillatum acidum dat ſulphu-
reum, quod aeri libero expoſitum odorem ſulphu-
reum amittit aliumque, acido marino ſimilem, oſten-
dit. Maſſa dura, nigra, poſt deſtillationem in re-
torta remanens ſi calcinatur, colorem coeruleum
obtinet et cum acidis efferueſcit. Si in aqua eadem
ſoluitur et filtratur, lixiuium oritur, quod cum aci-
dis et aceto inprimis mixtum praecipitatum exhibet,
hepati ſulphuris ſimile, minime vero pro vero ſul-
phure habendum. Liquor ſuperſtes euaporatus ſa-
lem vitrioli, a Cl. POTT commemoratum, exhibet.
Idem hic liquor, per filtrum traiectus, et cum acidis
mineralibus mixtus praecipitatum flauum praebet,
quod cum oleo tartari per deliquium combinatum
coeruleum fit et coeruleum ſic dictum Berolinenſe
ſiſtit, inde ferrum in oleo vitrioli contineri, colligi-
tur. Materies iſta bituminoſa poſt deſtillationem
aetheris, cum alcali fixo mixti, remanens, deſtilla-
tioni iterum commiſſa alcali volatile et oleum foeti-
dum exhibet, illa vero materies, quae, ſi reſiduum
absque alcali admixtione ad ſiccitatem uſque deſtilla-
tur,

tur, remanet, nullum alcali volatile, nullum oleum foetidum, ſed acidum dat vitrioli valde ſulphureum; atque quod in deſtillatione reſidui illius, per filtrum ſingulari modo traiecti, ſub ſolidiori forma Noſter reperit, verum fuit martis vitriolum. Tandem oleum vitrioli, colore coeruleo praeditum, exit, quod examinatum verum absque alcali additione Coeruleum Berolinenſe largitur. Sal tartari aut cineres clauellati, aqua ſoluti, reſiduo aetheris non filtrato ad ſaturationem uſque admixti, efferueſcentia prius oborta, tartarum dant vitriolatum. Reliqua expe- p. 256. rimenta, quae Cl. Auctor cum reſiduo poſt deſtillationem aetheris ſuſcepit, oſtendunt, quomodo ex hoc reſiduo oleum vitrioli puriſſimum obtineri et materiae bituminoſae rarefactio eiusdemque inter deſtillandum aſcenſus ope aquae affuſae impediri poſſit.

Pari ratione experimenta cum ſpiritu nitri fu- p. 265. mante et ſpiritu vini inuicem mixtis inſtituta ſunt et aether quidem productus fuit, ipſa tamen experimenta a praecedentibus diuerſa deprehenduntur. Ex numeroſis, quae Noſter inſtituit, patet, ſumma in miſcendis his liquoribus cautione opus eſſe, quorum tantum ea, quae bono cum ſucceſſu inſtituta ſunt, commemoramus. Itaque ſex unciae ſpiritus vini, ſumme rectificati, vaſi vitreo denſo, libram aquae alias continenti, induntur, quibus quatuor vicibus quatuor unciae ſpiritus nitri fumantis, continuo vas mouendo, ſuperfunduntur. Miſcela facta vas ſubere obturatur et corio inſuper firmatur, aqua frigida de reliquo vaſi circumfuſa. Horis viginti quatuor elapſis aether iam formatus ſupernatat, ſique per octo inſuper dies vas quietum ſeruatur, maior aetheris copia formatur, hocque tempore elapſo nihil ultra producitur. Acu tunc perforandus ſuber eſt, quo aer nimis condenſatus exire poſſit, quo egreſſo ſuber dein remouetur et aether pondere quatuor unciarum a reliquo liquore, ſubtus contento,

in aliud vas ope infundibuli vitrei transfunditur et reconditur. Hunc modum ſi ſeruaueris, ſemper aetherem absque periculo obtinebis, ſecus autem ſi feceris, maximum periculum ſuberit et vaſa diſplodentur, aut aether minori copia vel etiam nunquam obti-
p. 296. nebitur. Quod ad reſiduum aetheris nitroſi attinet, iſtud acidae indolis eſt et partes ſpiritus vini disiunctas continet. Deſtillationi id commiſſum liquorem valde inflammabilem, odoris ſuauis, aquae miſcibilem, acidum, colorem ſyrupi violarum viridem reddentem cumque oleo tartari per deliquium efferueſcentem exhibet. In retorta materies flaua, ſuccino ſimilis, remanet, quae ex oleo vini, cum acido nitri mixto conſtans, et pro ſapone compoſito aut materia gummi ſaponacea habita, aquam ex aere attrahit inque ea, nunquam vero in ſpiritu vini, ſoluitur. Si reſiduum hoc cum alcali fixo ſaturatum deſtillatur, liquor, ex ſpiritu vini ſumme rectificato et aethere nitroſo conſtans obtinetur, quem Cl. Auctor liquorem anodynum nitroſum vocat. Poſt hunc alcali volatile et oleum foetidum eodem modo, ut in deſtillatione aetheris vitriolici annotatum fuit, aſcendit.

p. 314. Tandem etiam ex commiſtione acidi ſalis marini cum ſpiritu vini aetherem ſe obtinuiſſe, Noſter perhibet. Cum autem haecce operatio difficillima ſit atque memoratus aether non, niſi encheireſi peculiari rite obſeruata, obtineri poſſit, Noſter ea propter operationem ſequentem inſtituendam eſſe praecipit. Salis marini decrepitati libra una committitur retortae tubulatae, in reuerberatorio furno collocatae, cuius collo recipiens adaptatur, quod praeter aperturam pro recipiendo collo aliud orificium in fundo aliudque a latere poſſidet. Priori phiala longo collo atque etiam medio in ventre orificio pro emittendis vaporibus elaſticis interdum aperiendo, inſtructa agglutinatur. Poſteriori autem parua cucurbita, ſpiritum vini continens applicatur, cui paruus furnulus

ſuppo-

ſupponitur. Cunctis commiſſuris luto bene firmatis olei vitrioli unciae octo ſenſim per tubulum ſali marino affunduntur eodemque tempore, dum nebulae in recipiens tranſeunt, ignis in paruo furnulo accenditur, quo ſpiritus vini in vapores reſoluatur. Tandem etiam ignis in furno, retortam continente accenditur, quo facto vapores ſalis marini in recipiens exeunt, qui cum vaporibus ſpiritus vini, in idem recipiens ſimul tranſeuntibus, miſcentur et in guttas collecti in ſuppoſitam phialam deſcendunt. Operatione finita liquores, in phiala collecti, ſeparantur inque vas vitreum, epiſtomio bene obturandum, transfuſi menſis ſpatio in digeſtione frigida ſeruantur. Tempore hoc elapſo, liquores ſuper lampadem aut leniſſimum carbonum ignem deſtillantur, tuncque parua portio liquoris citrini et pinguis ſupernatantis in recipiente deprehenditur, quem Cl. Auctor pro aethere marino habet et experimentis, ultro continuandis, confirmare ſtudet.

IX.

Quaeſtio Medica. An in celluloſo textu frequentius morbi et morborum mutationes. Praeſide FRANCISCO THIERY; Reſp. *Guil. Bertold.* Pariſiis, 1757. 4. pl. 1½.

Cl. Auctor primo fabricam et naturam, deinde uſum, tum morbos et tandem, quaedam de curatione texti celluloſi exponit. Vocatur vero illi textum celluloſum ideo, quod cellulis innumeris ad ſe mutuo patentibus ſit conflatum. Conſtat autem laminulis a ſe inuicem ſeiunctis, neruis, vaſculis omnis generis interiectis, quorum innumeri humorem eructant lymphaticum varium, pinguem nempe, mucoſum, ſeroſum variae conſiſtentiae areolas diſtendentem. Laminulae ipſae, quaquauerſum obuerſae,

ſae, et temere quaſi diſpoſitae, ſunt fibrae tenuiſſimae, breuiſſimae, ſed utcumque planae, et in latitudinem variam expanſae, et inde a fibris longioribus et nullius fere latitudinis diſtinctae, quamuis et harum nulli ſua deſit vaginula celluloſa. Hoc itaque textum celluloſum, plus minus ſtrictum vel laxum, craſſum vel tenue, et liquore vario plus minus pingui et copioſo refertum atque peruium in ſingulis partibus oſtendit, illasque ex eo maxime componi docet uſumque addit, qui in eo conſiſtit, ut firmitas, mollities, mobilitas et elegantia omni machinae concilietur. Contractioni itaque muſculari inſeruit, nec non ſecretioni, vaſa enim diſtinguit, nectit, ordinat et in infinitas figuras ducit. Mollis adeps in cellulas exſudans partes lubricat a frictione, ariditate et frigore praeſeruat, bilis praecipua eſt materia, ſanguinis acrimoniam temperat, in exercitiis diuturnis et inedia prodeſt. Medulla oſſibus cum leuitate firmitatem conciliat et liquido mixta mucaginoſo articulos lubricat. Liquoris ſubpinguis ope et ſubtiliſſimi perſpirabilis vapore fibrarum et membranarum concretiones impediuntur. Humor mucoſus in cellulis aſſeruatus in alimentum cedit. Ad morbos accedens monet, illos vel cum materie vel ſine illa fieri, quorum primi in humorum, alii in ſolidorum vitiis potiſſimum conſiſtunt, eorumque mutationes recenſet. Inde vero a texti celluloſi morbis qui cum materie fiunt, incipit et pinguedinem nimis auctam conſiderat, quae partes comprimit, fibras relaxat, vaſa anguſtiora reddit, motum et ſenſum minuit et varias functiones laedit. Muſculi inde aliquando prorſus deficere videbantur. Illa vero, liquidis miſta circulantibus, variis in cauis deponitur, et ſi in corde concreſcit, ſubito interimit. In oſſibus medulla vero abundat, ab eius autem defectu fractura, a corruptione paedarthrocace et diri oſſium morbi: ex aucta axungia articulorum horum dislocatio, ex illa imminuta

minuta ſtrepitus, rigiditas, anchyloſis oriuntur. Iis, quibus celluloſae membranae in toto corpore macilentae ſunt, acuti morbi ſunt frequentiores. Si texti ſpongioſi cellulae deplentur, atrophia eſt. Cito et multum quoque pinguedo abſcedit a propria indole; in tinea inſtar ſeri liquidiſſimi diffluit putrida etiam fit et rancida; in cancro vero ſummus corruptionis eius eſt gradus, omnia vitia facile etiam ſuſcipit et tenaciter retinet, hinc varii morbi, in primis cutanei, oriuntur. Ab admiſſo in cellulas aere fit emphyſema, horrendum certe viſu, ſi pulmoni ipſi vulnus leue anguſtum inflictum ſit. Vola tamen manus et planta pedum aerem recuſant. Anaſarca porro et leucophlegmatia loca inania et vacua alias opplent et totum corpus vel eius partes infeſtant. Variae hinc partes ex ſede ſua dimouentur; hinc duodenum flatibus vel aqua turgidum varias facit aegritudines, quae vicinis viſceribus male adſcribuntur. Situ porro et mollitie vaſorum in tunica cellulari et pinguedinoſa ſerpentium, amplitudine ductuum adipoſorum et facili per eos ſanguinis admiſſione atque cellularis vitiis effici perhibet, ut cruor variis de cauſſis effundatur. Inde ecchymoſis, aneuryſma ſpurium et varii nominis exanthemata, quae gradu tantum differunt et inflammationi proxima ſunt. Duplex vero genus inflammationis admittit, ubi nimirum cruor vel vaſa lymphatica diſtendit, vel in telae interſtitiis deponitur, poſterius tamen in omni inflammatione perpetuum eſſe, ſimul vero vim neruorum intendi aſſumit, et cellulares adipoſas phlegmone, alias ſtrictiores eryſipelate affici monet; inflammationis autem et ſuppurationis nec non gangraenae et ſphaceli materiam et ſedem praecipuam eſſe pinguedinem et textum celluloſum, fuſe exponit. Textum porro cum pinguedine vel muco vitiatis induratum varios tumores efficit, grandines, tubercula, clauos et tumores cyſticos. Depoſitio humoris ſalino terrei in cellulari muſculorum hos

indura-

induratos reddit, in neruorum cellulari paralyſin, in illo glandularum variam maſſam informem producit. Haec celluloſa fabrica vitiis quoque humorum circumeuntium facile afficitur et ſeroſae colluuiei praecipua ſedes eſt. Illa quoque vel ſtricta vel relaxata nimis eſt, tenuior etiam vel craſſior deficit interdum, vel calloſa eſt, vel morboſe efformatur aut ampliatur et cohaeſiones praeternaturales carunculas, ulcerum fungos, hyperſarcoſes, polypos etc. partium duritiem et alia producit. Materia morbifica libere quoque per illam progredi poteſt; id demonſtrant anaſarca oedemata, internis cauſſis extricatus per cellulas vagans dolores producens et inflammationes laedens aer, puris ſi exitum non habet reſorptio vel ulcerum ſinuumque formatio, purulentae metaſtaſes, in locis, ubi amplior et pinguior cellularis eſt, potiſſimum obuiae; ſeroſae et acres materiae, quas cellularis tenui perſpirabili madida, ut pulmo potiſſimum, ſuſcipit, gangraena, ſphacelus, ſcirrhus. Damna vero inde producta vix compenſat celluloſa ſolidum et cicatricem ſuppeditans. Probant hanc communicationem quoque glandulae variae in vicinia vagantes, tumores lymphatici diffluentes, pediculi et vermiculi, vena medinenſis, duriſſima corpora, glandes plumbeae, aciculae. Quamuis vero haec ita ſint, materiae tamen morbificae congeneres ut plurimum telas affectare et ex adipoſa in adipoſam, ex muſculari in muſcularem, ex nerui cellulari in ſimilem progredi et hinc in neruorum morbis textum eius frequenter peccare Auctori videntur. Illud vero materiae virulentae, lente in primis, corpus afficientis praecipuam ſedem eſſe profert et monet longos morbos in celluloſo, acutos in vaſculoſo ſyſtemate ſedem magis habere, utrumque tamen mutuum ſibi aditum praebere. Summam tandem curationis addit et textum illud replere vel deplere docet et inter alia in priori caſu vaſa debilitare et laxare etiam venaeſectione, in altero roborare

roborare vel dilatare ſuadet, et omnis generis auxilia profert in his morbis adhibenda.

X.

An ut caeteris animantibus ita et homini ſua vox peculiaris? Diſput. an. 1757. M. PETRO LVDOVICO MARIA MALOET, Praeſide D. Med. Pariſ. Reſp. *Iac. Sauary*. pl. 3½.

Summa huius diſputationis lectu dignae haec eſt: Homo, naturae opus primarium, praeſtantiae ſimul et miſeriae miraculum inexplicabile eſſe videtur, nam, ſi adultus et in ſocietate viuens ſpectatur, reliqua animantia omnia quam longiſſime ſuperat cum facultatibus animi excellentiſſimis, tum artibus praeclaris, ſin vero ſolus et in vitae principio, omnium imbecillimum animal ineptiſſimumque. Ad facultates animi quod attinet, aliae a natura ſunt, ex inſtitutione aliorum atque conſuetudine ſunt adquiſitae aliae. Inſtitutio omnis ex loquendi vi tam magnifica tamque diuina exiſtit, quae primum efficit, ut ea, quae ignoramus, diſcere et alia, quae ſcimus, alios docere poſſimus. Hinc quaeſtio nata eſt, an praeter homines et aliae belluae gaudeant facultate loquendi, et altera cum prima coniuncta, utrum homini peculiaris vox a natura data ſit, nec ne?

Vox generatim eſt ſonus ab animali per inſtru- p. 4.
menta, quae vocalia auctor appellat, voluntarie emiſſus; duplicis generis ſunt haec inſtrumenta, alia remota ut pulmones, muſculi intercoſtales, ſeptum transuerſum etc. alia proxima. Aer ope dictorum organorum exprimitur vel ſonorus, tunc vox dicitur, vel non ſonorus, tunc halitus et ſpiritus appellatur. Id quod ſpiritum non ſonorum efficit, commode vocis organum appellaueris. Sed quidnam illud ſit, quod non ſonorum ſonorum reddat, de eo magna doctorum

hominum

hominum eſt diſſenſio atque contentio. Veteres ante GALENI tempora aſperam arteriam formandae vocis inſtrumentum eſſe ſtatuebant, ſibique perſuadebant fiſtulam hanc ſimili modo, quo tibiae ſonum reddere ſolent, vocem efficere. GALENVS primus paullo rectius glottidem praecipuum vocis organum eſſe voluit. Tandem DODARDVS in actis Acad. ſcient. docuit, aſperam arteriam modo ſuppeditare materiam vocis et praeterea nihil, ſolam glottidem genuinum et immediatum eſſe vocis inſtrumentum, eamque, cum tendinoſis labrorum ligamentis magis aut minus coarctata ſit, ſonos edere magis aut minus acutos. Sed poſt eum Cl. FERREIN oſtendit, vocem eiusdemque diuerſos tonos ſola glottidis arctatione nequaquam explicari poſſe, idcirco nouam ſuoque ingenio valde dignam excogitauit explicandae vocis rationem, eamque multis atque egregiis experimentis confirmauit. Eſt autem haec: vocis inſtrumentum verum eſſe dichordon pneumaticum et labra glottidis, ipſi taenias ſonoras ſiue chordas vocales dicta, non inepte cum binis clauicymbali fidibus iſochronis poſſe comparari, aerem in has taeniolas impingentem exſpirationis tempore cum plectro, et vim thoracis ac pulmonis exſpirantis cum fidicinis dextra plectrum in fidibus lentius vel citius agente.

p. 8. Oſtenditur itaque, quot diſtent modis quadrupedum organa ab eis, quae in volatilibus reperiuntur. Atque ex modo traditis diſcriminibus aliisque rebus, quas experientia nos docet, colligit demum tria organorum vocalium genera, ſua natura diſcrepantia, atque triplicem efformandae vocis mechaniſmum. Ergo tres quoque claſſes ſonorum animalium ſtatuendae; prima a voce humana maxime diſcrepans eſt auium membranoſa lingula in ima trachea carentium; quam vocem ſibilantem ſiue ſimplicem auctor nominat. Altera eſt auium aquaticarum

aliarum-

aliarumque lingula membranoſa ſupra bronchiorum diuiſionem donatarum; media eſt inter ſibilum et quadrupedum vocem, et ab eo clangoſa vox ſiue clangor appellatur; tertia denique hominis eſt atque quadrupedum et vocis nomen ſpeciatim retinet. Iam quo pacto ſub unoquoque genere comprehenſae voce ſibi propria gaudeant forma inueſtigatur.

Vociferationes, quas dicit, magis aut minus variatae in ſpeciebus, maiori aut minori inſtinctu praeditis, conſtituunt brutorum loquelam. Forma harum vociferationum nihil aliud eſt, quam alicuius partis in ore ad aliam appulſus, quo vocis ſonus modificatur, alteratur, interciditur. Inde varia eſt vociferatio, cum in pennatis, tum quadrupedibus, altera eſt cita et quaſi monoſyllaba, qualis eſt paſſerum et pipientium omnium; continuata eſt altera, quae fit vel absque nouo appulſu, ut in tauro, oue etc. et ſatis apte diceretur vox fuſa, vel in non nullis multoties iteratur idem appulſus, ut in cane latrante, equo hinniente, quae vox interciſa appellanda, alia animantia eundem appulſum bis tantum repetunt, ut anſer, unde vox geminata, alia duas ſyllabas diſtincte articulant, ut lacerta Tockaye, unde vox articulata, quaedam denique vociferationes ad nullam ex ſupra dictis referri poſſunt, ut aſinorum ruditus hanc vocem anomalam nominat. Alio modo ſic poſſunt diſtingui vociferationes animantium atque internoſci. Sunt, quae rudiore inſtinctu donata vocem habeant minus diſtinctam et variatam v. c. oues, boues, lepores, ſunt porro alia, quaſi ſagaciora, pluribus animae commotionibus obnoxia, quae vocem diſtinctiorem edere ac pro vario effectu variare norint. Sed hae varietates omnes intra admodum anguſtos limites poſitae ſunt, ſi ſpectes varios et innumeros vocis humanae modos.

Dupliciter ea vox conſiderari poteſt: 1) in eo ſtatu, quem habet cum reliquis animantibus com- p. 13.

munem, deinde quatenus homo, ratione ornatus, illa voce utitur ad ſignificandas cogitationes ſibi proprias. Quum omnes homines cuiuslibet gentis ſimiles ſonos emittant ab idiomate proprio non pendentes ad declarandas appetitiones animi commotionesque, efficitur, ut hominibus, quam cum reliquis animalibus communem habeant, vox competat. Itaque naturalis eſt haec lingua, quae ob neruorum et cordis et laryngis conſenſionem ſubſequitur, ut in laetante et ridente cachinnus, in moerente et lachrymante fletus etc., quae dicta ſunt, mirifice confirmant interiectiones atque exclamationes, quae apud uniuerſos homines, ne ſummos quidem exceptos, ſimillimae ſunt, et voce et tono. Haec de voce naturali. Sequitur loquela, cuius organa vel remota et quaſi materiam conſtituentia, vel proxima ſunt; quae denuo vel efficientia nempe lingua, maxillae cum dentibus affixis et labra, vel naturam tantum patibilem habent, utpote duo aeris e pulmonibus erumpentis meatus, oris cauitas et lacunar narium. His loquelae elementa non admodum multa, litterae nimirum formantur, quae ſunt vel vocales, vel conſonantes. Vocalis eſt ſonus humanus ſiue vox ſimplex ſola oris apertura modificata absque ullo linguae aut labiorum ad aliam partem appulſu. Vocalium bene ſonantium et diſtinctarum paruus eſt numerus, ſic in lingua franco-gallica tantum duodecim numerantur, de quarum indole et pronunciatione Auctor exponit. Ex ſolis vocalibus oratio conſtare non poteſt. Loquela potius murmur quoddam foret, niſi earum ſonus interciperetur. Haec interceptio momentanea, per appulſum a parte ad partem facta, conſtituit conſonantis naturam. At dicet aliquis hanc partem loquelae elementariam non eſſe naturalem, ſed facili negotio, cum experientia duce, tum ratione euinci poteſt, quod etiam ea, quia ſolet cura Auctor fecit. Tum doctiſſime expenduntur conſonantes, ut

pateant

pateant earum natura et diſcrimina. At qui poſſunt tam paucae litterae tot ac tam varias voces in variis linguis formare? non mirabitur profecto, qui combinationis leges nouerit. Sic Auctor monoſyllabas tantum ex 4 litteris ad ſummum computans inuenit 98520 dictiones diuerſas ex 12 vocalium et 16 conſonantium ordinatione compoſitas, ſic numerum triſyllabarum poſſibilium ſupponendo ſyllabas ab una ad quatuor tantum litteras, prope 956050-96208000.

Taceo reliqua, quae Vir doctiſſimus vel firmandae ſententiae vel illuſtrandi argumenti cauſſa in medium affert.

XI.

RVDOLPH. AVGVST. VOGEL, Medic. Doct. et Profeſſ. Götting. Hiſtoria Materiae Medicae ad nouiſſima tempora producta. In uſum academicum. Lugd. Batav. et Lipſiae, apud Eliam Luzac. MDCCLVIII. 8. alph. 1 pl. 5.

Libellus hic multo ſtudio conſcriptus in duas partes diuiditur, quarum prior notiones generales, quibus actiones remediorum definiuntur, tradit inſimulque catalogum remediorum, quae in certis morbis ſingulares et conſtantes effectus praeſtant et ſpecifica audiunt, exhibet. Poſterior ipſas materies, viribus medicamentoſis praeditas, continet atque primo ea corpora, quae ex regno vegetabili, dein quae ex animali, tandem, quae ex minerali deſumuntur, exponit. Ita autem ordo tractationis in his obſeruatur, ut cuiuslibet regni uſitata primo loco conſiderentur, poſtea minus uſitata, denique obſoleta apponantur, quorum ſingula ſecundum ordinem alphabeticum in quauis claſſe reperies. De quolibet corpore, ſiue uſitatum, minus uſitatum aut obſole-

tum ſit, deſcriptionem, notas characteriſticas et vires Noſter indicat, hasque ultimas experientia tum auctorum, fide digniſſimorum, tum ſuapte confirmat, minime autem ſecundum partes conſtitutiuas definire audet. Hiſce enim extractis actiones medicamentorum, eorumque virtutes diuerſas minime inniti, imo ne generales quidem e. g. purgantes diureticas etc. vires inde deriuari poſſe, autumat. Praeterea remedia tantum ſimplicia, minime autem compoſita hic commemorantur, quippe quae in pharmacia potius, quam hoc loco recenſenda Noſtro videntur.

p. 1. De priori parte, ſumma medicamentorum genera comprehendente, ſequentia annotare liceat. Quicquid morbos vel arcet vel debellat, medicamentum dicitur, quod, absque praeparatione notabili et per ſe ſi adhibetur, ſimplex audit. Agunt medicamenta vel in ſolida vel in fluida, vel in utraque ſimul. Quae in ſolida agunt, vel texturam mutant vel motus eorum alterant. Ad illa relaxantia, indurantia et inflammantia pertinent, ad haec vero tonica et ſedantia referuntur. Quae in fluida agunt, vel qualitatem vitiatam corrigunt vel educendo eandem minuunt. Illa ſunt alterantia, haec euacuantia. Summa haec genera in diuerſas iterum diuiduntur ſpecies varieque appellantur, prout nimirum eorum effectus, applicandi modus atque actionis gradus eſſe
p. 6. ſolet. Actio medicamentorum a diuerſa particularum conſtituentium indole dependens imperfecte a priori cognoſcitur, certusque harum partium effectus determinari vix poteſt. Chemia tamen et ſenſus, guſtus in primis et olfactus, partes iſtas detegendo, interdum actiones indicant. Ita partes ſalinae acidae, alcalinae et mediae, dein ſpirituoſae, ſulphureae, oleoſae, reſinoſae, ſebaceae, ſaponaceae, gummoſae, mucilaginoſae, terreſtres et gelatinoſae Chemia eruuntur, quarum virtutes et actiones, ſingulis

gulis proprias eadem haec ars manifeſtat. Verum hac via incedere ubique non poſſumus, ſiquidem medicamentorum quorundam partes conſtitutiuae non ſemper, aut ſaltem imperfecte, imo dubie, eruuntur. Interdum ſapore medicamentorum facultates p. 10.
deteguntur. Ita amara, dulcia, acida, acria, auſtera, ſalſa, viſcoſa, ſicca, aquoſa, pinguia cognoſcuntur, quorum ſingulis peculiaris virtus ineſt. Sed et haec explorandi methodus ſaepe fallax eſt, multoque minus virtus medicamentorum odore cognoſcitur. Dantur quidem, qui huius ope virtutes, e. g. odore fragrante neruorum flaccidorum erectionem etc. indicari putent, ſed patitur haec res omnino exceptionem, ſiquidem uni ſaepe fragrans eſt, quod in altero nauſeoſum et conuellens deprehenditur. Optimam itaque certiſſimimamque, virtutes medi- p. 14.
camentorum cognoſcendi, viam experientia praebet, ita tamen, ut medicamenti notae bonitatis, doſis, praeparandi modus, morbi ſtatus, diaetae regimen, pars affecta, tempeſtatum ratio et, quod maximum, ipſius aegrotantis idioſyncraſia ſedulo attendantur.

De modo agendi medicamentorum ſpeciali ſe- p. 16.
quentia notamus. Primo medicamenta, quae in ſolidas partes agunt, conſideranda veniunt. Relaxantia dicuntur, quae fibras ob liquidorum defectum coalitas et rigidiores factas aut ab influente creſcenteque humore nimis intentas penetrant, longitudinem earum augent et ad flexilitatem et dilatationem diſponunt. Anodyna pro varia doloris cauſſa varie agunt. Ita namque externe relaxantia, emollientia, pungentium rerum extractio, partium laceratarum adductio, uſtio, induratio et abſciſſio; interne vero reſoluentia, attenuantia, laxantia et diaphoretica aut ſtimulantia aut acre corrigentia, diluentia et inuoluentia, aut carminatiua et lubricantia, aut anthelmintica et aluum ſoluentia anodynam vim praeſtare ſaepe ſolent. Hypnotica et narcotica, cauſſam

doloris minime tollendo ſtuporem inducunt aut ſenſum partis obtundunt. Tonica vel contractionis cauſſas augent, ut irritatio ſolidorum, humorum condenſatio etc. vel id, quod contractioni reſiſtit, remouent, ut ligaturae, compreſſiones etc. quo etiam modo adſtringentia traumatica, ſarcotica, ſtyptica, repellentia agunt. Stimulantia ob particulas, ſumme ſubtiles, acres, maiori vi ſolidorum contractionem augent, atque calorem motusque depreſſos excitant. His potentiora ſunt attrahentia, quae fibras ita irritant, ut ab eorum applicatione externa ſanguis et humores ad cutim alliciantur, haecque in veſicam interdum attollitur. Maiori adhuc imo ſumma acrimonia agunt catheretica, eſcharotica ac cauſtica, quae vel in nudam tantum carnem vel in hanc et cuticulam ſimul, vel et in hanc, cutim et ſubiectas carnes agunt.

p. 26. Ad medicamenta, quae in fluida agunt, referuntur abſorbentia, quae, ſi mere terrea in primis tantum viis acidum corrigunt, ſin vero ſalino alcalia ipſam ſanguinis maſſam penetrant eiusque lentorem corrigunt, atque etiam, interdum particulas ſalino ſulphureas in ſe recipiendo, refrigerant, ſolida humida exſiccant bilisque putredinem augent. Bezoardica vel materiem, humoribus et ſanguini in primis corruptionem inducentem, e corpore eliminant ut vomitoria, attrahentia et diaphoretica, vel eandem, ut diluentia et demulcentia, immutant. Reſoluentia ob tenuem, acrem et ſaponaceam materiem craſſos humores penetrant, incidunt et cohaeſionem minuunt. Quorſum etiam referuntur diluentia, quae pituitoſos humores penetrant et ſales ſoluunt, hincque reſoluunt, itidemque detergentia, quae lentos glutinoſosue humores adhaerentes expurgant. Incraſſantia vel particulis viſcidis humores compactiores reddunt, vel partes, ſpecifice leuiores auferunt vel tenuiores exturbant. Calefacientia vel ſtimulando

do vel reſoluendo agunr. Refrigerantia partium ſolidarum et fluidarum tritum imminuunt, idque vel diluendo et attenuando vel ſolidoruw vim contractilem deſtruendo vel acria expellendo fieri ſolet.

Ad medicamenta, quae fluidorum qualitatem vitiatam eliminant, pertinent euacuantia et primo quidem ventrem deiicientia, quae vel humores viſcidos reſoluunt vel fibras inteſtinales irritant. Pari fere ratione vomitoria agunt, ita tamen ut, validiorem ventriculi conſtrictionem excitando, ſubuerſionem inducant. Diaphoretica interdum vel ſtimulant, vel reſoluunt, vel diluunt, vel calefaciunt, vel relaxant, vel detergunt, hisque modis actionem exercent. Diuretica vel diluendo, vel reſoluendo, vel ſpaſmos, dum acrem materiem abſorbent aut demulcent, tollendo, vel et emolliendo agunt. Saliuantium, mercurii nimirum actio, declarari vix poteſt. Apophlegmatiſmi, ſaliuam et pituitam ex ore ducentes, vel oſcula glandularum ſaliualium obſtruunt, vel vaſa ſaliualia ſtimulant, ſicque pari ratione et errhina agunt. Emmenagoga calida fere ſunt et vel roborando, vel reſoluendo uterumque expurgando, vel relaxando vim exercent. Anthelminthica vel pituitam, ſedem vermium eiiciunt, vel qualitate, vermibus venenata, vel alia, nobis minus cognita, ut mercurius, vermes pellunt. Carminatiua, quae flatus exturbant vel reſoluendo, vel roborando, vel ſpaſmos tollendo, vel emolliendo operantur. Lithontriptica vel ipſam calculorum materiem diſſoluunt, vel gluten deſtruunt. p. 31.

Atque haec ſunt, quae ex hac parte excerpere potuimus. De poſteriori nihil eſt, quod addamus. Singulorum enim mentionem facere, rerum copia earumque breuis expoſitio non permittit. De reliquo librum hunc, ſingulari cura elaboratum uſu non carere, resque in eo notatas multis inſignibusque auctorum teſtimoniis confirmatas hincque artis medi-

 cae

cae tyronibus imo et aliis commendandum librum eſſe, iudicamus.

XII.

Philoſophical Transactions, giving ſome Account of the preſent Undertakings Studies, and Labours, of the Ingenious in many conſiderable Parts of the World, Vol. XLIX. Part I, for the Year 1755, London printed for L. Dauis 1756, Part II, for the Year 1756, London 1757. 4. plag. 967, et tab. aen. 27.

i. e.

Transactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Vol. XLIX Pars I et II.

In parte prima hae occurrunt obſeruationes:

p. 1. 1) Diſſertatio *de preſſionibus ponderum in machinis motis*, Auctore Cl. CHRISTIANO HE'E, Prof. Hafnienſi.

p. 4. 2) Cl. THOM. SIMPSON, S. R. S. *inueſtigatio regulae uniuerſalis ad reſoluenda iſoperimetrica problemata omnium ordinum.*

p. 16. 3) *Pars epiſtolae* Cl. IO. HVXHAM, M. D. ad Cl. W. WATSON, S. R. S. qua *de fulminis tactu, Plimuthi obſeruato*, agitur.

p. 18. 4) *Commemoratio morbi alicuius ocularii*, Auctore EDVARDO SPRY, Chirurgo.* Femina quaedam querebatur de vehementi dextri oculi dolore ac aliqua viſus hebetudine. Initio oculus alterum magnitudine

* Lecta d. 9. Ian. 1755.

tudine non ſuperabat, ſed tunicae corneae pelluciditas minuebatur et pupilla valde dilatabatur; nec etiam vaſa ſanguifera tunicae adnatae et ſcleroticae turgebant, nec ſolito magis rubebant. Sed poſt aliquas venae ſectiones et uſum veſicatoriorum dolor increbeſcebat, pupillae dilatatio et corneae tunicae opacitas augebatur, et, adnata ac ſclerotica multum inflammatis, omnis oculus prominebat. Tandem euerſio ſuperioris palpebrae cum magno dolore ſequebatur. Inciſio tunicae adnatae et arteriae temporalis, quidem breue leuamen adferebat, ſed nimia magnitudo oculi medentes iubebat hunc morbum inter carcinomata numerare. Igitur omnis oculus exſcindebatur et medela voto reſpondebat.

5) Cl. HENR. BAKERI, S. R. S. *Additamentum ad relationem de morbida cute, quam num.* 424. *philoſ. Transact. exhibet.* * Memoratur c. l. puer 14 annorum, cuius omne corpus, capite et palmis manuum pedumque exceptis, peculiaribus tuberculis obſitum erat. Hunc elapſis 24 annis adhuc viuum cum filio 8 annos nato, eodem cutis morbo laborante, vidit Cl. BAKERVS. Putat haec tubercula dici poſſe innumeram fuſcarum cylindracearum verrucarum progeniem. Decidere ea videbat in multis locis et iis noua pallidioris coloris ſuccedere, quod vir quotannis omni auctumno aut hyeme euenire dicebat. Eo tempore leuem morbum ſentit, a quo tamen venae ſectione ſibi cauere ſolet. Variolae et bis excitata ſalinatio vanam liberationis ſpem fecerunt. Nam etſi his durantibus tubercula euaneſcerent cutisque alba et mollis redderetur, attamen poſtea priſtinas ſedes occupabant. Ceterum vir per omnem vitam recte valuit. Ex ſex liberis, pari hiſpida cute veſtitis, supereſt unicus memoratus puer. Huic et reliquis poſt p. 21.

I 5 nonam

* Lectum d. 23 Ian. 1755 et vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. II. p. 218.

nonam a natiuitate ſeptimanam haec cutis naſcebatur, quae tamen etiam variolarum tempore non obſeruata fuit. Veroſimile igitur eſt, hunc virum peculiare hominum genus hiſpida cute donatum propagare poſſe.

p. 24. 6) *Epitome trium epiſtolarum* ISAACI IAMINEAV *ad* FRANC. HOSKINS EYLES STILES *datorum, quae incendium Veſuuii* 1754 *obſeruatum enarrant.*

p. 28. 7) *Relatio de agarico haemorrhagias poſt amputationes ſiſtente.* Auctore Cl. GVIL. WATSON.* Intelligitur LINNAEI *boletus acaulis puluinatus laeuis, poris tenuiſſmis* et BROSSART in hoc caſu eum agaricum optimum cenſet, qui in annoſa et ramis ſuis orbata quercu creſcit.

p. 30. 8) Cl. PETR. ASCANII, M. D. epiſtola ad Cl. PET. COLLINSON *de monte* Tabery *in Suecia ex minera ferri compoſito.*** Exiſtimat Auctor hunc montem olim arena ſepultum magnis motibus ſubterraneis aeri expoſitum fuiſſe, cum ipſi incredibile videatur eum nudum, qualem nunc videmus, in meram ferri mineram commutari potuiſſe.

p. 34. 9) *Relatio de peculiari cauſſa mortis puellae fere octennis* ſcripta a Cl. RICHARDO GVY, Chirurgo.*** Haec puella nullum leuamen ex medicamentis contra hydropem, quo laborare credebatur, propinatis ſentiebat, ſed emaciata vitam finiebat. Aperto cadauere nulla aqua, ſed ouata, fuſca, ſolida, cellulis fluida mellea quaſi materia repletis diſtincta et 14 libras ac 2½ uncias ponderans ſubſtantia, quae omne prope-

* Lecta d. 6 Febr. 1755.
** Lecta eodem die.
*** Lecta d. 13 Febr. 1755.

propemodum abdomen occupabat adiacentesque partes comprimebat, reperiebatur.

10) *Epitome duarum epiſtolarum* IAC. LATTERMANI, *Med. et Chir. ſtudioſi ad* Cl. SCHLOSSERVM *de effectu agarici quernei, truncatis artubus maioribus corporis humani impoſiti, et pulueris lycoperdi oſculis maximarum arteriarum in equo diſciſſarum adſperſi, cum ſocietate a Cl.* IOSEPH. WARNER *communicata.* * Vtrumque medicamentum in utroque caſu ſanguinis vim cohibuit. p. 36.

11) *Epiſtola* Cl. IAC. PARSONS, M. D. *ad* TH. BIRCH, qua *lycoperdon ut remedium aduerſus ſanguinis fluxum poſt amputationes* laudatur. ** Experimenta a Cl. LA FOSSE in aquis feliciter inſtituta noſtro Auctori digna videntur repetitione, quia hanc chirurgis viam ad ſimilia tentamina in corpore humano monſtrare poſſe opinatur. p. 38.

12) *Epiſtola* Cl. HENR. MILES, S. R. S. *ad* Cl. IO. CANTON, S. R. S., quae *de ſtatu thermometri die* 8 *et* 9 *Febr.* 1755 *in* Surria *agit.* p. 43.

13) *Epiſtola* Cl. GVIL. OLIVER, M. D. quae *de hydrope recenti oleo ſanato* exponit. *** Duabus feminis ac uni viro hydrope laborantibus oleum, quo acetaria condiuntur, inungebatur et morbus aucto urinae profluuio plane ceſſabat. p. 46.

14) *Obſeruationes eclipſium ſatellitum Iouis habitae* Vliſſipone *in regio collegio beat. virg. a neceſſitatibus nuncupatae*, a IO. CHEVALIER, *cong. orat. et R. S. Lond. S. anno* 1754. p. 48.

15) *Com-*

* Lecta d. 13 Febr. 1755.

** Lecta eod. die.

*** Lecta d. 20 Febr. 1755.

p. 49. 15) *Commemoratio malignarum febrium, quae ſub finem anni* 1753 *et initium inſequentis anni* Rothomagum *depopularunt* Auctore Cl. LE CAT.* Succinctam Noſter hiſtoriam morborum epidemicorum, a triginta abhinc annis in non nullis Galliae prouinciis graſſantium, exhibet. A vigeſimo enim tertio huius ſeculi anno, ſicca aeſtate conſpicuo, febres malignae miliares et hoc et ſequenti anno crebrius occurrebant. Anno trigeſimo ſexto et ſeptimo anginae gangraenoſae exitioſae erant, accedebat quoque peripneumonia maligna, quam tamen pituitoſam dicit Noſter. Anno trigeſimo nono Pariſiis graſſabantur continuae malignae febres cum delirio, breui funeſtae. Sicca aeſtas anni quadrageſimi tertii fluxus ventris ſanguineos epidemicos cum magna aegrorum imbecillitate, colicis doloribus et febre valida inducebat, ſede morbi in craſſis magis, quam in tenuibus inteſtinis et ventriculo inuenta, in diſſectionibus cadauerum inteſtina gangraenoſa et eroſa inuenit Noſter. Modica euacuatio, temperantes liquores et emulſiones nec non paregorica medicamenta, exigua quantitate data, optime conueniebant. Purgantia vero et venae ſectiones copioſae prorſus alienae erant. Emetica, in primis vitrum antimonii ceratum cum proſpero quoque ſucceſſu tentata fuerunt. Anno quadrageſimo quarto arthritici et rheumatici dolores frequentiores erant, ſequentes vero anni nullam ferme epidemicam labem offerebant, et quadrageſimo octauo demum anginae gangraenoſae exitioſae erant. Et hoc et ſequentibus annis uſque ad quinquageſimum primum febres malignae, maculis inflammatoriis in inteſtinis ſtipatae, in principio peripneumoniam mentientes, validis paroxyſmis non conſpicuae ſolennes erant, albae miliares puſtulae in his frequentiores triſtem morbi euentum indicabant, et haud raro variolis, quoque tunc temporis graſſantibus

* Lecta d. 20 Febr. 1755.

bus ſuperueniebant. Ab his principiis circa finem anni quinquageſimi tertii et initium ſequentis febres malignae a ventriculo, inteſtinis et pulmonibus, male affectis, cauſſam repetentes frequentiores erant et quaſi peſtilentiales videbantur. In primo gradu laſſitudo et articulorum dolores praecedebant alia ſymptomata, quae morbum diuturnum ſine vitae periculo trahebant; in altero gradu febres cum doloribus capitis acerbiores erant; in tertio gradu ſymptomata quidem in principio leuiora erant, paulo poſt tamen febris intendebatur et varia ſymptomata malignitatis ſuccedebant, v. c. angina, nauſea, delirium, lingua ſicca, ſtupor in remiſſione paroxyſmi, excretio puſtularum miliarium tandem vigeſimo primo ſaepe die ſequebatur. In principio moderatae quaedam venaeſectiones, emetica, multa aqua diluta, aluum aliquoties mouentia, vel laxantia antiphlogiſtica conueniebant; acidula temperantia et antiſeptica nec non analeptica et calidiora quoque medicamenta v. c. Theriaca veneta, vires languentes in morbi progreſſu ſuſtinebant. Erat tamen in hoc morbo ſolutio lenta, quae aegros diu languentes detinebat, et poſt plures menſes ſenſum laſſitudinis artuum, cephalalgias, pulſum irregularem, affectiones hypochondriacas et alia varia incommoda relinquebat.

16) *Narratio de obitu* Cl. GE. GVIL. RICHMANNI, *Prof. Petropolitani, fulmine percuſſi, ex germ. idiomate anglice verſa.* * p. 61.

17) *Expoſitio Romanae inſcriptionis* Maltoni *in* Eboracenſi *agro* 1753 *repertae*, Auctore Cl. IO. WARD, Prof. Gresh. p. 69.

18) *Catalogus quinquaginta plantarum horti* Chelſeyani *ad annum* 1754 *reg. ſocietati a ſodalitate pharmacopoeorum per* Cl. IO. WILMER *oblatus.* p. 78.

19) *Epiſto-*

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. IV. p. 588.

p. 82. 19) *Epiſtola* Cl. T. SIMPSON ad Ill. Com. de MACCLESFIELD *de utilitate medii numeri obſeruationum in practica aſtronomia.*

p. 93. 20) *Relatio de virtute ſtiptica* agarici quernei *et* fungi vinoſi *poſt amputationes* Auct. Cl. IAC. FORD, *Chirurgo.** Quum Auctor ſuſpicaretur hanc vim agarico non peculiarem eſſe, ſed ab eius textura pendere, eandemque alii perſimili fungo e. c. ei, qui in doliis et muris cellarum vinariarum creſcit ineſſe, hoc aduerſus haemorrhagias utebatur et experimentum non infeliciter proceſſit.

p. 96. 21) *Quaeſtiones a* Cl. MATY *ad amicum, Conſtantinopoli degentem, miſſae cum reſponſione* IAC. PORTERI *legati Anglorum in aula Turcica.*** Ex poſteriori ſequentia tantum addimus: Numerus eorum, qui Conſtantinopoli peſte moriuntur aeque minus certo ac ipſe incolarum numerus ſciri poteſt; itinerariorum ſcriptores fabulari videntur, quando afferunt plures feminas in oriente, quam mares naſci; Mahomedani pauciores liberos quam Chriſtiani habent; et inoculatio variolarum tantum apud Graecos, non vero Turcas obtinet.

p. 109. 22) *Epitome duarum epiſtolarum* THOM. HOLLIS, *quae de repertis in Herculaneo antiquis rebus agunt.*

p. 112. 23) *Exemplum epiſtolae, quam eruditus quidam Neapolitanus ad Cl.* CERATI *ſcripſit, ad Cl.* BAKER *miſſum et ab eo cum ſocietate communicatum.* Agit de libris manu ſcriptis prope Herculaneum repertis.

p. 115. 24) *Epiſtola* IO. PORTERI *ad* WETSTEIN, F. R. S. *terrae motus Conſtantinopolitanos recenſens.*

25) *Epiſto-*

* Lecta d. 10 Apr. 1755.
** Lecta d. 10 April. 1755.

25) *Fpiſtolae* HENR. EELES ad T. BIRCH, *quibus in cauſſam aſcenſus vaporum ventorum et phaenomenorum tempeſtatis et barometri inquiritur.* * Ea ſententia, quae docet cauſſam mutationis ſpecificae grauitatis vaporum et exhalationum rarefactum aerem, aqueas particulas implentem eſſe, Auctori et difficillima et ad explicandum omnem vaporum aſcenſum minus apta videtur. Putat autem hanc mutationem aliter fieri non poſſe, quam ut omni vaporum particulae quantitas eiusmodi fluidi addatur, quod elaſticitate et raritate aerem longe ſuperat; et hanc naturam electrico fluido recte tribui. Itaque ex eius vi omnia phaenomena aſcenſus vaporum, ventorum et tempeſtatis deriuat. p. 124.

26) *Obſeruatio de peculiari petrefacto echino in parochia* Bouingdon in Herefordiae comitatu *reperto* Auctore Cl. IAC. PARSONS.** Hoc foſſile ouatum ac magnis papillis obſitum ab Auctore *echinometra digitata ſecunda rotunda* ſeu *cidaris mauri* RVMPHII vocatur. p. 155.

27) *Duae epiſtolae ad toxicodendron pertinentes,* quarum prima *** ab Abbate MAZEAS ad STEPH. HALES, altera **** autem a Cl. PH. MILLER ad T. BIRCH data fuit. Prima commemorat triplex toxicodendron, cuius ſuccus panno atrum non corrodentem colorem induxit. Primum eſt *toxicodendron Carolinianum foliis pinnatis ſtoribus minimis herbaceis,* alterum *toxicodendron triphyllum folio ſinuato pubeſcente.* Vtrumque arbor eſt. Tertium frutex eſt et toxicodendron *triphyllum glabrum*, vocatur. Ex duabus poſterioribus huius plantae ſpeciebus Abbas MAZEAS p. 157.

pulcrio-

* Lecta d. 23 Ian. 1755.
** Lecta d. 17 April. 1755.
*** Lecta d. 19 Dec. 1754.
**** Lecta d. 8 May 1755.

pulcriorem colorem, quam ex prima ſpecie obtinuit. Altera autem epiſtola priorem in eo refutat, quod hic ſuccus tinctorius abbati nouiter detectus videretur et monſtrat hoc Americanum toxicodendron, eandem plantae ſpeciem eſſe, ex qua Iaponenſes vernicem parare ſolent, qua utenſilia ſua colorant et a KAEMPFERO, DILLENIO et CATESBY deſcribi.

p. 167. 28) *Epiſtola* GVIL. BRAKENRIDGE, S. R. S. *ad Ill. Com. de* MACCLESFIELD *de methodo conſtruendi tabulam probabilitatis vitae, quam homines* Londini *agunt.* * Quanquam Cl. HALLEII tabula probabilitatis vitae, quam 1692 ex indice eorum, qui Vratislauiae mortui fuerunt, confecerat, varie correcta fuit, tamen haec emendatio Auctori minus tuta videtur. Igitur aliam rationem vitam ciuium Londinenſium ad calculos reuocandi proponit. Iubet nimirum Londinenſem et Vratislauienſem mortuorum indicem ita coniungere, ut prior pro aetate 14 aut 20 annorum, poſterior autem pro inſequentibus annis regula computationis ſit, ſpeciminisque loco tabulam hoc modo emendatam ſubnectit.

p. 183. 29) *Narratio de oue cum cornu de collo eius protuberante nata*, Auctore Cl. IAC. PARSONS. ** Cum haec ex *Deuonia* allata triennis aut quadriennis ouis ſocietati monſtraretur, cornu 26 libras ponderabat. Conuexa eius pars 2 pedes et 7 pollices et concaua 2 pedes et 2 pollices longa erat, maxima autem peripheria 2 pedes ac 2 pollices, media 1 pedem et 6 pollices, et minima circa apicem 1 pedem exaequabat. Robur muſculorum colli crebro ac vario motui huius cornu ſufficiebat. Naturalia cornua ouium Deuonienſium huic praeternaturali, in tabula aenea delineato, ſimilia eſſe dicuntur. In capite huius

* Lecta d. 24 April 1755.
** Lecta d. 1 May 1755.

ius ouis duo tantum tubercula cornea, putamini nucis iuglandis dimidiato non abſimilia, conſpiciebantur, quia, ſecundum Auctoris ſententiam, plurimae corneae particulae in eum locum, quo monſtroſum cornu eruperat, propulſae fuerunt.

30) *Commentatio, quae oſtendit cancrum palpebrarum, naſi, canthi maioris oculi et adiacentium partium feliciter exſtirpari poſſe*, Auctore Cl. DAVIEL, *ex gallica lingua in anglicam a Cl.* I. PARSONS conuerſa.* Haec ſententia decem obſeruationibus confirmatur, ex quibus primam commemorabimus: Monialis quaedam Burdegalenſis 45 annos nata querebatur de tumore palpebrae ſuperioris dextri oculi, qui 20 annos durauerat. Paruum initio tuberculum ſenſim creuerat, ut nunc aegrotam multum adfligeret. Chirurgus, cuius opem implorauerat, cauſtico liquore irrigauerat tumorem, quo exaſperabatur; ſed cum poſt anodyna adhibita fuiſſent, diu nullum ſenſibile incrementum cepit, quamuis puella continuum acutum dolorem in eo perciperet. Conſulebat igitur alium chirurgum, qui tumorem abſcindebat, cumque videret ulcus, operationem ſecutum, minus coaleſcere, ſed potius partem adfectam multum erodere et calloſam fieri, mederi ei volebat lapide infernali, ac non nunquam ipſi liquorem cauſticum inſtillabat; quo autem malum ita auctum fuit, ut puella omnem medicamentorum impoſitionem fugeret. Sed cum poſt longum tempus, Auctoris et nonnullorum urbis medicorum commune conſilium de hoc morbo poſceretur, ipſius palpebrae exſtirpatio decernebatur. Itaque Auctor curua acu, filum ceratum trahente, palpebram cum tumore ſublatam, forfice incuruata penitus abſcindebat. Sanguis, qui paucus fluebat, facile cohibebatur; vulnus autem demum poſt 24 horas p. 186

* Lecta d. 8 May 1755.

ras obligabatur, vena brachii poſt operationem bis pertuſa; ac puella, ad quam Cl. DAVIEL die 11 Aug. vocatus fuerat, d. 25 eiusdem menſis priſtina gaudebat valetudine nec oculi acies ullum detrimentum ceperat.

p. 196. 31) *Enumeratio quatuor Romanarum inſcriptionum in* Salopiae comitatu 1752 *inuentarum, cum obſeruationibus* Cl. IO. WARD.

p. 205. 32) *Obſeruationes de nido veſparum Americano,* Auctore Cl. ISR. MAVDVIT, S. R. S. * Hic nidus, ſocietati oblatus, tertiae claſſi veſparum Reaumurianae originem debebat ac ex ramo arboris, quae cornus mas virginiana dicitur, pependerat. Ea, quae Cl. MAVDVIT adfert, narrationem REAVMVRII, de eius conſtructione confirmant.

p. 209. 33) *Epitome epiſtolae magiſtratus urbis* Siculae Maſcali, *quae incendium Aetnae* 1755 *menſ. Febr. ortum enarrat.*

p. 210. 34) *Relatio de* Vmbla minore GESNERI, *piſce in* Wallia Septentrionali *obuio, quam ex literis* FERRINGTONI *ad* THOM. COLLINSON *datis hauſtam ſocietati obtulit Cl.* P. COLLINSON. ** Hic piſcis formam et ſaporem trutae habet, ſed elegantia eum ſuperat. Conſpiciendum ſe praebet tantum circa brumale ſolſtitium et breui poſt ad fundum lacus, quem inhabitat, reuertitur. Auctor tres lacus memorat, qui eum alunt. In duobus prioribus ad finem menſis Decembris oculis ſeſe ſubducit, ſed in tertio eo tempore in conſpectum venit.

p. 213. 35) *Methodus auditum, obſtructione tubae Euſtachianae perditum, reſtituendi a* Cl. IONATHAN WATHEN,

* Lectae d. 15 May 1755.
** Lecta d. 29 May 1755.

THEN, *Chirurgo propoſita.* * Repererat Auctor in cadauere viri, quem frigus auditu priuauerat, tubam Euſtachianam congelati muci plenam. Hoc non ſolum eius opinioni, obſtructionem huius meatus frequentem ſurditatis cauſſam eſſe, nouum robur conciliauit, ſed etiam eum mouit, ut de methodo hanc tubam purgandi a Cl. GVYOT tradita emendanda cogitaret. Nam cum ille minus recte inſtrumentum, huic operationi deſtinatum, per os introducere iuſſiſſet, Noſter potius illud per naſum intruſit, ac quo ſaepius hoc primum in cadaueribus tentauit, eo facilius id in aegrotis repetiit. Vtitur autem fiſtula argentea, commune ſpecillum longitudine non ſuperante, apice paululum incuruato inſtructa et eburneae ſyringae, tepida aqua roſarum mellita impletae, aptata. Hanc inter alam et ſeptum naſi hoc modo ingerit, ut eius conuexa pars ſuperiorem partem aperturae narium reſpiciat, eamque uſque ad orificium ellipticum protrudit; tunc illa pars ſepto obuertitur, ut incuruatus apex tubam facile intrare poſſet; quo facto aqua in eam impellitur, quae mucum per naſum aut os, aut per utramque cauitatem eluit. Memorat aliquot ſurdos, hac ratione ſanatos, operandique methodum icone declarat.

36) *Tentamen chemicum de calcis viuae actione in ſalem volatilem alcalinum.* Auctore Cl. SCHLOSSER, M. D. ** Salem alcalinum volatilem ope calcis viuae liberari et mutari, hocque modo liberatum eo, qui ſale fixo alcalino ſeparatur, penetrantiorem eſſe, res eſt notiſſima. In detegenda autem huius phaenomeni cauſſa a veritate multum aberraſſe ſummos in hac arte viros, Auctor autumat, hincque, ut veritas demum eluceſcat, ipſe experimenta inſtituit. Itaque cum drachma ſalis volatilis concreti, aquae p. 222.

 pauxillo

* Lecta eod. die.

** Lectum d. 5 Iun. 1755.

pauxillo ſoluti miſcuit duodecim uncias aquae calcis viuae, quo facto lacteſcentia oborta odorque multo acrior factus fuit. Flocculis numeroſiſſimis, undiquaque natantibus et ad fundum ſecedentibus, liquor pellucidus iterum euaſit, cui denuo aquam calcis viuae affudit totiesque repetiit, donec liquor ultra non turbaretur. Liquorem hunc cum flocculis delapſis filtro commiſit, qui pellucidus tranſiens nullum ſalini indicium dedit; odoreque ſpiritus ignei acerrimo gaudens ſyrupum violarum non mutauit nec ullam fere cum acido vitriolico efferueſcentiam excitauit. Liquor hicce denuo deſtillatus nullum ſalis concreti veſtigium praebuit et odore acri igneo nares feriens placidiſſime cum acido vitrioli ſe miſcuit. Flocculi illi, in filtro relicti, ulterius examinati et cum aqua mixti verum calcis viuae guſtum acquiſiuerant, quibuscum ſiccatis inque puluerem redactis liquor iſte igneus mixtus, digeſtus et deſtillatus odorem non adeo acrem ſpirauit, et cum acido vitriolico poſtea mixtus ebullitionem praeſtitit cumque aqua calcis viuae lacteſcere coepit, cum acido ſalis marini autem mixtus cryſtallos paruas, cryſtallis ſalis ammoniaci ſimiles, exhibuit. Ex his igitur, particulas calcis viuae in ipſam ſalis alcalini volatilis texturam agere, hanc diſſolui acidasque eius et phlogiſticas partes cum calcis viuae particulis coniungi reliquasue partes, amiſſo corpore, vere ſpirituoſas factas, ob acidarum ideo et phlogiſticarum particularum defectum a vero ſale alcalino volatili differre, talemque iterum, particulis iſtis denuo reſarcitis, regenerari, Auctor concludit.

p. 238. 37) *Relatio de curatione pueri, qui curru oppreſſus partem inteſtinorum et meſenterii per anum emiſerat* a IOAN. NEDHAM.* Puer poſt abſciſſionem huius partis et uſum internum tinct. cort. Peruu. ſimpl. et

Rhabarb.

* Lecta d. 12 Iun. 1755.

Rhabarb. vinoſ. recte conualuit, et tantum inſequenti tempore ſaepe coactus fuit, inter veſcendum aluum exonerare.

38) *Epiſtola Cl.* RICH. BROCKLESBY, M. D. *ad* T. BIRCH, *non nulla experimenta circa ſenſibilitatem et irritabilitatem diuerſarum partium animalium inſtituta* continens.* Ea Cl. Auctorem induxerunt, ut pluximas Cl. HALLERI aliorumque, cum ipſo facientium, concluſiones adoptaret et exiſtimaret, ſolos neruos ſenſibiles, nonnullas autem partes irritabiles eſſe nec tamen magno ſenſibilitatis gradu donatas; cum aliae ſenſu ſint plane deſtitutae, nec ullo modo irritari poſſint. p. 240.

39) *Epiſtola* Cl. FR. NICHOLLS, Med. Reg. ad T. BIRCH *de vermibus in corporibus animalium obuiis.*** Vermes ſaepius, quam putatur, animalia deſtruunt. Piſces magis ab iis, quam cetera animalia, infeſtari videntur. Inter haec autem iuuenci et oues ex hepate ac pulmone vermibus obſtructis ſaepius aegrotant. p. 246.

40) *Epiſtola* Cl. T. BRADY, M. D. *ad* T. BIRCH *inſecta commemorans ad tribum polyporum pertinentia, quae in aquis ſtagnantibus prope* Bruxellam *reperiuntur.**** Quando haec inſecta microſcopiis ſubiiciuntur, primum eorum, quod album et pellucidum corpus apparebat, figuram plantae foliis campanam repraeſentantibus habet, alterum vero, quod cum folio paruo rotundo comparari poterat, ex faſciculo multorum capitum coronatorum, ſeſe in gyrum mouentium et caudis auguſtis communi centro affixorum, conſiſtit. Haec iconibus magis elucidantur. p. 248.

 41) *Epito-*

* Lecta d. 19 Iun. 1755.
** Lecta d. 6 Nov. 1755.
*** Lecta eod. die.

p. 251. 41) *Epitome epiſtolae ea, quae nouiter in aſtronomia et phyſica in* Aſia *obſeruata fuerunt, recenſentis a* PORTERO *cum* Cl. MATH. MATY *communicatae.** Ea, quae ad longitudinem et latitudinem aliquot Aſiae locorum, naturam nardi Indicae minoris et propagationem vis electricae, pauimento non abſorptae, pertinent, eius praecipuum argumentum ſunt.

p. 254. 42) *Nonnulla experimenta, quae euincunt liquorem amnii partem nutrimenti foetus eſſe*, Auctore Cl. MALCOLM FLEMING, M. D.** Quoniam Auctor in meconio vituli, breui ante partum mortui, albos crines reperit, concludit eos pertinuiſſe ad pellem animalis ſimilibus obſitam crinibus et maceratione abraſos, in ſtomachum ac inteſtina propulſos, meconio immixtos fuiſſe, nec minus ex eo apparere liquorem amnii facile canalem alimentarium intrare poſſe.

p. 264. 43) *Epiſtola* GVIL. THORNHILL, *Chirurgi ad* ROBERT DINGLEY, *quae vim agarici ſtipticam laudat.*

p. 265. 44) *Lunae defectus Elbis* a *D.* IO. MENDESIO SACHETTO BARBOSA, *Med. Prof. obſeruatus die* 27-28 *Martii an.* 1755.

p. 268. 45) *Litterae* GVIL. BRAKENRIDGE *ad* GE. LVD. SCOT *datae de numero incolarum Angliae exponentes.* Ex numero aedium et copia conſumti panis BRAKENRIDGE numerum incolarum Angliae erui poſſe opinatur, ac hac ratione colligit, eum ſex milliones non ſuperare.

p. 285. 46) *Cl.* IO. WARD *explicatio duarum Rom. inſcriptionum, duobus altaribus* Bathae *effoſſis inciſarum.*

47) *Nar-*

* Lecta d. 6 Nov. 1755.

** Lecta d. 13 Nov. 1755.

47) *Narratiuncula de inſigni quodam echino*, Au- p. 295.
ctore GVSTAVO BRANDER, S. R. S. Medium aliquod genus inter echinum et ſtellam marinam dicit et in tabula aenea exhibet.

48) *Epiſtola* FRANCISCI BYAM *ad* GVIL. FAVQVIER *de imagine piſcis, lapidi in inſula* Antigoa *exciſo impreſſa, cum tabula pluuiae, quatuor annis in illa obſeruatae.*

49) *Epiſtola Cl.* ARTHVR POND *ad Ill. Com.* p. 297.
DE MACCLESFIELD *data, quae memoratam piſcis imaginem curatius deſcribit.*

50) *Relatio de effectu fulminis, quod templum Da-* p. 298.
nicum in Wellcloſe - Square *percuſſit*, Auctore GVST. BRANDER.

51) *Electrica experimenta enodata* Auctore Cl. p. 300.
BENI. FRANKLIN, *a Cl.* P. COLLINSON, *cum ſocietate communicata.** Primum principia ponuntur et deinceps ex iis experimenta nonnulla, explicantur. Priora haec ſunt: 1) Atmoſphaerae electricae, quae ambiunt corpora non electrica, ſibi vicinae non facile coaleſcunt in unam atmoſphaeram, ſed disiunctae manent ſeque repellunt. Hoc videmus in ſuſpenſis globulis ſuberinis aliisque electriſatis corporibus. 2) Electrica atmoſphaera non ſolum aliam electricam atmoſphaeram repellit, ſed etiam repellet electricam materiam in corpore ad eam accedente contentam; et tantum abeſt, ut ſe cum ea permiſceat, ut potius eam ad alias partes corporis, quod eam complectitur, propulſet. Non nulla ſequentia experimenta id demonſtrant. 3) Corpora negatiue electriſata, aut ſua naturali electricitatis quantitate priuata, ſe non minus repellunt (vel ad minimum mutuo a ſe recedendo ſe repellere videntur) ac ea, quae

 poſitiue

* Lecta d. 18 Dec. 1755.

poſitiue electriſata ſunt vel electricas atmoſphaeras habent. Quod patet, quando metallum ducticium, ad lagenam vitream pertinens, negatiue electriſatum duobus ſuberinis, ex ſericis filis pendentibus globulis applicatur, nec minus id alia experimenta oſtendunt.

p. 305. 52) *Epitome epiſtolae a Cl.* FRANKLIN, *ad Cl.* DALIBARD *miſſae et ad electricitatem pertinentis.* * Cl. FRANKLIN laudat patris BECCARIA librum de electricitate, reiecta tamen eius opinione de typhonibus, ac confirmat ſententiam ſuam in aliis ſcriptis propoſitam, ſecundum quam perticae acuminatae, aedibus impoſitae et ad humidam terram pertingentes, fulminis tactum aut impediunt, aut ita dirigunt, ut aedificia illo non percutiantur.

p. 309. 53) *Literae, quae effectum fulminis* Darkingi *in* Surria *animaduerſi narrant, a* GVIL. CHILD, *ad* IAC. PITFOLD *datae et a* Cl. P. COLLINSON, *ſocietati oblatae.*

p. 312. 54) *Relatio de perutili permiſtione noui aeris cum liquoribus deſtillantibus* Auctore STEPH. HALES. ** Deſcribit Auctor pyxidem, tubo et folle inſtructam, cuius operculum et latera perforata ſunt, quaeque fundo vaſis deſtillatorii imponitur. Huius ope indeſinenter nouus aer in liquorem deſtillantem mittitur et haec ventilatio multo largiorem deſtillationem, quam vulgaris methodus, producit. Hoc autem incrementum deſtillati liquoris in nauibus non poteſt non multam utilitatem habere, in primis cum hoc modo et tempori et igni parcatur, ſequuntur experimenta ac regulae, quibus antecedentia illuſtrantur.

55) *Enu-*

* Lecta d. 18 Dec. 1755.

** Lecta eod. die.

55) *Enumeratio inſignis beneficii, quod nauiganti-bus ventilatores adferunt*, eodem Auctore. * Hi non ſolum ſanitatem eorum, qui nauibus incluſi ſunt, tuentur, ſed etiam tignorum, nauibus fabricandis et reficiendis deſtinatorum, putredinem inhibent. p. 332.

56) *Commemoratio experimentorum, quibus* HALES *deprauatum ſaporem lactis, ex pabulo vaccarum oriundum, coercere foetidamque aquam emendare conatus fuit.* ** Ventilauit Auctor lac, vaccarum ſolano, braſſica arborea, foliis in auctumno deciduis cet. veſci ſolitarum, quod ingratum vaporem contraxerat, nec non foetentem aquam, et tentamina plerumque bonum euentum habuerunt. In tabula aenea machinae, ad haec negotia adhibitae, forma exhibetur. p. 339.

57) *Epitome epiſtolae* THOM. BARKER *ad* IAC. BRADLEY *datae, quae de reditu cometae* 1757 *aut* 1758 *exſpectatae agit.* p. 347.

58) Farrago epiſtolarum, quae de praeternaturali aquarum commotione die 1 Nou. 1755 in variis magnae Britanniae et aliarum Europae regionum locis animaduerſa exponunt. p. 351.

59) Alia collectio epiſtolarum, quae terrae motum enarrant, quo 1755 non ſolum Lisbona, ſed etiam ſatis magna reliqui orbis pars concuſſa fuit. p. 398.

Secunda pars has continet obſeruationes:

60) *Epiſtola Cl.* ALEX. RVSSEL *ad Cl.* P. COLLINSON, quae *quatuor piſces* Aleppi *viſos delineat.* *** p. 447.

* Lecta d. 18 Dec. 1755

** Lecta eod. die.

*** vid. RVSSEL's Hiſt. of Aleppo p. 75 ſeqq. et in Comment. noſtr. Vol. VII. P. II. p. 50.

p. 449. 61) *Literae Cl.* IO. ALB. SCHLOSSERI *ad Cl.* P. COLLINSON *datae carnoſam corallo ſimilem ſubſtantiam commemorantes, cum obſeruationibus Cl.* IO. ELLIS. * Cl. ELLIS hanc ſubſtantiam vocat *alcyonium carnoſum aſteriſcis, radiis obtuſis ornatum*, fucum vero, quem ambit, *fucum teretem fruteſcentem, germinibus arborum gemmas fructiferas referentibus.*

p. 452. 62) *Duo particulares morbi iuncturae genuum, quorum prior applicatione topicorum medicamentorum, alter autem operatione curatus fuit, a Cl.* IOSEPHO WARNER *relati.*** Tumores articulorum maiorum inferioris extremitatis, in primis ſi a cauſſa uniuerſali pendent, curata difficillimas eſſe experientia docet. In genu articulo potiſſimum tumor oritur, qui hydrops articuli appellatur, et vel a decubitu ſeroſo ad contextum celluloſum circa genu, vel a collectione aquarum in ipſo cauo articuli, ligamento capſulari cincto, inducitur. Examinatis itaque ſignis diagnoſticis apparet, in priori caſu fluctuationem non apparere, ſed oſſa ipſa et ligamenta potiſſimum cum cute tantum turgere, et licet leuiora purgantia, fomentationes emollientes et potiſſimum frictiones mercuriales interdum cum fructu adhibeantur, non ſemper tamen votis noſtris eorundem reſpondet effectus, ideoque Piſſeleon indicum, quod Angli picem liquidam Barbadenſem dicunt, Noſter fricando inunxit, et congeſtiones ſeroſas diſſipauit. In altero caſu haec et alia applicata externa remedia nihil praeſtant, inciſionibus potius per ligamentum capſulare ad cauum articuli penetrantibus educenda eſt gelatinoſa ſpiſſa, interdum ſanguine remixta materia. Hanc itaque in utroque genu latere perfecit Noſter et effluxum materiae ſpiſſae applicatis cataplaſmatibus, ex fecibus cereuiſiae et auenacea farina paratis, faciliorem reddidit, vulnere tandem apte conſolidato.

63) *Epi-*

* Lecta d. 22 Ian. 1756. ** Lecti eod. die.

63) *Epitome epiſtolae, quam* GVIL. PYE, *ex inſu-* p. 458.
la Manilla *ad fratrem* Londinum *miſit.** Inter frequentes et terribiles terrae motus, quibus haec inſula obnoxia eſt, is prae ceteris memoratu dignus eſt, qui an. 1750 euenit. Nam cum ille inſulam tres menſes concuſſerat, ignis in parua inſula, magno aliquo lacu incluſa, circa quam aquae fundus detegi non poterat, erumpebat, tertia autem die poſt in lacu quatuor nouae inſulae ardentes emergebant.

64 a) *Experimenta cum aqua* ſancti fontis Maluer- p. 459.
ni *in* Wigorniae *comitatu ſcaturientis a Cl.* I. WALL, *inſtituta et animaduerſionibus illuſtrata.* ** Poſtquam Auctor non nulla experimenta enarrauit, ex iis colligit, aquam huius fontis puram, leuem et ab omni terra et ſale liberam eſſe; ſed mineralem aliquem ſpiritum aut ad minimum volatile quoddam elaſticum fluidum cum aliqua aeris et bituminis parte continere; poſtea miram eius vim aduerſus antiqua ulcera, ſcrofulas, lepram et ophthalmias laudat non nullisque exemplis confirmat; poſtremo autem expoſita uſus eius externi et interni ratione dubitat num Chemia omnes eius partes detegere poſſit, cum ipſi veroſimile videatur, efficaciſſimas aquarum particulas aciem ſenſuum effugere nec experimentis elici poſſe.

64 b) *Relatio de viro ex ambuſtione mortuo,* Au- p. 477.
ctore Cl. EDVARDO SPRY.*** Incendium in pharo *Eddy-Stone* 1755 exortum erat; ac cum in eo delendo occupatus eſſet hic vir, nonaginta et quatuor annos natus et vegeta ſenectute gaudens, plumbum liquefactum ex laterna, capiti eius impendente, defluens non ſolum ori eius hianti et obuerſo illapſum fuit, ſed etiam omnem eius faciem veſtimentaque perfu-

dit

* Lecta d. 29 Ian. 1756.

** Lecta d. 5 Febr. 1756.

*** Lecta eod. die.

dit. Etſi vero grauiſſimis doloribus cruciaretur, tamen iis poſt uſum internorum et externorum medicamentorum ita leuatus fuit, ut non tenuis depellendi periculi ſpes adfulgeret, ſed poſt aliquot dies, frigidos ſudores et tendinum ſubſultus paſſus animam exhalauit. In cadauere ſuperius ſtomachi orificium valde inflammatum et exulceratum, tunica vero fundi eius aduſta reperiebatur ac ex cauitate plumbi fruſtum 7 unc. 5 dr. et 18 grana ponderans figuraque ipſi ſimile extrahebatur.

Addit Auctor huic narrationi experimenta, quibus docet, plumbum feruens animalibus infuſum ea minime necare et hoc modo ſe contra eos defendit, qui protractionem vitae huius viri, qui plumbum tanta copia hauſerat, in dubium vocarant.

p. 485. 65) *Noua narratio de effectu liquorum adſtringentium poſt paracenteſes in abdomen immiſſorum*, Auctore Cl. CHRISTOPH. WARRICK.* Quanquam n. 472. Tranſactionum Auctor hiſtoriam inſeruit, quae utilitatem iniectionis liquorum adſtringentium e. c. vini rubicundi Gallici, aquae Briſtolienſis cet. in abdomen poſt paracenteſes monſtrare videbatur, tamen nunc eam in ſuſpicionem dubii euentus adducere non dubitat. Hoc facere eum iuſſerunt exempla trium mulierum, quarum mors hanc operationem inſecuta fuit. Ceterum rogat eos, qui eam repetere volunt, ut ſe ad illam accingant, priusquam viſcera hydrope multum debilitata fuerint, pro vino rubicundo gallico utantur vino aduſto aut alio diluto liquore et caput aegroti durante euacuatione humilius, quam cetera corporis membra ponant.

p. 490. 66) *Duae epiſtolae* CAMILLI PADERNI *cuſtodis muſei* Herculanei *ad* THOM. HOLLIS, *quae non nullas antiquitates in* Herculaneo *repertas recenſent. Vertit*

* Lecta d. 12 Febr. 1755.

Vertit eas Anglice Cl. ROB. WATSON, *et priori obſeruationem ſubiecit.*

67) *Epiſtola Cl.* ROB. WHYTT, Prof. Edinb. *ad* Cl. IO. PRINGLE, M. D., *quae terrae motum* Glaſcuae *et* Dumbertoni *obſeruatum fuiſſe ac inter inſulas* Shetland et Islandiam *puluerem in nauem aliquam depluiſſe narrat.* Depluit puluis in nauem nocte d. 23 aut 24 Oct. 1756 antecedente, indeque colligitur eum ex monte Hecla, eodem menſe flammas euomente, fuiſſe adductum. p. 509.

68) *Epitome epiſtolae Cl.* BONNET *ad Cl.* TREMBLEY *terrae motum qui in* Valleſia *in* Heluetia *d.* 14 *Nou.* 1755 *accidit, enarrantis.* p. 511.

69) *Epitome epiſtolae Cl.* ALLAMAND, Prof. Leid. *ad Cl.* TREMBLEY *de concuſſione terrae* Leodii, Traiecti ad Moſam *et* Nouiomagi *d.* 26 *et* 27 *Dec.* 1755 *obſeruata.* p. 512.

70) *Relatio de non nullis fungitis et aliis coralli formam habentibus memoratu dignis foſſilibus,* Auctore THOM. PENNANT. Pleraque horum corporum in tabula aenea delineatorum in *Salopiae* comitatu in *Coalbrooke-dale* reperta fuerunt. p. 513.

71) *Cl.* IO. SLOANE *hiſtoria inoculationis variolarum ſocietati a* T. BIRCH *tradita.* Complectitur originem huius operationis in Anglia eiusque methodum. p. 516.

72) *Epitome literarum Cl.* IO. STEVENSON, M. D. *ad Cl.* I. PRINGLE *datarum, quae inſolitam aquae commotionem in lacu* Cloſeburnenſi *narrant.* p. 521.

73) *Relationes de irregulari fluxu et refluxu aquae variis Angliae locis menſ. Febr.* 1756 *obſeruato cum ſocietate a* GE. ANSON, S. R. S. *communicatae.* p. 523.

p. 530. 74) *Deſcriptiones irregularis fluxus et refluxus* Thameſis *d.* 12 *et* 13 *Febr.* 1756 *animaduerſi ſocietati a* ROB. DINGLEY, S. R. S. *oblatae.*

p. 534. 75) *Cogitationes de* HALESII *noua methodo deſtillationem coniuncta aeris et ignis vi peragendi a Cl.* GVIL. BROWNRIGG *ad eundem miſſae.* * HALESII methodus aquam marinam facilius et minoribus ſumtibus deſtillandi nauigantibus quidem utiliſſima eſt, ſed non minorem utilitatem eſſet habitura, ſi machinae ignem concentranti a SAVARY inuentae et a multis ingenioſis viris emendatae applicari poſſet. Ac cum opera danda eſt, ut eius ſtructura expulſionem vaporum augeat, hoc optime fieri poſſe putat Auctor, ſi vapor aquae elaſticus per coquentem aquam celeriter pellatur. Hoc obſeruationibus et iconibus illuſtratur.

p. 544. 76) *Epitome epiſtolae ex* America *ad* HALES *miſſae, quae inſolitum motum aquae in lacu* Ontario *nuntiat.*

77, 78, 79) *Relationes de terrae motibus, qui* Hagae Comitum, Leidae *et* Bruxellae *obſeruati fuerunt.*

p. 547. 80) *Narratio de ſubſidentia fluuii* Frooyd *prope* Pontypool *in* Moamuthia, Auctore EDVARD. MATTHEWS. ** Pars huius fluminis d. 1 Ian. 1756 poſt magnum aquae aeſtum, in illo obſeruatum, ſubito ſubſedit, orto verſus eum locum, quo in flumen *Avon-Looyd* influebat, hiatu, qui ſpatium 20 pedum occupabat. Tabula aenea adiecta omnem narrationem magis illuminat.

p. 550. 81) *Relatio de agitatione aquae d.* 1 *Nou.* 1756 *in* Scotia *et* Hamburgi *obſeruata a Cl.* I. PRINGLE *cum* T. BIRCH *communicata.*

82) *Epiſto-*

* Lecta d. 26 Febr. 1756.

** Lecta d. 12 Mart. 1756.

82) *Epiſtola* EDVARDI WRIGHT *ad Cl.* P. COL- p. 553.
LINSON *microſcopicas obſeruationes continens.* * Cum Auctor experimenta legiſſet, ex quibus Clar. viri NEEDHAM et BVFFON collegerunt, peculiarem naturae vim ineſſe, qua animalcula ex ſubſtantiis vegetabilibus et animalibus, coquente aqua perfuſis et ab aere remotis, producere valeat, cupiditate ſimilia pericula in millepedibus et cantharidibus capiendi incenſus fuit. Itaque perfudit undecima hora ante meridiem ſiccos et non contuſos millepedes coquente aqua ac phialam, qua incluſi erant, ſubere obturatam marſupio, cui moderatus calor inerat, indidit; cumque hora 10 veſpertina guttam huius infuſionis microſcopio Clarkiano ſubieciſſet, eam oblongorum, tenuium, pellucidorum, caudis carentium, et ſpontaneo motu gaudentium animalium plenam inuenit. Quo facto nouam parauit infuſionem, ut pernoſceret ſpatium temporis ad eorum generationem neceſſarium, et elapſa hora in gutta, lactis calorem habente, pauca ſimilia corpuſcula, viuide ſeſe monentia, vidit. Poſt ſecundam horam plura apparuerunt et ante finem horae tertiae magnus eorum numerus conſpiciebatur. Sed elapſis adhuc duabus horis infuſio effoeta videbatur. Repetiit idem experimentum in cantharidibus et id parem ſucceſſum habuit. Sed his animalculis, quae primum animalcula ſpermatica humana magnitudine ſuperare videbantur, poſt perbreue tempus minora hisque denuo minora ſuccedebant, eorumque magnitudine gradatim imminuta, poſt paucos dies armatus oculus nihil amplius in iis diſtinguere poterat. In memoratis rectificato vini ſpiritu aut aliis ſpirituoſis liquoribus perfuſis ſubſtantiis nulla animalcula oriebantur et paucae guttae eorum aut ſolutionis fixorum vel volatilium alcalinorum ſalium iis admixtae ea necabant. Ex his Auctor, neglecta ſententiarum, quas BVFFON, NEED-

HAM

* Lecta d. 18 Mart, 1756.

HAM et PARSONS de hac generandi animalia ratione protulerunt, diſcuſſione concludit, eo citius ſubſtantias putredinem contrahere, quo maturius animalcula in iis apparent. Millepedes et canthарides valde putreſcentes ſubſtantiae ſunt et eorum infuſiones poſt perbreue tempus abominabilem foetorem ſpargebant. Caſtor vero, licet animalis ſubſtantia, cum in eo par periculum caperetur, nulla producebat animalia nec ullam paſſa videbatur mutationem; quo confirmatur Cl. PRINGLE opinio, qui eum inter antiſeptica numerat. Exiſtimat itaque Auctor accuratis microſcopicis obſeruationibus ſepticas et antiſepticas proprietates animalium et vegetabilium ſubſtantiarum detegendas eſſe.

His addit Auctor animaduerſiones, quae ad exaltationem ſubſtantiarum pertinent. Omnis exaltatio videtur eſſe certa modificatio ſalium et oleorum corporibus contentorum; debitus eius gradus incrementum promouet et animalem vitam conſeruat: intenſior gradus, quem putrefacientem exaltationem vocare liceat, et ad quam omnia organiſata corpora minori aut maiori niſu feruntnr, diſſoluit omnia talia corpora et adiuuat generationem animalculorum microſcopio detegendorum aut euolutionem ouorum, ex quibus excludi poſſunt. Vlterior exaltationis gradus inhibet hunc proceſſum et vegetationem, nec non interdum vitam animalem, ut reſpectu omnium acrium praeparationum chemicarum, ex animali vel vegetabili regno petitarum accidere ſolet.

p. 558. 83) *Epiſtola Cl.* CHENEY HART, M. D. *ad Cl.* GVIL. WATSON *de brachio paralytico electricitate ſanato.** Ancilla quaedam ſana et agilis 23 annos nata initio menſis Ian. 1756 rheumaticum dolorem in brachio dextro in primis verſus carpum percipiebat; et poſt 2 aut 3 dies digiti ita contracti adparebant, ut

* Lecta d. 25. Mart. 1756.

ut explicari non poſſent. In hoc ſtatu permanſit puella uſque ad d. 17 dicti menſis, quo in noſocomium delata fuit. Manus cum digitis arcte contracta et valde tumida erat; ex hac contractione totum brachium dolebat, dolorque repens verſus carpum et cubitum ſentiebatur. Nunc manus plane inſenſibilis erat et liuido colore obducta. Ceterum puella perfecta fruebatur valetudine: Cl. HART eam iubebat per diem bis gummi guaiac. cum iulebo ſpir. MINDER. uti, et ter partem affectam excutia et linimento ſaponaceo fricare, ſed his per 5 dies fruſtra adhibitis neceſſarium putabat, electricas ſcintillas ex contracta manu elici nec minus ictum electricum per filum metallicum, ex ſuſpenſa phiala ductum et carpo alligatum, in eam deriuari. Hoc peragebatur d. 23 et prima ſemi hora puella electricos ictus minime percipiebat; ſed 30 minuta poſt querebatur de dolore in manu et adhuc 10 minutis elapſis digiti tremebant et ita ſe explicabant, ut facile ſeparari et gradatim omnes extendi poſſent. Hoc facto ictus deriuabantur in palmam ſingulosque digitos, pollicis et carpi percuſſione tamen 10 adhuc minuta protracta. Hoc reddebat omnes partes flexiles et molles ac puella manum ſine alieno auxilio dolorisque ſenſu aperire et claudere poterat, durante tamen multa digitorum et carpi debilitate. Tunc manus, opodeldoch fricata, panno villoſo aſperiori (*Flanel*) obuoluebatur, quam frictionem puella ſaepius repetere et uſum gummi guaiaci continuare iubebatur. Tranquilla diem exigebat, ſed veſpera manus magis dolebat, cubitumque occupabat repens dolor, qui tamen repetita frictione tollebatur. Inſequenti die electriſatio et per ſuccedentem ſeptimanam quotidie repetebatur, donec ictus electrici puellae tantum dolorem excitarent, ut eos fugeret, ac ſana exiſtimata, noſocomio et urbe relictis, in agrum redibat, ſeruitium cui addicta erat, denuo ſuſceptura. Recte valebat uſque ad d. 9 aut

aut 10 Febr., cum enim hunc eluitione linteorum conſumſiſſet, ingruente veſpera digiti cum brachio dolebant, et hora elapſa rurſus contrahebantur. Reuerſa itaque d. 13 Febr. in noſocomium iterum electricam vim horis matutinis experiebatur. Manum contractam et plane inſenſibilem, filo metallico, ex ſuſpenſa phiala ducto, carpo adhaerente, tubo metallico adponebat, ſed ictus electricos per 40 minuta ſine ſenſu doloris et relaxatione digitorum excipiebat. Poſt 45 minuta ſingulus ictus ipſi dolorem adferebat et ſinguli digiti gradatim mouebantur, et poſtremo frictione et percuſſione electrica per 1 horam et 20 minuta continuata, motio totius manus reſtituebatur. Quanquam vero ſupra memorata fricatio et obuolutio repetita fuerat, tamen veſpera redibat dolor brachii, digiti tremebant et nodi in cubito tactu percipiebantur. Itaque ſupra cubitum imponebatur veſicatorium, et linimento ſaponaceo, quo brachium manusque fricari ſolebat, tinctura Thebaica, admiſcebatur. Hoc modo periculoſa ſymptomata tollebantur, euaneſcentibus fere inſequenti die omnibus nodis et redeunte libero digitorum uſu. Inſequenti die 10 minuta electriſata fuit; poſtea autem nullum amplius periculum in eo fuit captum, ſed uſu excutiae et linimenti adhuc 10 aut 12 dies continuato optime valere videbatur. Vt vero morbo reditus occluderetur, ipſi fonticulus in adfecto brachio excitatus et emplaſtrum roborans carpo, quem ſolito debiliorem puella dicebat, impoſitum fuit, eaque d. 20 Mart. noſocomiam reliquit.

p. 564. 84) *Obſeruationes, quas de monte, a ſulphure nuncupato, in inſula* Guadelupa *collegit Cl.* IO. ANDR. PEYSSONNEL, M. D. *et ex gallica lingua in anglicam transſtulit Cl.* MATY. * Narrantur duo itinera, quae Cl. PEYSSONNEL in hunc montem, qui a mineris

* Lecta d. 25 Mart. 1756.

mineris ſulphuris, quas continet, nomen adeptum eſt, ſuſcepit, quaeque nunc non tum ardua ſunt, quam patris LABAT tempore fuerunt. Ea, quae tradit, praecipue pertinent ad naturam ſoli, vegetabilia, fontes, abyſſos, magnam cauernam et copiam ſulphuris. Quod ad plantas attinet eae a patribus PLVMIER et FEVILLEE deſcriptae fuerunt, quamuis eas in alia inſula congeſſerint. Cl. PEYSSONEL credit ſe propemodum omnes in PLVMERII opere obuias filices in prato, quod ipſi in montem aſcendenti peragrandum fuit, reperiſſe.

In auſtrali montis latere abyſſus, igne foeta, ſita eſt. Circa eam nullum gramen, ſed tantum ſulphur et terra calcinata conſpicitur; ſolum rimarum vapores emittentium plenum eſt; hae vero rimae profundae ſunt et coctio ſulphuris audiri poteſt. Vapores puros chemicos flores exhibent, perfluitque rimas ſulphuris ſpiritus. Ceterum laxior terra Cl. PEYSSONEL et ſociis ſuis timorem Plinianae mortis incutiebat. In vertice montis alia abyſſus reperitur, quae ante aliquot annos hiare coepit et tantum fumum eructat. Fama fert, olim magnum terrae motum inſulam concuſſiſſe, ac hunc montem incenſum cineres euomuiſſe. Eo tempore in duas partes diſcerptus fuit; ac veroſimile eſt ab eo etiam originem non ſolum huius abyſſi, ſed etiam magnae cauernae fiſſurae montis ad perpendiculum oppoſitae eſſe repetendam. In cauerna oſtendit Cl. PEYSSONEL duas cauitates, quarum altera intenſiſſimo aeſtuabat calore, altera autem frigidae aurae plena erat. Sed in ea aeque minus grauitatem aeris ac in montis iugo ſcrutari potuit, quia in utroque itinere barometrum fregerat.

86) *Relatio de terrae motu d.* 18 *Febr.* 1756 *in litore Angliae inter* Margate *et* Douoriam *obſeruata, a Cl.* IO. PRINGLE *ſocietati tradita.* p. 579.

p. 581. 87) *Epiſtola Cl.* ABR. TREMBLEY *ad* T. BIRCH, *quae* Baſaltes Naſſouienſes, Treuirenſes et Colonienſes deſcribit.

p. 585. 88) *Relatio de libro Italico, quem Cl.* VITALIANO DONATI, Tentamen hiſtoriae naturalis maris Adriatici *inſcripſit*, Auctore *Cl.* ABR. TREMBLEY.

p. 593. 89) *Diſſertatio epiſtolaris de nummo Parthico, litteris Palmyrenis non abſimilibus inſignito*, T. BIRCH, *a* IO. SWINTON *inſcripta.*

p. 607. 90) *Catalogus quinquaquinta plantarum horti* Chelſeyani ad annum 1755 *ſocietati a Cl.* IO. WILMER *oblatus.*

p. 612. 91) *Epitome litterarum, quas Cl.* VITALIANO DONATI *ad Cl.* ABR. TREMBLEY *dedit quaeque de terrae motu* Auguſtae Taurinorum *d.* 9 *Dec.* 1755 *et d.* 8 *Mart.* 1756 *obſeruato exponunt.* * Fatetur Cl. DONATI, ſe neſcire cauſſam terrae motuum, nec eas cauſſas, ex quibus phyſicae doctores eos deducunt, ſibi ad eorum explicationes ſufficientes videri. Veteres putabant, eos cum peculiari meteoro et notabili aeris mutatione coniunctos eſſe; et aſſerit Auctor, eius modi mutationes tempore recentiorum motuum fuiſſe obſeruatos. Quaeſiuit ex patre BECCARIA, num electrica vi quarta pars noſtrae terrae moueri poſſit? et hic fere pro certo credidit.

p. 616. 92) *Relatio de continuatione terrae motuum, qui* Pontem Arolae *in* Valleſia *annis* 1755 *et* 1756 *concuſſerunt, cum ſocietate a Cl.* ABR. TREMBLEY *communicata.*

93) *Epi-*

* Lecta d. 29 April. 1756.

93) *Epitome epiſtolae* Cl. LA CONDAMINE *ad* Cl. MATY *miſſae*. Non nulla continet, quae ad euolutionem librorum manu ſcriptorum in Herculaneo repertorum et ad geographiam phyſicam pertinent. p. *622*.

94) *Obſeruationes de currentibus maris prope Antillas inſulas*, Auctore *Cl.* PEYSSONNEL.* Poſtquam Auctor pauca de regularibus in mari Americano obuiis currentibus diſſeruit, venit ad currentes irregulares, qui prope littora harum inſularum animaduertuntur. In iis locis, ubi hi fluunt, mare inſolita ratione eleuatum valide aeſtuat, nulla huius impetuoſae agitationis cauſſa in oculos incurrente nec ullo vento praegreſſo. Hi currentes non nunquam per aliquot dies, alio autem tempore tantum per 24 horas durantes, frequentius iis menſibus, qui ſaeuitia vehementiſſimarum procellarum (*Hurricanes*) inſignes ſunt, oriuntur. Hoc adduxit Auctorem, ut putaret, originem irregularium currentium maris ex iis, quae ipſum experientia de memoratis procellis docuit, explicari poſſe; delineat igitur earum naturam et originem. Quod ad poſteriorem attinet, vidit talem procellam in inſula *Guadalupa*, ex magna craſſa atra ardenti ſimili et verſus terram premente nube erumpere. Naſcuntur itaque currentes ſecundum eius opinionem, quando eius modi nubes deſcendens aquam maris verſus fundum pellit, hic autem aquae reſiſtendo lateralem motum impertit eamque verſus littora pellit, ac hoc modo peculiaris motus circa ea oritur, qui in certa ab illis diſtantia minime percipi ſolet. Additae ſunt non nullae obſeruationes hiſtoriam currentium illuſtrantes. p. 624.

95) *Narratio de lacerta* (crocodilo) *ventre marſupio donato, faucibus Merganſeris roſtrum aemulantibus*, p. 639.

L 3

* Lecta d. 6 May 1756.

bus, Auctore Cl. GEORGIO EDWARDS. * Cl. Auctor exiſtimat, hunc crocodilum, cum caperetur, ultra paucos dies ouo non fuiſſe excluſum, quia digiti exteriores ungulis deſtituti erant. Ex icone adiecta eius naturalis forma et magnitudo diſci poteſt. Id, quod eum ab omnibus reliquis crocodilis diſcernit, ſunt fauces tenues, merganſeris roſtro ſimiles. Nec minus patulum marſupium in medio infimi eius ventris animaduerſione dignum eſt; ac Auctor coniicit haec animalia imminente periculo in hanc cauitatem catulos ſuos recipere uti in Americano animali *Opoſſum* videre licet.

p. 642. 96) *Relatio de inſolita maris agitatione prope* Ildfarcombe in Deuonia *d.* 27 *Febr.* 1756 *animaduerſa*, Auctore Cl. PRINCE.

p. 643. 97) *Epitome epiſtolae* HOLDSWORTH *de agitatione aquarum* Dartmuthi *d.* 1 *Nou.* 1755 *obſeruata.*

p. 644. 98) *Delineatio methodi configurationes minimarum lucentium niuis particularum obſeruandi*, Auctore Cl. IO. NETTIS, M. D. *ex latina lingua in anglicam verſa.* ** Auctor niuem hac ratione anno 1740 contemplatus eſt et figuras particularum eius maxime regulares, quae in duabus tabulis aeneis exhibentur, delineauit. Ad hoc negotium microſcopio compoſito Drebelliano, ab Anglis emendato, uſus fuit.

p. 648. 99) *Deſcriptio fontis, cupro impraegnati, nouiter in* Penſyluania *detecti*, Auctore Cl. IO. RVTTY, M. D. *** Aqua huius fontis colorem ſubuiridem et nauſeoſum ſaporem habet, eſt valde ponderoſa et hydrometro magna vis metallicae impraegnationis facile

* Lecta d. 6 Mai. 1756.

** Lecta d. 13 Mai. 1756.

*** Lecta d. 20 Mai. 1756.

cile detegitur. In primis autem immerſum in eam ferrum manifeſtare ſolet cuprum in ea contentum; nam purus culter per pauca minuta in illam immiſſus viuido cupreo colore obductus ex ea educitur; nec minus acubus et clauis per menſem in ea detentis rubigo adhaeret, cuius pars luteum et ſplendentem colorem habet, et cuprum eſſe videtur, alia pars autem ferrea materia eſt, ut admotus magnes docet. Omnia etiam experimenta probant, maiorem copiam vitrioli ferri, quam cupri hanc aquam continere. Quanquam vero ea, naturali vi eius ſuperſtite, veneni ſuſpicionem effugere nequit, tamen communi aqua temperata ſaepius ruricolis propinari ſolet, ut iis vomitum excitet et aluum purget, nec minus ulcera, morbos cutaneos in primis autem ophthalmias ſanat.

100) *Epitome epiſtolae Abbatis* MAZEAS, *quae de veteri quadam pingendi ratione ab Ill. Comite* CAYLVS *renouata agit, et a Cl.* I. PARSONS *anglice fuit reddita.* p. 652.

101) *Cl.* IAC. PARSON *Obſeruationes in praecedentem epiſtolam.* Aſſeritur in iis rationem pingendi, ab Ill. Com. CAYLVS inuentam, diſcrepare ab antiquo illo ceris pingendi ac picturam inurendi modo, quem PLINIVS memorauit. p. 655.

102) *Relatio de terrae motibus* Traiecti ad Moſam *an.* 1755 *et* 1756 *obſeruatis, ex gallico idiomate conuerſa, ſocietati a Cl.* ABR. TREMBLEY *oblata.* p. 663.

103) *Commemoratio agitationis maris, quae d.* 1 *Nou.* 1755 *prope* Antigoam *accidit, a* CAR. GRAY, *cum* GVIL. WATSON *communicata.* p. 668.

 104) *Epi-*

p. 670. 104) *Epiſtola* Cl. EDVARDI WRIGHT, M. D. *ad Cl.* P. COLLINSON *data, quae notabile quoddam foſſile deſcribit.* Eſt *orthoceratites*, quem *Gendauii* in marmorea tabula inuenit Cl. WRIGHT, cuiusque icon hic exhibetur.

p. 672. 105) *Alia epiſtola* Cl. E. WRIGHT *ad* Cl. P. COLLINSON, *quae orthoceratitem amplius contemplatur.** Dicit inter alia Auctor: orthoceratites pertinet ad eas conchas, quae nunquam recentes inueniuntur et numerari debet inter conchas pelagias, quae, cum ſemper in profundis oceani locis habitent, littoralibus opponuntur.

Quanquam conchae fere in omni plana ſuperficie terrae reperiuntur, tamen magni tractus iis ſunt deſtituti, videlicet magni montes, qui reliquiae originalium terrae ſtratorum eſſe videntur. Hoc contrariatur ſententiae Cl. BVFFON et Auctoris ſcripti *Telliamed*, qui originem omnium montium a currentibus maris repetunt, quia ſibi ſtrata marinorum corporum plena in iis fingunt, quem errorem diligens montium animaduerſio iis excutere potuiſſet.

Etſi vero Cl. BVFFON aſſerat omnes montes a currentibus maris productos fuiſſe; tamen paulo poſt omnes currentes maris ex montibus marinis deriuat. Nonne hic quaeri debet, quaenam harum cauſſarum prima fuerit? Nec validum argumentum eſt, quod ex conuenientia angulorum tractuum montanorum et oppoſitarum vallium deſumitur. Nam ea minime euincit, currentes maris hos produxiſſe montes, ſed tantum indicat, eos inter nos interfluentes eam formam, quam nunc in iis animaduertimus, illis impertiiſſe. Quando Cl. BVFFON et auctor libri *Telliamed* aſſerunt, omnem terram initio aqua obrutam fuiſſe, et ex longo huius inundationis ſpatio originem conchyliorum deducunt, non perpendunt, maxi-

* Lecta d. 17 Iun. 1756.

maximam partem conchyliorum foſſilium non ad Europam, ſed ad plagas aequatoris aut tropicorum pertinere. Haec fuſius perſequitur Cl. WRIGHT et, facta imaginum plantarum et animalium in remotiſſimis regionibus obuiarum, quae lapidibus impreſſae cernuntur, mentione, certitudinem uniuerſalis diluuii Moſaici contra hanc auctorum bigam adſtruit.

Hoc autem diluuium non poterat non ſuperficiem terrae multum mutare. Ex accumulatione animalium et vegetabilium fermenteſcentium et putreſcentium cataractes igneos naſci neceſſe erat. Terrae motus primis poſt diluuium annis ex hac heterogeneorum corporum fermentatione ſaepius exortos eſſe veroſimillimum eſt. Variae obſeruationes produnt non nullas ad minimum terrae partes ignem fuiſſe paſſas; quibus accedunt ſigna in multis mineralibus ſubſtantiis reperiunda. Artificialis productio argillae huic opinioni multum roboris addit. Argillam in ſolo humili ac vallibus inter montes et multa ſtrata calcaria copioſe inueniri notum eſt. Sed cum ex ſilicibus, vapori concentrato coquentis in machina Papiniana aquae expoſitis, ſimilis argilla parari poſſit, clarum eſſe videtur, terram in iis locis, in quibus argilla inuenitur, igne vehementer fuiſſe agitatam, idque terrae motibus ſtatim poſt diluuium ortis tribui minus abſonum eſt. Diluuium etiam multa foſſilia produxit. Succinum eſt reſina arborum antediluuianarum cum acido ſalis marini coniuncta; ex quo ortus inſectorum ei inhaerentium explicari poteſt. Nec minus omnes aut plurimi carbones foſſiles a diluuio repetendi videntur, cum ſupponere liceat, magnarum ſyluarum arbores eius tempore terra obrutas et putrefactas colore, ſed non textura mutatas fuiſſe.

106) *Epiſtola* Cl. BENI. WILSON *ad ſocietatem regiam, qua ſententiam ſuam, quam de experimento* p. 682.

 electrico

electrico Leidenſi anno 1746 *et copioſius* 1750 *in peculiari commentatione de electricitate declarauerat, reuocat.*

p. 684. 107) *Epiſtola* THOM. RVTHERFORTH *ad* SAM. SQVIRE, *de extraordinaria aquae agitatione in non nullis ſtagnis in* Herefordiae comitatu *d.* 1 *Nou.* 1755 *obſeruata.*

p. 686. 108) *Contemplationes iconis duorum plumbeorum fruſtorum Romanis inſcriptionibus inſignitorum, quae ante aliquot annos in* Eboracenſi comitatu *repertae fuerat,* Auctore IO. WARD.

p. 700. 109) *Duo tentamina aſtronomica a* Cl. CAR. WALMESLEY, S. R. S. IAC. BRADLEY, *inſcripta.* Primum agit de praeceſſione aequinoctiorum et axis terrae mutatione, alterum autem de inaequalitatibus motuum terrae.

p. 759. 110) *Diarium tempeſtatis* Dublini *obſeruatae ad annos* 1753, 1754 *et* 1755, Auctore IAC. SIMON, S. R. S.

p. 796. 111) *Narratio de ingenti niuis mole in vicum* Bergemoletto *e vicinis montibus deuoluta a* Cl. IOSEPHO BRVNI, Prof. Turinenſi *transmiſſa et a* Cl. HENR. BAKER, *cum ſocietate communicata.* * Cum d. 19 Mart. 1755 memoratus vicus niue obrueretur, praeter alios homines uxor viri, cui nomen *Ioſephus Rochia* erat, cum ſorore ſua et duobus liberis ſepulta fuit et uſque ad d. 25 Apr. in hoc ſtatu permanſit. Nam hoc die cum ſorore et filia viua ex niue protrahebatur. Feminae, quarum prima 45, altera 35 puella autem 13 annos compleuerat, ingredi non poterant, et valde emaciatae erant; puella tamen breui

* Lecta d. 11 Nou. 1756.

breui poſt facultatem eundi recuperauit. Hae omnes cum puero, ſex annos nato, in ſtabulo ad domum pertinente erant, cum niuis moles eas obrueret, ſed cum eius decurſus in eum locum in quo praeſepe ſitum erat, magna columna inhiberetur, anguſtum ſpatium mulieribus reliquum erat, in quo habitare cogebantur. Puer breui poſt moriebatur, nec minus animalia, quae hic alebantur, peribant, duabus tamen capris exceptis, quarum lacte cum foenum ſuppeteret, feminae veſcebantur, niueoque liquore ſitim extinguebant. Tempus ex incremento uberum unius caprae foetae menſurabant, cumque ea hoedum enixa fuiſſet, intelligebant ſe medium menſis Aprilis attigiſſe. Fames poſt primos ſex dies eas non multum adflixit; praecipuum dolorem ipſis gelida niuea aqua et anguſti habitationis limites attulerunt.

112) *Relatio de non nullis rarioribus plantis Angliae, in comitatu Leiceſtrenſi obſeruatis, data ad Exc.* p. 803.
MACCLESFIELD, *Societ. Reg. Praeſidem.* * Praemiſit eidem plantarum rariorum in agro Leiceſtrenſi ſponte naſcentium ſylloge litteras haſce Cl. WATSON, inque illis de auctore eiusdem diſſerit, nominat ſcilicet Cl. RICHARDVM PVLTNEY, Leiceſtrenſem pharmacopoeum, quem recenſionem accuratarum utiliumque obſeruationum de vegetabilibus venenis, in Anglia prouenientibus, edidiſſe ſcribit. Haec ſylloge ad methodum Cl. LINNAEI eſt diſpoſita, cuius nomini ſubiunxit ſynonyma veterum et recentiorum, medicos et oeconomicos uſus, locumque, in quo ſingula planta creſcit. Perlegimus cum voluptate catalogum, ſtudioſe elaboratum, atque ſpeciminis loco quaedam addimus. Atropa, quae p. 818.
Belladonna officinis dicitur, habet ſpecificam contra cancrum virtutem, quod variis iam comprobatum eſt

* Lecta d. 29 Nou. 1756.

eſt exemplis, * nouum addit Noſter, cuius mentio facta fuerit in *Bibliotheque des Sciences et beaux arts* p. 834. an. 1755. De Tormentilla notat, duas eſſe ſpecies, quae ex foliorum natura melius ac creſcendi habitu diſtinguantur, optimeque poſſe vocari alteram vulgarem: *Tormentilla foliis caulinis ſeſſilibus*: alteram p. 837. *tormentilla foliis caulinis petiolatis. Mentha* porro *verticillata minor acuta non criſpa, odore ocymi* I. B. ipſi noua ſpecies eſſe videtur, quum caulem habeat erectum, ſimplicem, vix pedalem: folia longe elliptica, in petiolos fere deſinentia, ſerrata glabra: flores in verticillis laxis e radice ad ſummitatem confertos: ſtamina corolla longiora. Optamus interim, ut Cl. Auctor in ſua pergat diſquiſitione, botanico ſtudio adeo utili.

p. 866. 113) *Epiſtala* Cl. IO. ELLIS *ad* PHIL. CARTERET WEBB *data, in qua arborem, ex qua in* China *et* Iaponia *vulgaris vernix petitur, definire ſtudet, et eius propagationem in Americanis coloniis Anglorum commendat.* ** Cl. ELLIS, literis Abbatis MAZEAS et Cl. MILLER de Toxicodendro Transact. num. 49. part. I. p. 157 inſertis motus, hanc plantam curatius perſcrutatus fuit. Varia pericula in tribus a MAZEAS memoratis eius ſpeciebus cepit et earum vim infectoriam ſatis cognouit. Cum vero inquireret, num toxicodendron pinnatum, in coloniis Americanis creſcens, aut fraxinus venenata hortulanorum, legitima vernicifera arbor Iaponica ſit, ut Cl. MILLER aſſeruerat, reperit deſcriptionem legitimae arboris a KAEMPFERO relictam, ad quam Cl. MILLER prouocarat, in hoc toxicodendron minime quadrare nec figuram, quam CATESBY de *toxicodendro foliis alatis fructu purpureo pyriformi ſparſo* exhibet, recte ab eo allegari. KAEMPFERVS poſtquam legitimam arborem

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 263 ſq.
** Lecta d. 25 Nou. 1756.

arborem deſcripſit, dicit, optimam vernicem in *Iaponia* ex ea parari, ſed in tam exigua copia, ut Iaponenſes alia opus habeant, quae vilior ſpecies ſit ex *Siam* aduecta et *Num-Rak* dicta. Hanc Siamicam vernicem dicit, peti ex arbore, *anacardium* vocata, quam LINNAEVS *Avicenniam* nominat; ac Cl. ELLIS exiſtimat, huius culturam ciuibus ſuis utiliſſimam fore.

114) *Epiſtola* GVIL. BRAKENRIDGE *ad* GE. LVD. SCOT, *qua de praeſenti incremento incolarum* Britanniae *et* Hiberniae *agitur*. p. 877.

115) *Epiſtola* IAC. DODSON *ad* GVIL. BRAKENRIDGE, *tabulam valoris annuitatum vitae continens*. Haec reſpondet tabulae decrementi vitae, quam BRAKENRIDGE, Philoſ. Transact. Vol. 49. Part. I. p. 181. *inſeruit*. p. 891.

116) *Relatio de terrae motu* Coloniae, Leodii *et* Traiecti ad Moſam *d.* 19 *Nou.* 1756 *obſeruata*, Auctore Cl. ABR. TREMBLEY. p. 893.

117) *Argumentum commentationis* Cl. GOTTLOB CAR. SPRINGSFELD, M. D. *de praerogatiua thermarum Carolinarum in diſſoluendo calculo veſicae prae aqua calcis viuae*,* *a* Cl. GVIL. WATSON *enarratum*. p. 895.

* vid. Commentar. noſtr. Vol. V. P. III. p. 539.

XIII.

XIII.

IACOBI THEODORI KLEIN, Ciuitatis Gedanenſis Secretarii, Imperialis Academiae Scientiarum Petropolitanae, Regiae Societatis Londinenſis et Inſtituti Bononienſis Membri, Lucubratiuncula ſubterranea prior, de Lapidibus Macrocosmi proprie talibus. Petropoli, 1758. 4. pl. 5.

Indefeſſus naturae ſcrutator KLEINIVS, cum ſummo ſtudio animalium in primis hiſtoriam pertractauerit, variaque magnae rerum parentis hiſtoriae argumenta excoluerit, nunc quaedam de terra corporibusque foſſilibus tradere conatur. Prior itaque haec lucubratiuncula, quam tamen aliae vix ſequuturae ſunt, ob Cl. Auctoris obitum, quem cum omnibus dolemus, lapides ſtricte ſic dictos in aptum ordinem artificialem, non naturalem, redigere tentat. Longe diſtant minerale et lapideum regnum, nec eorum corpora commode foſſilia appellantur, cum eo nomine artefacta corpora ſubterranea quoque comprehendantur.

Lapides dicit terrae corpora ſui generis dura, vel, ſi negatiue eos velis definire, corpora dura, non ductilia, nec malleabilia, neque in aqua ſolubilia. De cauſa phaenomeni phyſici, qui nimirum fiat, ut lapides figurati in primis pretioſi in variis figuris mathematicis appareant, quaedam diſputat, et licet exiſtimat, veram eius cauſam nunquam detegi poſſe, multis tamen argumentis commonſtrat, ſalia a variis
p. 11. Auctoribus aſſumta cauſam cryſtalliſationis lapidum eſſe non poſſe. Naturam quidem eodem modo procedere affirmat in figuris lapidum efficiendis, quo utitur in ſalium homogeneis particulis ſibi inuicem applicandis, hinc tamen non concludendum monet, quod cryſtalliſatio ſolum modo ſalibus, nullique alii corpori

corpori competat. Hinc iure BOERHAAVII definitionem ſalium, paucis verbis mutatam, ad cryſtallos quoque applicandam cenſet, ut nimirum cryſtallus lapidea ſit collectio elementorum lapideorum eiusdem ſpeciei in glebas unitas et ſemper ſtabilis figurae, propriae uni ſingulari cryſtallo. Ieiunum et prorſus reiiciendum ipſi videtur vocabulum *Nitrum Quartzi*, nec placet paraſiticas petras nominare quosdam lapides, cum plantae paraſiticae non ex aliis plantis ſuam originem ducant, ſed producantur ex proprio ſuo ſemine, quod nutrimentum ex plantis, quibus adhaeret, capit. Ad fluidum ſtatum Cl. Auctori reſpiciendum videtur in declaranda petrarum forma, nec abſonum eſſe contendit affirmare, lapides duriſſimos quondam fuiſſe fluidos. Tres ordines conſtitu- p. 13.
it lapidum macrocosmi. Prior continet eos, qui formant in concurſu molecularum genus homogeneum duriſſimum, plus minus pellucidum, transparens, ponderoſiſſimum, quod cryſtallus et ingemmationes, barbare *Quartza*, appellatur. Reliqui lapides omnes ex aliis principiis generantur, quae vel craſſiora et fragoſa, vel inaequalia inter ſe elementa, vel ex duobus ordinibus mixta habent: hinc alia eorum, vel fixa, vel pertinacia, vel quaſi in magma coacta, vel compacta fiunt. Varia tunc de cryſtallorum geneſi earumque variis qualitatibus exponit, et colores ipſis a variis metallicis exhalationibus conciliari affirmat, ſic e. g. Rubinus a cinnabaris halitibus, topaſius ab auripigmento, hyacinthus a mercurio, ad eius ſententiam, tingitur. Cryſtallorum etymologiam ex graeco et latino ſermone adfert, latinisque ſubſcribere nullus dubitat, qui ſua denominatione indigitare videntur, eandem eſſe fiendi rationem cryſtallis, quam videmus in glacie, haecque duo corpora non niſi materie eſſe diuerſa. Praemiſſis his ipſam lapidum p. 24.
diſpoſitionem inchoat, et primum ordinem ex *Pectolithis* componit, quod idem eſt, ac ſi eos dixeris Chriolithos,

lithos, ſiue lapides congelatos. Refert ad hos primo *Cryſtallum* et *Adamantem*, qui tantum duritie differunt: *Rubinum* eiusque ſpecies pro coloris profunditate diuerſas, *Spinellum*, *Bolum* cet. eiusque matricem *Balaſſium*; *Granatum*; *Smaragdum*, cuius europaeam ſpeciem, lydio affrictam, aeris colorem referre dicit, ipſique annumerat *Beryllum* et *Chryſolithum*; Topazium, qui ſi nimis in nigredinem vergit, *Morion* ipſi
p. 27. dicitur; *Spatha* ſiue *Fluores*; *Seleniten*; *Micas*; *Amianthum* ſiue *asbeſtum*.

Lapides ſecundi ordinis *Mattolithos* quaſi conflatos nominat, eorumque ordini ſubdit *Chalcedonium*, *Sardonychem*, *Onychem*, *Achatem*, *Carneolum*; *Opalum*, *Ophtalmoidas* e. g. oculum mundi, beli, cati cet.; *Iaſpidem*, *Lapidem corallinum Freybergenſem*, *Nephriticum*, *Malachitem*, *Lapidem lazuli*, *Turcoidem*, *Gypſa*, ad quae refert Alabaſtrum Sinicum et vulgare, ophitem, cruciformem, lebetum. Tertium ordinem ingrediuntur *Pamphirtholithi*, quaſi opera piſtoria, qui mixti a WALLERIO dicuntur, et ſculptiles haud tamen tornatiles ſunt. *Marmora*, quorum nomenclaturam ab Italis mutuandam cenſet, partim a coloribus, partim a loco natali confectam; marmora varia vetuſtate ita indurari dicit, ut ſilicis inſtar diſſiliant, quod exemplo porphyritarum comprobare annititur, quos tamen nos aptius ſaxis duriſſimis, non marmoribus, annumerandos cenſemus. *Cotes* ſub fine recenſet longumque catalogum eorum addit, cui *Quadra* aliique arenarii inſunt.

XIV.

CORNELII PEREBOOM index auctorum et rerum maxime memorabilium methodi ſtudii medici HERMANNI BOERHAAVE emaculatae et acceſſionibus locupletatae, ab ALBERTO AB HALLER, Med. et Phil. Doct. Anat. Chir. Botan. in Georg. Aug. P. P. O. Conſiliario Aul. et Archiatro Reg. et Elect. Praeſide. Reg. Societat. Scientiar. Gotting. Academ. Brittan. Boruſſ. Suecic. et Vpſal. Sodali. Reipub. Bern. in Supr. Senatu CC viro Salinar. font. Bern. Inſpectore. Lugduni Batauorum. Apud *Iac. a Wetſtein.* cIↄ Iↄcclix. 4. mai. pl. 6.

Neminem lectorum noſtrorum eſſe arbitramur, qui egregiam illam BOERHAAVII methodum ſtudii medici, ante decem et plus annos magno labore ſummoque ingenio ab Ill. HALLERO in ordinem redactam atque innumeris fere acceſſionibus auctam euoluat, quin auide optet, ut huic libro tanti uſus, in compendium laborum et ad commodum tironum, additus eſſet index, quo duce quaſi poſſent uti et tirones, et qui ordinem modumque hoc in libro receptum ignorant, et alii, quibus partim ob inſignem recenſitorum librorum auctorumque copiam, partim quod hi ipſi interdum hic ibique variis ſub rationibus repetiti obueniant, ex tot millibus quaeſitum inuenire admodum difficile eſt. Eadem quoque nobis iam tum, cum primum librum hunc adſpiceremus, erant vota,* quae quo utiliora, quin etiam magis neceſſaria nobis videbantur, eo magis nunc laetamur, eorum nos nunc, tardius licet

cet

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 319 ſeqq.

cet, quam ſperauimus, compotes eſſe factos. In acceptis vero ille eſt ferendus Cl. PEREBOOM, qui hunc taedio plenum laborem, ex tam vaſto volumine indicem conficiendi, ſuaſu Cl. GRASHVIS, qui etiam libello praefatus eſt, incitatus, eo lubentius in ſe ſuſcepit, quo certius ſibi ipſe perſuadere poterat, fore, ut maximam ab omnibus, qui literariam artis medicae hiſtoriam amant, hocque HALLERI ſcriptum in ſuos conuertere cupiunt uſus, iniret gratiam. Nos quoque, ut grates ipſi agamus, adducit libelli huius uſus et opportunitas, quae nobis nunc in methodo illa euoluenda laborum faciunt compendium. Index vero ipſe duplex deprehenditur, alter nomina auctorum, alter res memoratu dignas, quae in libro obueniunt, indicans. Cum inſuper quolibet in indice id vel maxime exigatur, ut numeri, quoad fieri poteſt, ſine errore typographico deſcribantur, idem et hic obſeruatum inuenimus: in iis enim euoluendis, qui nobis caſu in oculos inciderunt, numeris perpaucos et leuiſſimos tantum inuenimus errores. Ornatus de reliquo externus et literarum et chartarum earumque forma conueniunt cum eo ipſius methodi, ita, ut ambo una ligatura colligari poſſint.

XV.

Noua phyſico - medica.

Regiam artis chirurgicae Academiam Pariſienſem praemio, quod ſuperiore anno 1758 decerneretur, quaeſtionem de *iniectionum ad curandos morbos chirurgicos neceſſitate et applicandi modo* propoſuiſſe, vel ex noſtris quoque conſtat commentariis.* Illud autem reportaſſe legimus dexterrimum chirurgum, CRILLON, Rothomagi artem ſuam cum laude facientem.

* vid. Commentar. noſtr. Vol. VI. P. I. p. 172.

Nouum porro argumentum anno 1761 eadem propoſuit Reg. Chir. Academia: quo nimirum varii demonſtrentur modi, quibus, capite percuſſo, oſſa findi poſſint altera parte, cum altera ictus fuit homo: et quo inde eliciatur, quid in artis ſuae uſu ſcire et obſeruare debeat chirurgus. (*d'établir la théorie des contre-coups dans les léſions de la tête et les conſequences pratiques qu'on en peut tirer.*)

Tria nunc praemia expectantur ab Ill. *Harlemenſi* Scientiarum Societate. Quaeſtionem enim *de optima perruptos aggeres reſtituendi ratione*, bis iam propoſitam, tertia vice, duplicato praemio, doctorum virorum induſtriae commendauit Societas; uti et illam primo ad annum 1758, deinde ad hunc, quem agimus, 1759 relatam * *de cauſſis morborum inter nautas Batauos in Indiam occidentalem nauigantes obuiorum:* tertiam denique huic anno 1759 praefixit: *quaenam ſint* nimirum *cauſſae naturales*, *cur lues per armenta huc uſque vagans*, *diutius iam ſaeuiat*, *ac alia vice obſeruatum fuerit? Et quomodo ab iſta ſeruari poſſint tuta in ſtabulis relicta armenta, ſi quando in vicinia ſaeuire coeperit lues.*

In Academia Vpſalienſi nouum munus practicam, quae dicitur, oeconomiam docendi fundatum hocque Cl. Viro, IOANNI ANDERSON LASTBOM, M. A. mandatum eſſe accipimus. Vir quidam magnis opibus praeditus, ERICH ERICHSON BORGSTROEM, vitam priuatam in Wermelandia colens, ſatis ingentem pecuniae ſummam eum in finem dono dedit atque legauit; quapropter etiam illa ſic dicta profeſſio Regiae Borgſtroemianae nomine cohoneſtata fuit.

M 2 De

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. IV. p. 715.

De Electorali Bauarica ſcientiarum Academia *Monachii* hoc, quem agimus, anno 1759 conſtituta, nuperrime ad lectores noſtros retulimus.* Illa nunc primum eumque ob ſplendidiſſimam multorum aulae procerum indigenarumque ſociorum concionem, admodum ſolennem conuentum celebrauit die nouembris viceſimo. Sereniſſimi Principis Electoris, qui ſe ipſum Academiae Protectorem nominare haud dedignatus fuit, voluntate de illa ipſiusque legibus ab initio conuentus publice declarata, Illuſtri praeſentium Virorum conſeſſui notum fiebat, Academiae Praeſidem, cuius quippe officium per anni modo ſpatium vi legum permanere debet, nunc a Ser. Protectore conſtitutum eſſe Illuſtriſſimum Comitem DE HAIMHAVSEN, qui ſummo rerum metallicarum tribunali praeeſt; eius vero Vicarium, Illuſtriſſimum Liberum Baronem DE KREITMAYER, ſummi ſenatus ſanctioris dicti Cancellarium; hiſtoricae porro claſſis Directorem, Ill. aulae Conſiliarium, LORI, cui Secretarii ſimul munus demandatum fuit, philoſophicae vero ſic dictae claſſis Directorem, Virum Generoſiſſimum DE LIMPRVNN, in tribunali rerum metallicarum Conſiliarium; tandemque Virum Ill. STVBENRAVCH, aulae cameraeque Conſiliarium, qui tribuni aerarii munere per hunc annum fungatur. Praelectis deinde omnium cuiusuis ordinis ſociorum octoginta numero nominibus, binae quaeſtiones binis quoque praemiis ad proxime inſtantem annum 1760 diſtribuendis, propoſitae fuerunt, quarum una ex *hiſtorica*, altera vero ex *philoſophica* claſſe deſumta eſt. Haec, uti ad noſtrum inſtitutum pertinet, a nobis ideo potiſſimum commemoranda, *optimum* concernit *modum*, *quo fornaces cacabique in ſalinis adhibendi confici debeant?* Omnibus viris doctis, dummodo Academiae non ſint

* vid. Commentar. noſtr. Vol. VII. P. IV. p. 721.

ſint membra, ad certandum de praemiis licet concurrere, qui, ut commentarios ſuos vel latine vel germanice exaratos, addito ſymbolo ſchedaque illud et auctoris nomen complectente, ante finem menſis iulii ad Academiae Secretarium mittere velint, rogantur monenturque. Ex illis tantum ei, qui praepoſitae quaeſtionis optimam continebit ſolutionem, die octobris duodecimo praemium quinquaginta nummorum aureorum, qui ducati dicuntur, adiudicabitur; reliquorum auctorum ſchedulis, ne nomina pateſcant, prorſus ſepoſitis.

Praemia, quae promiſerat, diſtribuendi opportunitate caruit hoc anno 1759 Regia Scientiarum Societas *Gottingenſis:* Neque enim illa, quae phyſici erat argumenti, quaeſtio *de vera rubri coloris in ſanguine obuii cauſſa* *, nec oeconomicae olim huic anno propoſitae **, ex voluntate Societatis ita ſolutae fuerunt, ut commentarii ſuper eis conſcripti et ad illam miſſi expectationem ipſius explerent. Quod ultimam potiſſimum ex illis de bonitate lanae germanicae emendanda attinet, viros doctos illius tantum lanae, qualis vendi ſolet, indolem reſpexiſſe ait Ill. Societas; quum eum tamen finem in primis habuerit, ut modus, quo ab ipſa natura conficiatur lana, inueſtigaretur, tum reſpectu herbarum, quae ouibus prae aliis gratae coli debeant in pratis, cum ratione curae ipſarum ouium, quam habere debeant homines ruſtici, ut iam inde melior euadat lana, ſi tondeantur oues. Oeconomicas quaeſtiones ad annum 1760 pertinentes iam olim a nobis exhibitas, permanere inſimul declarauit Ill. Societas. Reliquae vero ad eundem et inſecuturum annum 1761 referendae, mathematici atque hiſtorici ſunt argumenti ideoque ab inſtituti noſtri limitibus excluſi.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. I. p. 184.
** vid. ibid. Vol. V. P. IV. p. 722.

Amſtelodami tres publice conſtitutos atque iuratos eſſe conſtat medicos, qui vulgo nominari ſolent phyſici. In eorum ordinem ſub finem anni ſuperioris 1758 relatum eſſe accipimus HERMANNVM BOERHAAVE DE GORTER, Med. Doct., qui patrem, IOANNEM, medicum illum celeberrimum, ad aulam Pot. Imperatricis Ruſſorum olim abeuntem et Petropoli deinde Amſtelodamum, ubi adhuc commoratur, reuertentem comitatus fuerat.*

Illuſtriſſimus *Vltraiectinae* Academiae Senatus anatomiae et chirurgiae Profeſſoris munus, per Ill. IACOBVM GISBERTVM WOERTMANN, ad altius aliquod reipublicae officium honorifice elatum, paulo antea vacuum factum, contulit nuper in Cl. PETRVM LVCHTMANS, Med. Doct. qui medicinam hucusque fecit Lugduni Batauorum, poſtquam ſuperiore anno 1758 doctoris medici honores ab Academia Lugdunenſi conſecutus fuerat, diſſertatione docte conſcripta ideoque edita *de ſaporibus* et *guſtu*, cuius ſummam quam proxime cum lectoribus noſtris communicaturi ſumus.

Patauio relatum legimus iam anno ſuperiore die menſis ſeptembris tertio in praedio ſuo obiiſſe Virum inter botanicos celebrem, IVLIVM PONTEDERAM, Botanices in Academia Patauina Profeſſorem Publicum, quum aetatis annum egerit ſexageſimum nonum.

Nuper transactus menſis October tres nobis eripuit medicos, quorum unusquisque et fama et meritis erat conſpicuus. Die enim illius ſexto IOANNES GOTTLOB KRÜGER, Philoſ. et Med. Doctor in Acad. Helmſtadienſi, Ph. et Med. Prof. Publ. Ord. Acadd.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. IV. p. 717.

Acadd. Nat. Cur. et Scientiarum Berolinenſis Socius, inopinata morte, inſultu nimirum apoplectico, exſtinctus fuit *Brunſvigae*, aetatis annum agens modo quadrageſimum quintum. Ex aliquo tempore Ser. Brunſvico-Guelferbytani Ducis iuſſu in modo dicta urbe commorabatur, ut publicas officinas pharmaceuticas ibidem perſcrutaretur, praeſcriptis legibus earum ratio conueniret, nec ne? Die porro eiusdem menſis ſeptimo *Francofurti ad Viadrum* obiit CAROLVS AVGVSTVS DE BERGEN, in Academia ibidem florente Med. D. Pathologiae et Therapiae Prof. Publ. Ordin., quum aetatis annum quinquageſimum quintum ageret. Tandem viceſimo quinto die eiusdem menſis *Halae Magdeburgicae* viuere deſiit IOANNES IVNCKER, Med. D. atque Prof. Pathol. ordin. atque Halenſis gymnaſii, quod paedagogium regium appellatur, et orphanotrophei Phyſicus ordinarius, ſenex fere octogenarius, STAHLII et diſcipulus et ſtrenuus eius dogmatum propugnator.

Varia quidem vitam illorum, quos modo nominauimus, aliorumque ante breue tempus defunctorum virorum cum laude actam attinentia collegimus, ita ut eorum praecipua certe cum lectoribus noſtris communicare poſſemus: interim tamen eſſe intelligimus, cur rogationem ante aliquot iam annos in commentariis noſtris ad viros doctos delatam, nunc iterum publice repetamus: velint, ſi vel neceſſitudine quadam, vel conſuetudine et familiaritate demortuos attigerint et inde vitae ipſorum certam et accuratam prae aliis habeant notitiam, hanc pro ſuo in amicos et literas amore nobis tradere, adeoque copiam facere, quo ab aliis acquiſitorum meritorum iuſtam laudem atque honores, quantum in nobis quidem poſitum erit, queamus conſeruare.

De inſtituto quodam, plantas exſiccatas, typographorum in modum coloribus inductis, in chartam coniiciendi earumque ideo figuram ideamque naturali, quantum fieri hac arte poteſt, ſimilem exprimendi, quod vir induſtrius IOANNES GOTTFRIED TRAMPE, typographus Halenſis, ſe ſuſcepturum eſſe promiſerat, iam ſuo tempore retulimus.* Nunc dexterrimum illum virum a promiſſis omni fide ſtetiſſe iamque ſex plantarum, deſcripta ratione pictarum, centurias edidiſſe commemoramus, quas opinione citius venditas, ideo horum laborum amatoribus ſic iubentibus, denuo a ſe excudendas eſſe is declarat, qua propter omnes, qui hanc iconum collectionem ſibi comparare velint, rogatos cupit, ut ideo nomina ſua apud ipſum profiteantur.

Aliud inſimul, quod ſimili modo ſe adornaturum eſſe ait, opus notum iam facere voluit modo nominatus TRAMPE. Fuerunt enim, qui plantarum tantum officinalium, omiſſis reliquis a medicis in uſum non vocari ſolitis, eadem ratione exaratarum copiam, ab eo deſiderarunt. Eorum itaque voluntati ſatisfacturus hunc laborem in ſe ſuſcepit, plantas has ſub conditionibus olim iam ſtabilitis ita editurus, ut, niſi plures, minimum viginti quinque icones poſt ſingulos ſex menſes prodire debeant. Vt illarum quoque uſum redderet ampliorem, a Cl. LVDWIG, Decano ordinis noſtri meritiſſimo, petiit, ut ab harum rerum peritis cultoribus, nomina plantarum, indolem, locum, quo creſcant vel colantur, culturam, virtutes, modum, quo in officinis pharmaceuticis aſſeruentur inque medicum uſum adhibeantur, deſcribenda illisque iconibus adiicienda curet. Operi ad finem perducto addi debet index abſolutus, ut illud igitur iis, qui hortos medicos adornare et colere,

* vid. Commenr. noſtr. Vol. V. P. II. p. 366.

colere, vel plantas atque ſemina colligere, vel earum rerum tantum notitiam acquirere velint, utile et gratum eſſe queat. Proxime futuris nundinis noſtris vernalibus foras illud dabitur ſub titulo: *Abdrücke der Kräuter und Gewächſe. welche zu dem medicinischen Gebrauche beſonders beſtimmt ſind, und in den Apotheken aufbehalten, und auf verſchiedene Art zubereitet werden, nach der Natur verfertiget von* IOHANN GOTTFRIED TRAMPE. i. e. Icones plantarum atque ſtirpium, medico uſui dicatarum et in officinis pharmaceuticis obuiarum, ad naturam delineatae a IO. GOTTFRIED TRAMPE.

XVI.

Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1756 prodierunt.

I. ANDERSON Beſchryving van Ysland, Groenland en de Straat-Davids. Amſtelod. c. f.

Obſervations pratiques ſur les Maladies de l'Urethre et ſur pluſieurs faits convulſifs et la guériſon des pluſieurs Maladies chirurgicales, avec la decompoſition d'un Remede propre à réprimer la diſſolution gangréneuſe et cancéreuſe et à la réparer; avec des Principes, qui pourront ſervir à employer les différens Cauſtiques; par M. ANDRE'. à Paris, 8.

CARL GVSTAF. BOIE Säkra Rön och politelige medel til wälmögo och förmögenhet, eller den forſarma Swänska Landthushollaren. Stockholm. 8.

IO. BRAVNER Tankar wid ſkötſeln och nyttan af boskap och fiäderfä, ſamt ſkogars bruk och misbruk. ibid. 8.

Rifleſſioni fiſico-mediche ſopra di un nuovo Antiliſſo, colleq uali, ſecondo l'odierno ſiſtema di teoria et pratica medicinale ſi dimoſtra quanto di vario accader poſſa, riſpetto alla irofobia, con diverſe ſcoperte di ſegreti, umiliate alla Glorioſa Maeſta di Carolo Borbone, Re delle Sicile de ALESSANDRO CATANI. in Napoli, 8.

PETR. IOSEPH. MORISOT DESLANDES, Quaeſt. med. an ut e pulmone ſic e liene ſanguis fluidior? Reſp. *Guillelm. Berthold.* Pariſiis, 4.

GVIDON. DAN. DESPATVREAVX, Quaeſt. med. an functionis cuiuslibet cauſſa multiplex? Reſp. *Ioan. St. Ioire.* ibid. 4.

Tractatus de materia medica ſiue de medicamentorum ſimplicium hiſtoria, virtute, delectu et uſu; Auctore STEPHANO FRANCISCO GEOFFROY. Editio nouiſſima locupletior aliisque emendatior, ſupplemento partis ſecundae ſectionis ſecundae Anonymi Profeſſoris nunc primum aucta, ex gallica in linguam latinam eleganter redacto. Tom. I, II, III. Venetiis, 4. Voll. 3.

ALBERTI HALLERI opuſcula pathologica. Venet. 8. c. f.

IO. IAC. HVBER Obſeruationes circa morbos nuperorum hinc aliquot annorum epidemicos. Caſſel. 4.

IOH. HVXHAMS *Abhandlung von Fiebern. Frankfurth*, 8.

IOAN BAPTIST. FRANCISC. DE LA RIVIERE, Quaeſt. med. an catamenia a plethora? Reſp. *Franc. Thom. d'Onglée.* Pariſ. 4.

Berrättelſe om Koppors ympande af DAVID SCHVLZ. Stockholm, 8 mai.

FRANCISCI MATHIAE TROXEL *Gründliche Beſchreibung der Kraft und Würkung der ſo genannten mineraliſchen Kugel, als auch eine Anweiſung, wie ein Menſch bey verſchiedenen Krankheiten, Zufällen*

und

und Umſtänden ſeine Geſundheit wieder erhalten, und vielen Uebeln vorbauen könne. Straßburg, 12.

CLERIAD VACHIER, Quaeſt. med. an ad motum ſanguinis in minimis vaſculis plus faciat attractio, quam pulſus a tergo? Reſp. *Marin. Iacob. Clar. Robert.* Pariſ. 4.

XVII.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1757 prodierunt.

Memoires de l'Academie de belles lettres de Caen. à Caen. 8. (*Varia etiam in his continentur phyſica argumdnta.*)

Hamburgiſches Magazin oder geſammlete Schriften aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. 19*ter Band, und des* 20*ſten Bandes erſtes Stück. Hamburg und Leipzig,* 8. *m. K.*

Journal oeconomique ou memoires notes et avis ſur les arts, l'agriculture, le commerce et tout ce qui peut y avoir rappart, pour l'année 1757. Part. XII. à Paris, 12.

Fränkiſcher Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oeconomie und den damit verwandten Wiſſenſchaften. 13, 14 *und* 15*tes Stück. Nürnberg,* 8.

Sammlung auserleſener Wahrnehmungen aus der Arzneywiſſenſchaft; aus dem Franzöſiſchen überſetzt. 1 *und* 2*ter Band. Frankfurt.* 8.

Obſeruationum medicinalium faſciculus. Oxonii, (*ſ. ann.*) 4. m.

Diſſertationes et quaeſtiones medicae magis celebres in Monſpelienſi Lyceo et in Pariſienſium medicorum ſcholis publice diſcuſſae. Tom. I. Accedit de hydrophobia et aceto vini commentariolum, Auctore IOSEPHO BENVENVTO. Lucae, 8.

Sammlung einiger kleinen Schriften von den Schickſalen der Chirurgie. Erfurt, 8.

Relazio-

Relazione della Peſte d' Algieri negli anni di Chriſto 1752 et 1753. Syſtema generale di queſta malattia del Auctore del Saggio Aſtronomico (*Auctore* STENDARDO) in Napoli, 4.

Pharmacopoea Londinenſis. Londini, 12.

Straßburgiſches Collegium medicum, *ſammt beygefügten Ordnungen der* Medicorum *und Apothecker. Strasburg*, fol.

Erneuerte und verbeſſerte Artickel eines löblichen Corps *derer* Chirurgorum *oder Wund-Aerzte der Stadt Strasburg.* ibid. fol.

GAETANO MORIGITIRONE VETERINARIO, Rifleſſioni ſopra l'Apologia di VINCENZIO PERALES. Rimini.

Gedanken über das Schlagen der Wünſchelruthe, auf die in der Erde verborgene Erze und Metalle. Eiſenach, 8.

IACOB. LVDOVIC. ALLEAVME, Quaeſt. med. an propria medici ſcientia oeconomia animalis cognitio? Reſp. *Ioan. Deſcemet.* Pariſiis, 4.

IOAN. IACOB. BAIERI monumenta rerum petrificatarum praecipua Oryctographiae Noricae ſupplementi loco iungenda, interprete filio, FERDINAND. IACOB. BAIERO, cum tabulis aeneis quindecim. Norimbergae, fol.

HERMANNI BOERHAAVE opera omnia medica. Venetiis, 4.

MARC. CARBVRI, Lettera ſopra una ſpecie d'inſetto marino al Sr. MARCO FOSCARINI. in Venezia, 12.

I. BAPTISTAE CARENI de aeris ingreſſu in ventriculum eiusque circulo, uſu ac elatere, de flatibus, de tympanite, eorumque differentiis, ac tandem de alimentis flatuoſis diſſ. epiſt. Mediolani, 8 m.

IOAN. BAPTIST. CHOMEL, Quaeſt. med. an in aetate media rariori indulgendum cibo? Reſp. *Guilleim. Berthold.* Pariſiis, 4.

IOS. HENR. COHAVSEN, Europae arcana medica: id eſt, Collectanea phyſico - medico - practica ex Ephemeridum Germaniae vaſtis voluminibus in compendium redacta. Francof. ad Moen. 8.

A letter to a Friend on the ſubiect of inoculation by D. COX. London, 8.

A. D. DIENERT, Quaeſt. med. an quantum ſanguinis, tantum lymphae momentum? Reſp. *Natalis Nicol. Mallet.* Pariſiis, 4.

ANN. CLAVD. DORIGNY, Quaeſt. med. an anginae ſpuriae periodice recurrenti catharſis? Reſp. *Iacob. Savary.* ibid. 4.

ACHILL. FRANCISC. FONTAINE, Quaeſt. med. an quae viris, eadem mulieribus conueniunt corporis et animi exercitia? Reſp. *Ioan. Descemet.* ibid. 4.

DAVID. DE GORTER, Florae Gelro - Zurphanicae appendix. Harderouici, 8.

CLAVD. FRANCISC. GRANDCLAS, Quaeſt. med. an partus naturalis incerto circumſcribatur termino? Reſp. *Maximilian. Ioſeph. Leys,* Pariſiis, 4.

ALB. HALLER, Diſſertation on the motion of the Blood and on the effects of bleeding. London, 8 m.

Eiusd. Second Diſſertation on the motion of Blood and effect of bleeding. ibid. 8 m.

Mémoire ſur la Garance et ſur la culture avec la Deſcription de l'Etuve pour la deſſecher et des Moulins pour la pulveriſer par M. DV HAMEL DE MONCEAV. à Paris, 4 mai.

LVDOV. PETR. LE HOC, Quaeſt. med. an a variolarum inoculatione aer inſalubris? Reſp. *Marin Iacob. Clarus Robert.* ibid. 4.

GODOFREDI DANIELIS HOFFMANNI obſeruationes circa bombyces, ſericum et moros ex antiquitatum, hiſtoriarum, iuriumque penu depromtae. Tubingae, 4.

AMBROS. HOSTY, Quaeſt. med. an dyſentericis anodyna? Pariſiis, 4. Ten-

Tentamen de demonſtranda ſtructura humana ſecundum dimidiatam naturae ipſius proportionem, e quatuor tabulis conflatum, ab iconibus poſt veras diſſectiones conſulto factas. Ita diſpoſitae ſunt partes, ut ſenſim partium omnium, quae audiunt capita, aut principes in ſitu naturali repraeſententur eo, quo, cum primo diſſecantur more appareant, quum ſanguifera vaſa cera ſunt iniecta. Opus conſtitutum, ut artificioſa animalis oeconomiae imago dilucidius, quam in ullis aliis hactenus edita fuit tabulis, eniteat atque emineat; cura et ſtudio CAROLI NICOLAI IENTY. Londini, 8 mai. *tabul. aen. viv. color. pict. dimidiatae magnitudinis ſtaturae human.*

IOAN. IONSTONI theatrum inſectorum, tab. 28 a Cl. MATH. MERIANO aeri inciſis ornatum. Heilbr. fol.

BERNARD. DE IVSSIEV, Quaeſt. med. an otioſis frictio? Reſp. *Ioan. St. Ioire.* Pariſiis, 4.

An Eſſay on the Nature, Cauſes and Cure of the contagious diſtemper amongſt the horned cattle in theſe Kingdoms. By DAN. PETR. LAYARD. London, 8.

IAMES LIND, An Eſſay on the moſt effectual means of preſerving the health of ſeamen in the royal navy. London, 8.

IOAN MACMAHON, Quaeſt. med. an in acutis dolente capite ſaphenae ſectionem tardare malum? Reſp. *Ioan. Deſcemet.* Pariſiis, 4.

MARTIN NOVGVEZ, Quaeſt. med. an in febribus malignis poſt venae ſectionem, cito citius emeticum? Reſp. IOAN St. IOIRE. ibid. 4.

IOAN. FRANCISC. PARIS, Quaeſt. med. an ad ſanitatem equitatio? Reſp. *Guillelm. Fumée.* ibid. 4.

Diſſertazione di ANDREA PASTA ſopra i meſtrui delle Donne. Bergamo, 8 m.

VINCENZ PERALES Lettera apologetica in riposta, che fa l'Autore del tirocinio veterinario ſopra la critica, nella VI delle lettere Ippiatriche de S. Conte FRANCESCO BONSI. Rimini.

IOH. ZACHARIAS PLATNERS *Gründliche Einleitung in die Chirurgie, oder kurze Anweiſung alle Krankheiten, ſo denen Chirurgis vorkommen, theils mit innerlichen und äuſserlichen Medicamenten, theils durch Operationen zu curiren. Zwey Theile, mit Kupfertafeln und einem Anhange einiger zuſammen geſetzten Arzneymittel.* (Editio noua) *Leipzig*, 8.

LVDOVIC. MARIA POVSSE, Quaeſt. med. an ſanis noceat quotidianus ἐνεματων ſimplicium uſus? Reſp. *Franciſc. Ludov. Thom. d'Onglée.* Pariſiis, 4.

RAYMOND. DE LA RIVIERE, Quaeſt. med. an in annonae caritate in farinoſis diuerſimode praeparatis praeſidium? Reſp. *Natal. Nicol. Mallet.* ibid. 4.

CAROL. AVGVST. VANDERMONDE, Quaeſt. med. an infantum a dentitione, conuulſionibus, vel ſoporibus, repetitus catharticorum uſus? Reſp. *Franciſc. Ludou. Thom. d'Onglée.* ibid. 4.

DAVID VASSE, Quaeſt. med. an ſanitati noceat frequens exſpuitio? Reſp. *Iacob Savary.* ibid. 4.

Conten-

Contenta in hac parte.

1. Kongl. Suenska Vetenskaps Academiens Handlingar för Aor 1758. Vol. XIX. p. 3.
2. DV HAMEL, la Phyſique des arbres p. 23.
3. SCHMIEDEL, Diſſ. de Buxbaumia p. 44.
4. MODEL, *Verſuche und Gedancken über ein natürliches und gewächſenes Salmiack* p. 46.
5. DE ST. LEGER, Quaeſt. med. an ut ſenſibilitas, ſic irritabilitas a neruis p. 50.
6. LORRY, Eſſai ſur les Alimens p. 51.
7. Recueil des pieces, qui ont concouru pour le Prix de l'Academie Royale de Chirurgie p. 76.
8. BAVME', Diſſertation ſur l'aether p. 116
9. THIERY, Quaeſt. med. an in celluloſo textu frequentius morbi et morborum mutationes p. 123.
10. MALOET, Quaeſt. med. an ut caeteris animantibus, ita et homini ſua vox peculiaris p. 127.
11. VOGEL, Hiſtoria materiae medicae p. 131.
12. Philoſophical Transactions. Vol. XLIX. Pars I et II. p. 136.
13. KLEINII Lucubratiuncula ſubterranea prior de lapidibus macrocosmi p. 174.
14. PEREBOOM, index auctorum et rerum BOERHAAVII methodi ſtudii medici auctae ab HALLERO p. 177.
15. Noua phyſico - medica p. 187.
16. Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico - medicorum, quae anno 1756 prodierunt p. 185.
17. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1757. prodierunt p. 187.

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS VIII. PARS II.

LIPSIAE. MDCCLIX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud C. G. Seyffert, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Mémoires de l'Académie Royale de Chirurgie. Tome Troiſieme. à Paris, chez la Veuve Delaguette. 1757. 4. mai. Hiſtoire, pl. 18. Mémoires, Alph. 3. pl. 16. tab. aen. 19. *

h. e.

Commentarii academiae regiae chirurgicae. Tomus III. etc.

In hoc utiliſſimarum diſſertationum refertiſſimo tomo regia academia ſecundum eam, quam antea iam indicauimus ** normam, pergit in hiſtorica parte:

1. *Varias obſeruationes* praemittere, in quarum. p. 1.

1) *Agarici adſtringentis* efficacia in haemorrhagia, poſt amputationem femoris ſiſtenda, a Cl. ANDOVILLE bis cognita fuiſſe dicitur. Quoad agarici conſeruationem vero monetur, illum non in ſcatula, ſed in vaſe vitreo clauſo aſſeruari debere; cum Cl. MORAND optime praeparatum chartaeque tantum inuolutum ſepoſitumque, poſt longum tem-

N 2 pus,

* Idem hic tertius Tomus, a Cl. IOANN. ERNEST. GREDING, Medicin. Lic. nec non Ptochodochii Waldheimenſis et Mittweydenſium Medico Phyſico Ordinar. in vernaculam translatus, iam Altenburgi prodiit.

** vid. Commentar. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 575.

pus, a ſcarabaeo, *Dermeſtes* nominato, plenarie corroſum deprehenderit.

p. 6. 2) Ex eiusdem quoque conſilio Cl. MALAVAL inueteratum genu tumorem, qui altero genu duplo maior erat, poſt varia incaſſum tentata, applicato illo nigro, quod lapidatores ſub ſtratura viarum prope riuulos in magnis urbibus eruunt, utpote ſubtiliſſimo ferro, a curruum rotis et equorum ſoleis abraſo, ditiſſimo, breui tempore diſſipauit.

p. 7. 3) Feminae ſeptuaginta annorum cornu quoddam, in medio femore ſiniſtro introrſum ex cute enatum, liquore cauſtico, circum circa applicato, feliciter exſtirpatum fuit. Qua occaſione alia eiusmodi cornuum cultro reſectorum exempla adducuntur, ambaeque exſtirpandi methodi aeque efficaces habentur.

p. 10. 5) Vir triginta duorum annorum, ſubito reſpiratione difficili, vomitu et conuulſionibus correptus, atque tunc quidpiam a renibus ſuis vi quadam ſe ſeparare ſentiens, magno urinam mittendi deſiderio afficitur. Vrina vero et per urethram et per umbilicum ſimul egrediens tanto impetu ex umbilico proſiliit, ut humerum ad genua prouoluti maximeque admirantis ſerui tranſiliret. Cl. RAVSSIN ſenior tunc temporis accerſitus umbilicum mediocris nucis magnitudine tumidum et in medio apertura quadam, quae parum ſanguinis effuderat, perforatum vidit, qui tumor vero digito ſuperimpoſito diſparere videbatur. Conuulſionibus ſopitis, aeger aliquamdiu adhuc urinam pro lubitu, vel per umbilicum, vel per urethram emiſit, donec tandem, euitatis per umbilicum reddendi conatibus, urinam tandem per urethram tantum emitteret.

p. 12. 6) Bronchotomiam Cl. BAVCHOT, anno 1748 in iuuene viginti trium annorum feliciter peregit, quam Cl. BOVRGELAT quoque in equo pari euentu inſtituit.

7) Oeſo-

7) Oeſophagotomiam, quam Cl. GVATTANI, p. 13.
poſt experientias in canibus inſtitutas, facilem iudicauit, academia ob facilem funeſtamque arteriarum thyroidearum laeſionem, periculoſam eſſe declarat. Fatetur interim Cl. GOVRSAVD menſe Maio 1738 homini os, pollicem longum et ſex lineas latum, quod forte fortuna deglutiuerat, poſt inutiles illud in ventriculum deprimendi conatus, facta inciſione ſiniſtra parte, ubi os digito ſentiri poterat, feliciter et absque ullo ſymptomate extraxiſſe, eandemque operationem eodem cum ſucceſſu a Cl. ROLAND peractam eſſe.

8) *Lapidis ſtercorarii* pondere admodum leuis p. 14.
et in digitis impreſſionem ſaponaceam, ut Brigantinenſis creta relinquentis atque ex laminis compoſiti, quarum aliae coloris cineritii, aliae albicantis erant, *analyſin chemicam* Cl. CADET et comparationem cum Cl. BOVLDVC analyſi chemica calculorum veſicae urinariae inſtituit, ex qua apparet, hos magnam ſalis volatilis quantitatem, illos vero multum olei exhibere. Phoſphorum quoque mediante alumine ſecundum Cl. HOMBERG proceſſum exinde parauit, qui facillime ignem concepit atque inter comburendum ſulphuris odorem penetrantiſſimum ſparſit.

9) Linguam fortiter ad palatum appreſſam ceu p. 16.
impedimentum ſuctionis minus cognitum in infantibus obſeruatum ope ſpatulae depreſſit et duorum infantum vitam ſeruauit Cl. LAPIE.

10) Dentem inciſorium ſuperiorem, cuius radix p. 17.
valde curua fuit, feliciter extraxit Cl. CAPPERON.

11) Foecundationem, cuius terminus occaſio- p. 18.
ne quadam ab academia definiendus fuit, ſecundum naturam in menſtruatis quidem locum tantum habere, foeminas tamen, nunquam menſtruatas, foecundas etiam fieri terminumque longe ultra annum quinquageſimum extendi omnino poſſe, eadem

haec academia pronuntiauit pluribusque exemplis adductis confirmauit.

p. 20. 12) Manus, quam una cum cute exſiccatam et viridi colore praeditam ante multos iam annos effoſſerunt, et tanquam rem praeternaturalem reconditerunt, ab academia diſquiſita fuit, cuius viriditatis cauſam, vel ab humiditate cuprea, oſſa penetrante, vel a viridi aeris, quo manus, ad uſum anatomicum forte deſtinata, tincta fuit, dependere remque praeternaturalem non eſſe, dixit.

p. 23. 2. *Inſtrumenta et machinae chirurgicae, quas* academia approbauit, ſunt:

1) Catheter ſingularis, qui a Cl. DE LA CHAVD inuentus et tabul. I. fig. 4 et 5. delineatus eo in caſu adhibetur, ubi catheteres communes ob exceſcentias urethrae fungoſas difficulter aut plane non penetrant, aut ubi ſanguis interdum extrauaſatus orificia eorundem obſtruit.

2) Lectum mechanicum, quod a Cl. GVERIN inuentum aegros, mouere ſe non valentes, ad omnes motus neceſſarios ſubeundos diſponit.

3) Variae machinae pro balneis, embrocatione etc.: ab Eodem excogitatae.

4) Monilia pro infantibus ab honeſta foemina. GONICHON et Cl. PRIOV excogitata, quibus ſpinae coſtarumque incuruatio praecauetur.

5) Inſtrumentum, quod pro ſiſtenda haemorrhagia, dentium extractionem ſequente atque vulgari ſaepe modo vix compeſcenda, a Cl. FOVCOV excogitatum tab. 2. delineatur.

6) Deſcriptio machinae ad obliquas corporis femoris eiusque colli fracturas, quae in commentariis ſubſequentibus continetur.

3) Sequun-

3. Sequuntur poſtea recenſiones variorum tra- p. 30.
ctatuum, quos ab anno 1742 ad annum uſque 1750. academici ediderunt,

4. Has excipiunt duorum academicorum defun- p. 107.
ctorum elogia, quorum prius GVILIELMO CHESELDEN dicatum eſt. Hic anno ſeculi praecedentis octogeſimo octauo *Sombery* in Comitatu *Leiceſter* natus tam acriter ſtudiis incubuit, ut anno aetatis ſuae vigeſimo ſecundo anatomen iam doceret. Verum non in hac ſolum, ſed in Chirurgia etiam adeo exercitatus fuit, ut multis conſiliarium ſe praeberet deque iisdem erudite inſimul ſcriberet. Ob bene merita inſuper Reginae Anglicae Chirurgus ſuperior conſtitutus atque etiam Eques creatus eſt. Anno demum 1752 aetatis ſuae ſexageſimo quarto die duodecimo Aprilis obiit.

NICOLAVS PVZOS, patre chirurgo Pariſiis an- p. 121.
no 1686 natus, ab eodem ſtatim chirurgiae deſtinatus fuit. Atque ut multum in ea proficeret, philoſophiam prius addidicit, poſtmodum autem chirurgiae ſedulo operam nauauit et in hac ſe occaſione cladium inſignium ab anno 1703 ad annum 1709 uſque multum exercuit. Artem praeterea obſtetriciam bene calluit atque hac in re multis auxilium praebuit nec a paucis in conſilium vocatus foeminas etiam obſtetricantes ad obitum uſque de hac arte inſtruxit. Anno 1745 academiae chirurgicae Director a Rege creatus annoque 1750 Cenſor librorum chirurgicorum regius nominatus fuit. Per plures annos aſthmaticus denique anno 1753 ſubito viribus fractus d. 7 Iunii obiit.

5. Vltimo ſubnectitur catalogus Academico- p. 129.
rum, qui d. 1 Ianuar. 1757 inter viuos fuerunt.

Tranſeamus ad ipſos commentarios, in quibus deprehenditur:

p. 1. 1) *Commentarius cum plurium obſeruationum ſumma de cancro.* Auctore Cl. LE DRAN. Tractatio, in quatuor partes diuiſa, primo de cancro cutis, deinceps de cancro mammarum, a cauſa externa orto, porro de iis, qui a menſtruorum ceſſantium refluxu, tandem, qui a lymphae vitiis naſcuntur, agit. Cancrorum cutaneorum ortus glandulae obſtructae ſunt, paruum nodum formantes, qui irritatus in cancrum, demum latius ſenſim ſerpentem aliasque ſanas adhuc partes depaſcentem, abit. Huic malo medetur chirurgia, dum cancros paruos vel cauſtico, ſemel tantum applicando, deſtruit, vel eos cultro exſcindit. Id variis illuſtratur obſeruationibus, ex quibus ſequentia notamus. Cancri in facie deprehendendi in initio parui duntaxat nodi fuerunt, qui autem, cum mali moris non ſint, ſola tantum irritatione in cancros abeunt. Inde iſta tubercula, incrementum non capientia nec dolorifica tangenda non eſſe, colligitur. Quando vero duri iſti tumores increſcunt, nec lenioribus remediis obediunt, cauſtico demum aut ſcindente inſtrumento deſtruantur, neceſſe eſt, ita tamen, ut cauſtica eo tantum in caſu valeant, ubi tumor paruus unica applicatione deſtrui poteſt; ſin minus, tumor exſcindendus, minime autem cauſtico, ſaepius applicando conſumendus, quia lenta iſta et crebra applicatione pars affecta irritata in peiorem ſtatum tranſit. Tandem cancros faciei et ab interna cauſa oriri, ſemper fere ex regreſſu tantum mali cognoſcenda, notamus.

p. 18. Qui ob copioſas glandulas in foeminarum mammis oriuntur cancri, externam ſaepe cauſam agnoſcunt. Duri enim, poſt contuſionem v. g. oborti tumores, qui diu absque incremento et dolore feruntur, irritati in carcinoma mutantur. Quando itaque ſimplices adhuc exiſtunt, a remediis leniori-

bus

bus diluentibus et reſoluentibus, interne ſumtis, medela ſaepe expectant, ſenſim vero increſcentes et dolentes iam, iisdem etiam remediis cum lactea diaeta iunctis interdum quidem, ſed raro curandi, ut plurimum absque recidiuae metu amputantur. Quodſi dolores frequentes et lancinantes accedunt, atque tumores iam carcinomatici fiunt, qui nondum tamen glandulis ſub axilla induratis, amputatio ſaepe etiam adhuc locum habet; ſi vero lympha vitiata eſt, ſemper recidiua metuenda, quae omnino certa habetur, ſi ſub axillis glandulae indurantur. Cumque a tumoribus iſtis totius ſaepe corporis lympha corrumpatur, in aliis etiam locis, in primis pulmonibus tumores pariter cancroſi oriuntur. Caeterum mercurio, nec tumores carcinomatici, nec etiam ſcirrhoſi curantur, imo in peius mutantur; a cauſa contra venerea orti medelam inde admittunt. Cauteria in partibus remotis e. g. extremitatibus applicata, recidiuam ſaepe praecauent. His ipſis enim humores auocantur, ita, ut in multo minori copia ad partem affectam tendant.

Hactenus de cancris, a cauſa externa natis, di- p. 37.
ctum, nunc de iisdem ab internis cauſis agitur. Inter plures cauſas eae hic in primis notantur, quas menſtruorum fluxus, tempore definito ceſſans, largitur. Sed cancros ab hac cauſa non in mammis ſolum, ſed in utero etiam vere produci, obſeruationes oſtendunt, ex quibus etiam liquet, eiusmodi cancros eodem modo, ut caeteras ſpecies, a cuiusdam partis obſtructione formari. Ita enim tumores primo ſcirrhoſi, poſtea carcinomatici, tandem fere exulcerati cancri producuntur. Eiusmodi metaſtaſes paruo temporis ſpatio absque notabili dolore ſe extendunt, ulcus increſcit atque malum incurabile euadit. Saepe etiam diu cancros ſecum ferunt foeminae, tandem pulmonibus aut cerebro

infarctis ut plurimum pereunt. Aſt praeter uterum et mammas aliae quoque in hypogaſtrio ſitae partes eiusmodi tumoribus obnoxiae ſunt, quarum vero morboſus ſtatus in initio vix detegi poteſt.

p. 47. Tandem etiam cancri commemorantur, qui, a vitio humorum orti, nullam medelam admittunt. Si enim in ipſa lympha miaſma cancroſum reſidet, accidit ſaepe, ut, una parte amputata, nouus in altera tumor, vel alius peior fere morbus oboriatur, ideoque nullus curationi locus relinquatur. Obſeruationes hic adductae eiusmodi caſus continent, ubi poſt amputatas partes cancroſas, vel inſignis caries oſſium, vel eorundem emollitio, vel pulmo induratus euaſit, ita, ut mors ineuitabilis ſubſequeretur.

p. 55. 2) *Obſeruatio de corpore peregrino, in inteſtinis formato, perque anum extracto.* Auctore Cl. MARESCHAL. Foemina diu inſigni alui tarditate laborat, cuius cauſam diſquiſitam corpus eſſe peregrinum in inteſtino recto deprehendunt. Ano itaque ob volumen dilatata, inque pluribus locis inciſa lapis extrahitur, qui, uncias duas totidemque drachmas cum dimida ponderans, in medio nucleum, ex induratis excrementis formatum habuit, cui plures incubuerunt lamellae. Tab. 3. fig. 1. 2. 3. corpus iſtud repraeſentat.

p. 57. 3) *Alia obſeruatio de concretione lapidea per anum educta.* Auctore Cl. MOREAV. Haec, praecedenti fere ſimilis, lapidis, magnitudine mali maioris, per anum educti mentionem facit, tabulaque 3. figura 4. fruſtum iſtius lapidis diffracti delineatum ſiſtit.

p. 62. 4) *Obſeruatio de vulnere digiti cum phaenomenis peculiaribus.* Auctore Cl. MORAND. Homo quidam vitreum tubum, mercurio plenum, experimentis phyſicis deſtinatum frangit, quo facto orificium,

cium, ne mercurius omnis egrediatur, digito obturat et inde vulneratur. Vulnus emplaſtro tectum poſt aliquot dies conſolidatur. Verum paulo poſt dolor et inflammatio denuo accedunt et, abſceſſu formato apertoque, ſingula deligatione pus una cum globulis mercurii educitur. Decem diebus elapſis rurſus quidem vulnus conſolidatur, digitus vero tumidus manet. Per plures dein menſes, paruis ſaepe nodulis in digito formatis hisque apertis, una cum pure mercurius eductus fuit. Accuratiori demum curatione obſeruata perfecte conualuit digitus.

5) *Obſeruationes de duobus vulneribus in homine quodam notatu dignis.* Auctore Cl. VERDIER. Melancholicus quidam nouacula vulnus abdomini ſupra umbilicum aliudque gulae infligit. In priori portio inteſtini ieiuni cum alia coli exit inſimulque duplex omenti portio eodem inſtrumento ſeparata in lecto et pone iſtud reperitur. Qua occaſione, cum epiploon ob reliquarum partium breuitatem ligari nequiuerit, neque tamen ullum inde damnum euenerit, Cl. Auctor oſtendit, quo in caſu omenti ligatura, quae tamen, ſi reducendum iſtud eſt, ab omnibus ſuadetur, omitti, quoue ſuſcipi debeat. Locum ea non habet, ubi vulnus gladio inflictum paruae portioni omenti exitum praebet. Ipſa enim vulneris anguſtia vices ligaturae gerit efficitque, ut deſiccata portio propendens ſponte decidat. Quodſi vero egreſſum epiploon ſingultu et vomitu ſtipatum eſt, vulnus tunc dilatari omentumque, parte mortua prius deligata, reponi debet. Ita enim decidentia partis procuratur, moleſta vero ſymptomata praecauentur. Tandem ſi in epiplocele vaſorum infarctus et inflammationis ſigna adſunt, ligaturae locus non eſt, ſed expectandum, donec infarctus et inflammatio ceſſarint. p. 67.

Alterum

p. 78. Alterum vulnus gulae ſupra laryngem inter cartilaginem thyroideam et os hyoideum ita infli-ctum fuit, ut liquida, ore ſumta, per hocce vulnus exirent inſimulque vox deficeret. Vulnere rite tractato, vocem recuperauit aegrotans, inde Noſter, neruos recurrentes non diſciſſos ibi fuiſſe, coniicit, cumque iſte aeger priſtinam vocem recuperarit, optimo inde cum ſucceſſu bronchotomiam in caſu, ubi aer ob faucium inflammationem, aut ob peregrinum in aſperam arteriam ingreſſum corpus, intercipitur, inſtitui, vulnus dein conſolidari vocemque reſtitui omnino poſſe, concludit.

p. 84. 6) *Commentarius de hydrocele.* Auctore Cl. BERTRANDI. Hydrocelis variae ſpecies ſunt. Vel enim aqua inter integumenta communia et muſculum dartos, vel inter hunc et cremaſterem effunditur. Tertiam, quam aſſumunt, ſpeciem, aquae nimirum effuſionem inter cremaſterem et vaginalem tunicam, Cl. Auctor negat, colligi autem eam in ipſa tunica vaginali cellularemque ab initio eiusmodi hydrocelen eſſe, aſſerit. Fractis enim cellulis aquam dein congeri, plures obſeruationes oſtendunt, hancque hydrocelis ſpeciem frequentiorem eſſe, confirmant. De ultima tandem, quam in ipſo teſticulo conſtituunt, ſpecie Noſter dubitat, obſeruationibus hac de re nondum confirmatus. Ad has et aliae hydrocelis ſpecies referuntur, quae ab herniis ortum trahunt. Saepe enim inteſtina, omentum et veſica, cauſam dant, ut aqua in ſaccis congeri queat.

p. 106. Quod ad curationem ſpectat, ea vel ſetaceis vel cauſticis, vel ferro perficitur. In hydrocele recenti, quae in vaginali tunica fit et cellularis eſt, ſetaceum optime conuenit. Si vero tumor amplus et vetuſtus eſt pluresque ſunt cellulae, atque aquae copia inſignis, ſetaceum locum non habet, ſed incifio

ciſio ſuadetur, ita tamen, ut cellularum cumulus minime laedatur. Inciduntur cellulae a parte inferiori ad ſuperiorem, ſique, euacuato humore, in cellulis conſpiciuntur maculae, cauum tunc linamentis impletur, quorum ſuperficies lapide infernali contuſo cumque ſapone permixto oblinitur, ut maculae erodantur. In ampla hydrocele, antequam inciſio ſuſcipiatur, aqua prius educenda, remediisque corroborantibus ſcrotum fouendum, et ſuſpenſorio per aliquot dies ſuſtinendum, atque, noua aqua collecta, ſaccus iterum perforandus. Ita namque gangraena et haemorrhagia, inciſionem ſaepe ſequentes, praecauentur, haec autem felicius tunc demum inſtituitur. Valet haecce medendi methodus, ubi tumor non adeo vetuſtus eſt et aqua tantum limpida exit; ſin vero aqua ſubrubra vel atro rubeſcens, lurida et graueolens egreditur, inciſio confeſtim ſuſcipienda, ſaepeque teſtis exſcindendus eſt.

Si ſaccus nimium craſſus, amplus, ſcirrhoſus deprehenditur, maximam partem exſcindendus iſte, non vero cauſticis tangendus eſt. Sin vero idem non adeo craſſus et amplus conſpicitur, lenior inſtitui poteſt curatio. Sacci praeterea ſuppuratio promouenda, ipſe autem ita obliterandus eſt, ut nouae collectioni humoris nullus ultra aditus pateat. p. 115.

7) *Commentarius de exoſtoſibus oſſium cylindricorum, quarum nouam ſpeciem* conſtituit Cl. HOVSTET. p. 130.
Praeter exoſtoſes a malo venereo, ſcorbuto etc. ortas, alias a ſucco, poſt contuſionem aut aliam externam violentiam extrauaſato, natas Cl. Auctor annotauit. Prima earum ſpecies eſt, ſi ſuccus in ipſa oſſis cauitate ſubito et copioſe colligitur, ita ut ſubſtantia oſſis ſenſim detrudatur et exoſtoſis exoriatur. Alia ſpecies eſt, ſi oſſa a ſucco, intra ipſam eorum ſubſtantiam effuſo, diſtenduntur et intumeſcunt.

ſcunt. Tertia tandem habetur, ſi exoſtoſes, vel ab indurato perioſteo tumido, vel a ſucco nutritio, ſuper os externe effuſo, oriuntur. Vltima haecce ſpecies a tumore ſcirrhoſo, tum fixitate, tum dolore diſcernitur. A cancro autem incipiente differt in eo, quod in hoc cutis color mutetur et venae intumeſcant; ab aneuriſmate vero, quod hoc molle, pulſans, dolens ſit et compreſſum cedat; a ſpurio demum, quod hocce ſubitum incrementum capiat, molle ſit atque cutis flaueſcat. Exoſtoſis, quae a ſucco, in ipſa cauitate effuſo, producitur, cognoſcitur, quod canalis oſſis diſtendatur et membri volumen undique augeatur. Illa vero ſpecies, quae a ſucco intra ipſam ſubſtantiam effuſo oritur, creſcere nequit, nec ut praecedentes eleuatur. Cuncta haec pluribus obſeruationibus et figuris, tabul. 4. 5 et 6 repraeſentatis, illuſtrantur.

p. 145. 8) *Commentarius de curatione herniarum inteſtinalium cum gangraena.* Auctore Cl. LOVIS. Inteſtina, per annulum ex abdomine egreſſa, ſaepe incarcerantur et gangraenam inde concipiunt, quare, ne in vitae diſcrimen incurrant aegri, promtum auxilium adhibendum eſt. Quadruplex autem obſeruatur modus, quo gangraena accedat. Dantur nimirum caſus, ubi aliqua tantum inteſtini portio incarceratur, ita tamen, ut inteſtini cauitas minime intercipiatur. In hocce caſu aegri leues duntaxat dolores colicos, nauſeas et vomitus experiuntur, ſtercoraria vero materies per viam adhuc liberam tranſit. Magna itaque attentio hic requiritur, idque eo magis, quo minus ſymptomata grauiora videntur, quoue negligentiores plerumque tunc eſſe ſolent aegroti. Rebus interim ſic ſe habentibus partem interceptam occupat gangraena, qua perſpecta ſegmenta illa gangraenoſa ſeparanda, partibus ſanis intactis ſuppuratio conuenientibus remediis

diis procuranda ulcusque detergendum eſt; quibus cunctis rite obſeruatis, perfecta ſaepe obtinetur conſolidatio. Notandum praeterea eſt, ſaepe etiam alui obſtructionem in memorato ſtatu obſeruari et, licet tota inteſtini cauitas intercepta non ſit, faeculentam tamen materiem vomitu reiici.

In caſu, ubi eiusmodi hernia gangraenoſa annulo adhaeret, dilatatio nocet; ubi vero, rupto inteſtino faeces per vulnus exeunt, conuenit ſane, ſi aeger ventri incumbit, quo faeces exeant et impediatur, ne in abdomen iſtae dilabantur. Clyſmata inſignem in tali ſtatu opem ferunt; non ſolum enim ſcybala, diu retenta educunt, ſed faciunt quoque, ut faeces, quae per vulnus exeunt, verſus anum rurſus terminentur. De reliquo regimen accuratum et ſtrictum diu poſt curationem obſeruandum eſt, interdum tamen idem iſtud nimis diu continuatum nocet, quia coarctationi inteſtini fauet, a qua autem varia ſaepe oriuntur mala.

Dantur deinde caſus, ubi tota cauitas inteſtini p. 166. intercipitur. In his eadem fere ſymptomata, quae antea, obſeruantur. Hinc de curatione tantum notamus, partes gangraenoſas ſeparandas et, ſi inteſtinum adhaereat neque partes uniri poſſint, anum artificialem conſtituendam eſſe.

Tertius caſus eſt, ubi inteſtini gyrus liberum p. 168. in annulo conſtituit anfractum, gangraena correptum. Minime hoc in caſu inteſtinum reponendum, ſed, niſi reuiuiſcat, mortua pars ſeparanda nouaque anus, alteram inteſtini cum ventriculo cohaerentem partem cum vulnere conglutinando, procuranda eſt. Tali enim modo multos ſeruari, contra vero unionem partium inteſtini ſeparatarum fallacem curationem ſuppeditare et aegrotantes, poſt aliquos etiam annos, plerumque tamen citius, rupto inteſtino et materie in abdomen egreſſa perire, ex adductis obſeruationibus patet.

Quartus

p. 178. Quartus demum caſus eſt, ubi hernia gangraenoſa inſimulque adhaerens inteſtini gyrus animaduertitur. In hoc caſu ſi ſanae partes annulo adhaerent, accidit ſaepe, ut parte corrupta ſeparata et faecibus per vulnus euacuatis poſt aliquot tempus, ſtatu in meliorem mutato, beneficio adhaeſionis materies faeculenta priſtinam viam tranſeat et per rectum inteſtinum euacuetur.

p. 184. Primarium inter curationes locum obtinet methodus RAMDHORII, Chirurgi Brunſwicenſis, quippe qui poſt ſeparationem portionis inteſtinalis alterum inteſtini extremum ſuperius in inferius inſeruit et ita vitam aegri ſeruauit. Ex his pariter, quae hactenus dicta ſunt, patet etiam, quo modo vulnera inteſtinorum pertractanda veniant, cum plura cum curatione herniarum gangraenoſarum communia habeant.

p. 202. 9) *Commentarius de utilitate iniectionum aquae calidae in uterum, ſecundinarum portione poſt abortum relicta.* Auctore Cl. RECOLIN. In aliquot foeminis, in quarum utero poſt abortum aliqua ſecundinarum pars remanſit, aquam calidam aliquoties ope ſyringae in ipſum uterum iniecit. Quo facto ſymptomata non ſolum mitiora reddita ſunt, ſed ſecundinarum etiam reliquiae poſthac exierunt. Aquam ſimplicem calefactam, utpote magis ſoluentem, reliquis iniectionibus anteponit. Secundinas enim non ſolum hac ipſa detrudi, ſed et humores putridos foetidosque nec non ſanguinis grumos eadem elui uterumque plane purgari, aſſerit.

p. 216. 10) *Commentarius de methodo, placentas poſt partum extrahendi deque diuerſis, quas operatio iſta pro rei qualitate exigit, cautionibus.* Auctore Cl. LEVRET. Primo tempus extractionis placentae conſiderat Noſter. Si foemina fortis ſatque vegeta eſt, parua copia

copia aquarum in utero reſtat, haeque diu ante foetus excuſſionem exierunt, ſecundinae ſtatim extrahendae ſunt; ſin vero contrarium obſeruatur, feſtinandum non eſt. Deinde ſi venter mollis et undique flaccidus eſt, neque quidquam in inferiori uteri parte eleuatum deprehenditur, feſtinatio nocet, ſin vero in regione hypogaſtrica oualis tumor, in primis ſuperiora verſus, ſentitur, nullum damnum a feſtinatione metuendum eſt. Porro ſi ſanguis, vel ante partum, vel cum eo, vel etiam poſt eum, copioſus exiit, quantocyus a placenta foeminae ſunt liberandae; ſin vero nullus ſanguis dictis temporibus exiit, celeritas nocet. In caſu, ubi placenta paucos anfractus habet, eiusque craſſities et circumferentia non adeo notabilis, atque funiculus ſat capax eſt, extractio facilis habetur, contrarium ſi obſeruatur, extractio matura nocet. Praeterea locus adhaeſionis ſedulo attendendus eſt. Saepe enim parti anteriori, vel et poſteriori uteri adhaeret placenta, quare ob mechaniſmum extractio difficilior fit; hinc, niſi ad hanc rem attendatur, videretur forte, ac ſi iſtud impedimentum ab uterini orificii conſtrictione proueniret.

Quod ad cautiones ſpectat, altera obſtetricantis p. 228.
manus, oleo bene illinienda, introduci, altera vero ventri parientis, ad impediendum uteri prolapſum, imponi debet. Dorſum deinde manus parieti, cui placenta adhaeret, reſpicere debet; placenta poſthac ſenſim ſenſimque remouenda; tum cura in arripienda placenta adhibenda eſt, ita, ut pollex lateri placentae, cui funiculus adhaeret, reliqui autem digiti alteri lateri imponantur. Si tandem aliqua forte pars placentae relicta fuerit, curandum omnino, ut extrahatur.

In caſu denique, ubi poſt abortum primi men- p. 229.
ſis placenta extrahenda eſt, opus hoc, ſi nimirum nullus, vel paucus ſanguis effluxerit, ſoli naturae

relinquendum, et liquor tantum tepidus iniiciendus eſt. Sin vero multum ſanguinis exierit, altera tunc manus ventri imponenda, altera vero in vaginam introducenda inſimulque digitus in uterum immittendus et in circulum ducendus eſt. Tunc enim manum exeuntem, vel placenta ſequitur, vel hoc etiam ſi non euenit, id tamen efficitur, ut placenta deſcendat, exitusque eius acceleretur.

p. 235. 11) *Deſcriptionem machinae ad fracturas obliquas corporis colliqve femoris* exhibuit Cl. BELLOQ. Hanc icon tab. 7. ſiſtit.

p. 238. 12) *Diſquiſitio hiſtorica et critica de nephrotomia ſeu ſectione renum.* Auctore Cl. HEVIN. Hanc in duas partes diuiſit Cl. Auctor, quarum prior rem iſtam hiſtorice pertractat et diſquirit, an unquam in viuentium renibus, calculo affectis, de caetero integris, ſalua aegrotantis vita, ſuſcepta fuerit. Pluribus argumentis, rem vel corroborantibus, vel aliis, eandem impugnantibus, adductis patet, dubium etiamnum manere, an unquam operatio iſta in renibus, calculo tantum affectis, ſuſcepta vere fuerit.

p. 274. Quod ad poſteriorem partem pertinet, diſquiritur primo, an ſectio renum, in integritate conſtitutorum ſuſcipi omnino poſſit. Veteres nihil quidquam ſuadent, quodque de ſectione renum commemorant, de eorundem tantum abſceſſu, nequaquam vero de rene calculoſo aperiendo dicta videntur. Operationem quidem recentiorum non nulli, atque inter hos in primis Cll. ROVSSET et ROBINSON defendunt, atque eam bono cum ſucceſſu inſtitui poſſe, aſſerunt. Verum ſententias, ſi examinaueris, non experientia, ſed coniecturis tantum niti, reperies. Si itaque dicendum quod res eſt, plures ſane obſtant rationes, quae renis, tantum

tum calculo grauati, de caetero integri, ſectionem diſſuadeant. Ita namque ſitus huius viſceris profundus, partium, iſtud tegentium ipſiusque ſubſtantiae renum craſſities, aortae, ductus thoracici, coſtarum ſpuriarum proceſſuumque vertebrarum vicinia, nerui ſat magni, ſaepe renem tranſeuntes aliaque eiusmodi plura impedimento ſunt. Verum adſunt alia, non minus grauia, quae ſectionem vetent. Ita v. g. de calculi praeſentia certi vix ſemper ſumus, et ſi quoque nullum ſuperſit dubium, quis tamen de figura et ſitu ipſius calculi certi quid determinare audeat. Anatome enim ſaepe in renibus detexit calculos, ita incluſos, ut absque renis deſtructione vix unquam extrahi potuiſſent. Certe, ſi has aliasque plures perpendamus rationes, ſectionem renum non ſolum difficulter peragendam, ſed et maxime periculoſam eſſe, animaduertimus.

At vero, ſi abſceſſus in renibus formatur, isque p. 31/
exteriora verſus tendens per ſua ſigna cognoſcitur, nephrotomia locum habet. Valet autem ea tum, ubi abſceſſus a calculo oritur, tum etiam, ubi iſte cauſam non ſuppeditat. In priori caſu, abſceſſu aperto calculus inſtrumentis conuenientibus educitur, caeterum recta in utroque caſu atque accurata ulceris habetur ratio.

13) *Commentarius de calculis urinariis, extra na-* p. 33
turales urinae vias formatis. Auctore Cl. LOVIS. Continentur hic quatuor obſeruationes, quae hiſtoriam formationis iſtorum lapidum tradunt. Poſt ſectionem nimirum lateralem, in duobus hominibus ob calculum inſtitutam, tempore aliquo elapſo tumor in perinaeo obortus fuit, quo aperto inſignis magnitudinis calculos extraxerunt. In alio eandem ſectionem tumor in ſcroto ſecutus fuit, quo etiam aperto, calculus itidem exiit. Quarta obſeruatio caſum commemorat, ubi quis contuſionem

in ſcroto paſſus eſt ita, ut, tumore ſenſim enato, poſt aliquot annos calculus demum educeretur. In cauſam Noſter inquirens aſſerit, fiſtulam ſaepe a ſectione remanere, per quam urina et materies calculoſa tranſeat, quae, accedente ſemper noua ſimili materie, augmentum capiat inque verum tandem calculum excreſcat. Quod ad eum caſum ſpectat, ubi, contuſione praegreſſa, calculus dein in ſcroto formatus fuit, Noſter ideo, urethram tunc temporis ruptam eſſe, ſeque inde eodem ferme modo calculum formaſſe, coniicit. Ne itaque fiſtulae poſt ſectionem relinquantur, neque calculus in adiacentium partium contextu formetur, cereos ea propter in urethram introduci iubet, quo canalis amplitudinem naturalem retineat, atque etiam perfecta cicatrix interius demum formetur. Tabula 8. calculos delineatos ſiſtit.

p. 351. 14) *Tentamen ſuper oeſophagotomia.* Auctore Cl. GVATTANI. Operatio haec in ſiniſtro latere ob ſitum oeſophagi inſtituitur; cutis a chirurgo digitis arrepta a ſuperiori tracheae parte ſecundum longitudinem ad ſternum uſque inciditur, contextus celluloſus, pinguedo, membranae etc. remouentur, partes inter muſculos ſterno hyoideos et ſterno thyroideos ſiniſtros nec non corpus tracheae ſitae ſeparantur, vulnereque ope volſellae dilatato, oeſophagus in conſpectum veniens inciditur, apertus forfice curua dilatatur atque corpus peregrinum volſellae itidem ope extrahitur. De reliquo bene cauendum, ne nerui recurrentes aut arteriae laedantur; tandem autem lintea, aqua vulneraria imbuta, imponantur, atque aeger ſpatio aliquot dierum per clyſmata tantum nutriatur. Operationem hanc in homine quidem viuente non inſtitutam, bene tamen in viuis canibus peractam eſſe, Cl. Auctor perhibet.

15) *Com-*

15) *Commentarius de dislocationibus uteri et vaginae.* Auctore Cl. SABATIER. Hunc in quatuor partes diuiſit Cl. Auctor atque in prima quidem de deſcenſu, in ſecunda de inuerſione, in tertia de diuerſis mutationibus ſitus atque hernia uteri, in ultima tandem de dislocatione vaginae agit. Deſcenſus uteri triplex obſeruatur gradus, isque, vel relaxatur et in vaginam ſe confert, vel paulo profundius eam intrat atque in utroque caſu ſub tumore pyriformi deprehenditur, ita tamen, ut in relaxatione tumor iſte paulo altius, in deſcenſu autem longe profundius haereat; vel denique extrorſum penitus uterus praecipitatur. Si uterus relaxatur et deſcendit, facile iſte ſitu conuenienti in priſtinum ſtatum reducitur; ſin vero foras plane propendet, difficulter admodum reponitur, attamen non deſperandum. In caſu ubi intumeſcentia impedimento eſt, fomentationes emollientes et reſoluentes prius ſaepiusque applicandae, tandem repoſitio tentanda eſt. Nec deſperandum eſt, ſi quando uterus diu propendens una cum vagina exulceratus apparet. Similes enim fomentationes atque etiam clyſmata emollientia crebrius applicata uterum ad repoſitionem diſponunt. Si grauiditatis tempore uterus egreditur, iſte ſtatim reponendus; ſi vero foemina partui proxima habetur, ſitu conuenienti et faſcia uterus ſuſtinendus, donec foetus excluſus fuerit, poſtmodum autem reponendus eſt. Si tandem ipſo momento partus uterus egreditur, orificium eius dilatandum, vel et uterus incidendus eſt, tuncque infans extrahitur. Poſt repoſitionem uterus peſſariis conuenientibus in primis a Cll. BAVHINO et SAVIARD excogitatis retinendus eſt. p. 361.

Vterus duplici modo inuertitur; vel enim eius fundus per aperturam colli exit et in vagina haeret, haecque ſubuerſio incompleta dicitur; vel ea completa eſt et totus uterus ſubuertitur, per orificium p. 375.

 tranſit

tranſit atque aliqua ex parte vaginam ſecum trahens intra aegrotantis femora deſcendit. Harum ſubuerſionum variae annotantur cauſae, inter quas placentae extractio, vaginae polypus, inque foeminis pinguibus inſigne viſcerum pondus referuntur. Promtum poſtulat auxilium uteri ſubuerſio, uterusque quantocyus reponendus eſt, interdum tamen, ſed raro cunctatio conuenit, quando nimirum inflammatio impedimento eſt. Si gangraena uterum ſubuerſum corripit, exſtirpatio unicum habetur auxilium. Si ob moram reductio impoſſibilis cenſetur faſcia uterus ſuſtinendus. Si ſubuerſio a placentae extractione, vel polypo vel demum haemorrhagia dependet, ſola reductio ſuſcipienda, ſi vero pinguis corporis habitus cauſa cenſetur, non ſolum uterus reducendus, ſed et peſſario in ſitu inſimul retinendus eſt.

p. 384. Situs uteri mutatus grauiditatem cauſam agnoſcit. Si enim partes inferiores debiles et laxae ſunt atque abdominales muſculi ob laxitatem reſiſtere nequeunt, accidit inde, ut uterus magis ac magis antrorſum inclinetur, ſupra oſſa pubis propendeat atque ſic dictus *venter propendulus* oriatur. Alia mutatio ſitus uteri hernia dicitur, haecque eſt, ſi uterus grauidus ſenſim per annulum abdominalem exit, ita ut inſignis magnitudinis tumor inde appareat. Si unquam, hoc certe in caſu, ſectionem caeſaream indicari Cl. Auctor autumat. Alii denique ſitus obliqui in unum vel alterum latus interdum animaduertuntur, hique non nulla quidem, ſed non adeo periculoſa producunt incommoda.

p. 390. Vagina relaxatur, deſcendit, egreditur et ſubuertitur: minime tamen putandum, ac ſi omnes eius ſubuerterentur tunicae. Interna namque duntaxat tunica huic incommodo obnoxia eſt, et eadem fere auxilia, quae in ſubuerſione uteri valent, et iam hic adhibenda veniunt.

16) Com-

16) *Commentarius de ligatura omenti.* Auctore Cl. PIPELET. Ex pluribus obſeruationibus hic adductis liquet, periculoſum eſſe, ſi quis epiploon, in vulneribus egreſſum, ideo extrahat, ut ſana pars cognoſci inque ea ligatura inſtitui poſſit. Caeterum omenti egreſſi ligaturam, hactenus a plurimis commendatam, grauium ſymptomatum atque adeo mortis cauſam eſſe, hincque omittendam, eaedam obſeruationes probant. p. 394.

17) *Commentarius de ſuturarum abuſu.* Auctore Cl. PIBRAC. Experientia confirmatus Noſter ſuturas in vulneribus infimi ventris, labiis leporinis, vulneribus linguae, vulnere transuerſali colli, vulneribus tendinum, imo cunctis, plus nocere, quam iuuare pluribus obſeruationibus confirmat. Praeter inflammationem enim et dolores, ſuturam ſemper fere ſequentes, in partibus et in primis in facie indelebilem ſaepe difformitatem, ab illa productam remanere, imo hanc ipſam inſufficientem prorſus haud raro eſſe atque adeo fila ſponte ſaepe ob ſuppurationem decidere, vel eadem etiam ob moleſta ſymptomata reſcindenda eſſe, Cl. Auctor demonſtrat. Contra vero in ſuturarum locum faſcias ſurrogandas et pro diuerſitate partium diuerſimode applicandas eſſe, ſuadet. Tabula 9. ſingularis faſcia pro linguae vulneribus depicta habetur, quam optimo cum ſucceſſu in puella, quae linguam in paroxyſmo epileptico inſigniter laeſerat, Cl. Auctor applicuit, imo hac ipſa poſtmodum cautum fuit, ne inſtante paroxyſmo, vel et omni nocte ea applicata lingua laederetur. p. 408.

18) *Obſeruationes de fiſtulis ductus ſaliualis* STENONIANI. Continentur hic variae obſeruationes, quarum prima Cl. quondam Auctori DEPHENIX debetur. Venator graue vulnus in malis a ceruo pati- p. 431.

 tur

tur et inter alia ductus in primis STENONIANVS prorſus dilaceratur. Vulnere fere conſolidato ſaliua ob ductum, pone angulum maxillae dilaceratum, continuo effluxit, ita, ut inter maſticandum lintea ob copiam effluentis ſaliuae ſupponere cogeretur. Noſter cognoſcere auidus, quanta quauis vice efflueret ſaliuae copia, vaſculum tempore maſticationis ſuppoſuit et in quindecim minutis uncias duas cum drachma ſaliuae obtinuit, alio tempore, octodecim minutis elapſis uncias duas atque drachmas ſex, alio in viginti tribus minutis uncias tres atque drachmas duas cum dimidia, alio tandem viginti octo minutis uncias quatuor atque drachmam unam humoris ſaliualis collegit. Vnde patet, quantam ſaliuae copiam inter maſticandum parotis glandula ſuppeditet. Aeger, moleſtiae iſtius pertaeſus, auxilium implorauit, inde Noſter operationem cultro inſtituens eo rem perduxit, ut nouus artificialis ductus in oris cauitatem hians exoriretur.

p. 440. Altera obſeruatio Cl. MORAND Auctorem agnoſcit et ductus ſaliualis fiſtulam curandi nouam methodum continet. In caſu itaque ubi fiſtula in genis orta ſaliuae effluentis cauſa eſt, ductum in os hiantem Cl. Auctor examinat, et an canalis liber adhuc ſit, diſquirit. Quo detecto in fiſtulam lene eſcharoticum ad deſtruendam calloſitatem introducit, in ipſum vero canalem ſtilum, fruſtulis fili euolutis inſtructum, indit, et emplaſtro vulnus tegit. Diebus octo vel nouem elapſis curationem abſolutam fuiſſe perhibet.

p. 442. Tertiae obſeruationis Auctor Cl. LOVIS eſt. Haec ex pluribus obſeruationibus conſtat, quae effluxum ſaliuae per fiſtulam glandularum parotidum earundemque ductus excretorii commemorant. Ex his liquet, ſaliuam, per fiſtulam genarum effluentem, ſemper ductus ſaliualis laeſi ſignum non eſſe. Qui enim hic adducuntur caſus, oſtendunt, fiſtulam

lam, in ipſa glandula ortam, ſaepe cauſam dare, ut extrorſum terminetur ſaliuae fluxus. Curantur eiusmodi fiſtulae, vel ſola compreſſione vel remediis exſiccantibus, vulneri applicatis. Ita enim facile vulnus conſolidatur; quod autem, ſi ductus iſte laeſus eſt, non aeque obtinetur. Itaque via artificialis tunc procuranda atque gena perforanda eſt. Id quidem cauterio actuali, vel et inſtrumento ſcindente, filis inſuper, quo calloſa inde ora fierent, per aperturas ductis perfecerunt: cum autem perforatio, vulgo hactenus ante foramen fiſtuloſum inſtituta, raro locum habeat, ſaepe etiam periculoſa ſit, Noſter ea propter ſuadet, tentandum primo, num ſaliuae fluxus verſus priſtinum locum terminari iterum poſſit, ſin minus, inciſionem obliquam ab anterioribus verſus poſteriora faciendam, quo ſaliua ante foramen fiſtuloſum in os immittatur. Quando autem ſcindente inſtrumento ductus iſte laeditur, interdum etiam valet compreſſio, quae tamen medendi methodus ab omni incommodo exemta minime videtur. De fiſtulis praeterea notandum, eas non ſolum moleſtas, ſed et periculoſas adeo eſſe. Cum enim his ipſis ductus ſaliualis inſigniter perſaepe dilatetur, inſignis proinde copia quotidie effluit atque ea propter viribus exhauriuntur aegroti.

Quarta obſeruatio de tumoribus ſaliualibus p. 460. glandularum maxillarium et ſublingualium deque fiſtulis, facta apertura, inde ortis agit. Huius obſeruationis Auctor, Cl. LOVIS, oſtendit, glandulas has ſaepe ab impedito effluxu ſaliuae intumeſcere nec raro ab incautis pro abſceſſu habitas, inde apertas, fiſtulis, poſthac nulla arte curandis, ortum praebere.

Ranula, Gallis *la Grenouillette* dicta, glandula- p. 463. rum ſublingualium tumor eſt, qui non ab inſpiſſatione ſaliuae, ſed a dictarum glandularum ductu ex-

cretorio obſtructo ortus, minime pro tumore tunicato, ſed pro ipſis glandulis earumque ductibus, a materie retenta tumefactis, habendus eſt et optime cauſticis lenioribus, ſcindenti inſtrumento anteponendis, curatur.

p.468. 19) *Obſeruatio de incarceratione inteſtini ſingulari.* Auctore Cl. MOSCATI. Hoc inteſtinum hic deſcriptum tabula 10 et 11 delineatur.

p.470. 20) *Obſeruationes de tumoribus circa veſiculam felleam.* Auctore Cl. MORAND. In duobus nimirum hominibus, tumore ad regionem hepatis formato et aperto primo pus exiit, tempore autem aliquo elapſo bilis effluxit; unde liquet, tumores hos in regione hepatis, veſiculae proxima, formatos eſſe, pus autem veſiculae tunicas ſenſim arroſiſſe, ut hiſce dein ſponte ruptis bilis demum egrederetur.

p.473. 21) *Commentarius de inſignibus ani abſceſſibus.* Auctore Cl. FOVBERT. Abſceſſus circa anum formatos non ſolum ad promouendam puris extractionem aperiendos, ſed et rectum inteſtinum incidendum eſſe, plurimi hactenus ſtatuerunt. Aſt ſimplicem abſceſſus inciſionem, recto inteſtino prorſus illaeſo, eo etiam in caſu, ubi abſceſſus fiſtulis, vel ani vel urethrae ortum debent, optimo cum ſucceſſu inſtitutam fuiſſe, Cl. Auctor experientia confirmatus, perhibet. Quod autem ad fiſtularum calloſitatem attinet, eam vel inſtrumento ſcindente vel cauſticis deſtruendam eſſe, praecipit.

p.485. 22) *Commentarius de hepatis abſceſſibus, qui vulneribus capitis ſuperueniunt.* Auctore Cl. BERTRANDI. Abſceſſus hepatis ſaepe vulnera capitis ſequuntur, eique non a metaſtaſi quadam, ſed ab ipſo vitiato ſanguinis circuito ortum ducunt. Si itaque viri-

dem

dem euomunt vulnerati bilem, delirio corripiuntur, conuelluntur, ſanguis ab ore, oculis vel auribus exit, genae tument, iugula palpitant, hypochondria conuelluntur aut aegrotantes comatoſi, ſtupidi, delirantes decumbunt, tuncque iugula tument et liuent nec non hypochondria intenta dolent, abſceſſus in hepate pertimeſcendi ſunt. Verum ſaepe etiam iſti vix ſuſpicati formantur, quia viſcera inflammata obtuſum habent dolorem et in primis hepar, venoſo tantum ſyſtemate affecto, obtuſiorem multo habebit. Vbique quidem in hepate iſti formantur abſceſſus, in capite tamen vulneratis eosdem profundius ſaepe latere et in concaua potius, quam gibba parte formari, Cl. Auctor annotauit. De reliquo venaeſectionem in pede, ob deriuatiouem nocere, Noſter monet. In eiusmodi enim caſibus, venaeſectione in pede inſtituta, ictericos mox euaſiſſe aegros, plus quam ſemel vidit.

23) *Obſeruationes de eodem argumento.* Auctore Cl. ANDOVILLE'. Hic ea, quae in praecedenti commentario a Cl. BERTRANDI expoſita ſunt, aliqua ex parte obſeruationibus confirmantur. p. 506.

24) *Deſcriptio plurium tumorum cancroſorum, in naſo et circa eum formatorum, quos exſtirpauit* Cl. CIVADIER. Maximus horum tumorum pyrum magnitudine ſuperauit, in alio autem homine quatuor itidem tumores ad naſum obſeruati ſunt, quorum unus ouum gallinaceum alii duo pugnam magnitudine exceſſerunt, alius denique pugna duplo maior fuit. Tumoribus feliciter exſtirpatis aegrotantes conualuerunt. Tabula 12 tumores iſti repraeſentantur. p. 511.

25) *Obſeruatio de hernia inteſtinali ſphacelo tacta.* Auctore Cl. VACHER. Hic tantum notamus, p. 515.

ſacco hernioſo, putredine penitus deſtructo, inteſtina nuda plane propendiſſe, et ſenſim ſenſimque cum integumentis communibus ita coaluiſſe, ut faeces continuo poſt hac eo ex loco effluerent. Licet autem pro egreſſis iſtis inteſtinis nude omnino relictis negligentiorem aeger habuerit curam, nullum tamen damnum hactenus obſeruatum inde fuit.

p. 518. 26) *Commentarius de polypis uteri et vaginae.* Auctore Cl. LEVRET. Vteri et vaginae polypus excreſcentia carnoſa dicitur, quae in interioribus dictarum partium lateribus originem ducit. Saepe polypi cum uteri et vaginae deſcenſu, vel et inuerſione confunduntur, tum ob pyriformem figuram, quam polypus foras propendens habet; tum etiam ob cauitatem, quae in exſtirpatis poſteaque examinatis polypis haud raro reperitur; tum ob aperturam, quae in baſi eiusmodi excreſcentiae conſpicitur et pro uteri inde orificio habetur. Verum peculiaribus, quibus polypi ſtipantur, ſymptomatibus facile iſti ab uteri et vaginae deſcenſu aliisque etiam vaginae tumoribus dignoſcuntur. En
p. 529. itaque ſigna! 1) Polypus in inferiori parte latior eſt, quam ſuperiori et ex collo uteri propendens, vel per ipſum orificium tranſiens, nullo orificio naturali gaudet, ſicque ab incompleto uteri deſcenſu differt. 2) A completo autem diſcernitur, quod polypus iisdem, quae mox expoſita ſunt, inſtructus vagina nunquam obtegatur et orificium uteri ſemper reperiatur. 3) Difficilius paulo ab uteri inuerſione incompleta dignoſcendus polypus, ex indolentia tamen et reductione impoſſibili dignoſcitur. 4) Polypus extra vaginam propendens ex eo cognoſcitur, quod nunquam ſecum trahat veſicam, quae tamen ſubuerſionem uteri completam ſequitur. 5) Ab hernia veſicae differt, quod neque comprimi poſſit, nec compreſſione fatigatus foeminam eo diſponat,

diſponat, ut urinam eiiciat, ſed potius emiſſionem cohibeat. 6) Ab omenti et inteſtinorum per vaginam egreſſorum herniis differt, quod eodem nunquam uteri collum dislocetur, ipſe autem omnem reductionem reſpuat, aut in vaginam tantum eam admittat. Adſunt praeterea alia ſigna complura, quae vero, cum aliis etiam morbis competant, lubens Noſter omittit. Illuſtrantur haec pluribus obſeruationibus, ex quibus inſuper patet, uterum ſaepe ob polyporum pondus eo diſponi, ut in vaginam deſcendat; eos porro duros, ſolidos et ſcirrhoſos ideoque vera ſarcomata habendos inflammatione, exulceratione et gangraena vere corripi, ex iisdem obſeruationibus liquet.

Polypos, in primis in interiori uteri facie ortos, p. 538. praecedunt vel et comitantur haemorrhagiae, quae tamen non obſeruantur, ſi in callo aut margine orificii uteri formantur, hique potius fluore albo aut fluxu quodam lymphatico copioſo ſtipantur. In utroque caſu uterus manu examinetur, neceſſe eſt, quo facto facilior dein habetur medendi methodus.

Peſſaria non ſolum inutilia, ſed et nociua cen- p. 541. ſentur, cum vel ab ipſo polypo detrudantur, vel, ſi etiam retinentur, urinae tamen fluxum cohibeant aut inſignes dolores excitent.

Polypi, licet interiori uteri faciei adhaereant, p. 543. conceptioni tamen non ſemper obſtant, nec foetus incrementum impediunt, nec etiam partum accelerant, interdum tamen iidem abortus cauſa exiſtunt.

Polypi ab ipſo utero fortiter interdum conſtricti p. 552. in vaginam deſcendunt nec raro ſponte decidunt.

Arte deſtruuntur polypi, vel cauteriis vel ſe- p. 554. ctione, vel detorſione, vel tandem ligatura. Cauteria vix tuto applicantur tumoremque, ſcirrho ſimilem facile in cancrum mutant. Sectio magis locum

habet,

habet, ſola tamen absque ligatura vix tuto inſtituitur, cum ſemper haemorrhagia metuenda ſit. Detorſionem quidem fauſto cum euentu eo in caſu inſtituerunt, ubi tenuis et longus pedunculus, vel vaginae vel uteri tantum orificio minime vero interiori eiusdem faciei adhaeſit. Verum haecce methodus periculo non vacat, cum et uterus inuerti et gangraena adeo corripi queat. Cunctis his praeſtat ligatura, ita quidem, ut iuſto tempore et rite ea applicetur polypo, qui pedunculum habet. Alias autem vix iſta auxilium praeſtat, in primis ſi in inſigne volumen polypus excreſcat et inueteratus diu iam exiſtat. Eadem haec et locum inuenit, ubi polypi in cancrum iam abierunt, dum modo polypum pedunculo adhuc integro inſtructum eſſe, conſtet. Licet autem ligaturae utilitas vix unquam in dubium vocari videatur, ea tamen rite applicari interdum nequit, ſi quando polypus intra vaginam adhuc includitur, ita, ut nullus plane digitis concedatur aditus. Vt itaque ligatura in eiusmodi caſu applicari poſſit, Noſter ea propter peculiare inſtrumentum excogitauit, quo mediante filum non ſolum circa pedunculum ducatur, ſed et pro arbitrio conſtringi aut relaxari aut educi iterum poſſit.

p. 586. His expoſitis varia de polypis ſubnectuntur conſectaria, ex quibus primaria tantum adducere liceat. Omnes polypi, in interna uteri facie nati, ab initio ſemper pedunculo inſtruuntur, qui vero vix detegitur, ſi uteri orificio iſti adhaerent. Iidem, interius nati, ſaepe, ſi increſcunt, efficiunt, ut uterus ſubuertatur; qui vero orificio adhaerent, vaginam extra labia non raro ſecum trahunt. Qui ab interioribus proueniunt polypi, ſemper orificium et collum uteri dilatant, quod non obſeruatur, ſi exterius adhaerent, licet tunc quoque orificium mutetur. Qui a Cl. Auctore *viuaces* appellantur, a veris polypis in eo differunt, quod nulla aut ſaltem tenui,

tenui, vix deprehendenda, membrana obtegantur atque ab ulceribus uteri internis ortum ducant. Hi abſciſſi cum ſemper propullulent, nullam medelam admittunt et incurabiles cenſentur. Cum autem veri polypi non ab ulcerato utero, ſed ab interna eius ſenſim elongata membrana proueniant, ratio etiam patet, cur medelam iſti admittant. Pedunculi, tenues et membranoſi ſi ſunt, ligati vix in ſuppurationem abeunt, ſi vero magni et carnoſi reperiuntur, ei tunc plus minus ſuppurationem concipiunt Pedunculi plus minus tenues et ſolidi ſunt eorumque ſoliditas a diuturnitate tantum dependet. Si pedunculus tenuis eſt nec adeo reſiſtit, ſemper iſte citius, quam ipſe polypus deſtruitur, ſi vero idem craſſus et denſus eſt, contrarium euenit; inde in priori caſu polypus vix adeo mutatus, in poſteriori autem corruptus valde et putridus decidit. Sed mittamus reliqua, ne nimis longi videamur. Tabula 13. 14. 15. 16. 17. polypi variae indolis repraeſentantur inſimulque inſtrumentum iſtud propter applicandam ligaturam excogitatum tabula 13. figur. 3. delineatur, ibidemque figura 4 polypum ſiſtit, quem *viuacem* Noſter appellat.

27) *Commentarius de nonnullis haemorrhagiis peculiaribus, hisque medendi methodo.*. Auctore Cl. BELLOQ. Haemorrhagias nimirum, poſt extractionem dentium et paracenteſin obſeruatas nec ullo modo compeſcendas, ope cerae mollis in alueolum et aperturam, inſtrumento *Trois-quarts* dicto, factam, intruſae cohibuit. p. 600.

28) *Collectio plurium obſeruationum peculiarium de corporibus peregrinis, quorum non nulla in partes genitales, quaedam in veſicam aliaque in anum introducta fuerunt.* Auctore Cl. MORAND. Cum breuiſſimis omnia expoſita hic ſint, inſcriptiones tantum p. 605.

tum

tum apponere cogimur. Ita in veſica 1) fruſtum ſtili plumbei, 2) acum crinalem, 3 et 4) fabam, 5) ſpicam cerealem, tabula 18. fig. 2. repraeſentatam, 6) cereum, 7) ſpecillum, 8) turundam, 9) acum eburneam, lapidea cruſta obductam, tabul. 18. fig. 3. repraeſentatam et 10) auriſcalpium, 11) in utero peſſarium, ex neglectu relictum, 12) 13) 14) 15) penes, vi quadam per annulos cupreos et ferreos intruſos et ante et poſt eos tumefactos, 16) itidem penem una cum ſcroto in annulum oualem ferreum intruſum et tumefactum, 17) tandem in rectum inteſtinum inſtrumentum gallis *aſſiquot* dictum, 18) radium textorium, phialam vitream et caudam porcinam introducta repererunt, haecque corpora peregrina auxiliis diuerſimode applicatis extraxerunt.

p. 623. 29) *Recenſus methodi multiplicis ob ſectionem calculi ab Academia Regia Chirurgica uſurpatae.* Auctore Cl. LOVIS. Variae hic, ſectionem inſtituendi, enumerantur methodi, eaedem inter ſe inuicem comparantur, earumque demum utilitates, vel et incommoda exponuntur. Primo itaque diſquiritur, quid de apparatu alto cenſendum; quibus cunctis de hac methodo enarratis patet, eam valde periculoſam et ideo reiiciendam eſſe. His expoſitis ſectio dein lateralis conſideratur, quae vero ob plures utilitates priori non ſolum ſuperior habetur, ſed ſemper inſtituenda cenſetur. Porro operatio iſta, lithotomo occulto peragenda, perpenditur atque primo quidem inſtrumentum poſtea autem ipſa operatio deſcribitur. Ex his autem, quae Cl. Auctor expoſuit, liquet, inſtrumentum iſtud, nouiter excogitatum periculoſum eſſe atque variis incommodis ſtipari, ita, ut ex arte commode proſcribi poſſit. Tabula 19 inſtrumentum iſtud delineatum ſiſtit.

Quod

Quod ad Cl. FOVBERTI methodum attinet, vere ea ſectionis lateralis nomen meretur et ob plures utilitates reliquis praeferenda. Non ſolum enim ipſum corpus veſicae ad latera eiusdem colli aperitur et praegrandes inde commode educi poſſunt calculi, verum naturales etiam urinae humorisue prolifici viae nullo modo laeduntur. p. 651.

De methodo tandem, qua Cl. THOMAS utitur, Noſter iudicat, eam una cum praecedenti niti fundamento, et utramque parum a ſe inuicem differre, excepto eo, quod Cl. FOVBERT partes ab inferioribus ad ſuperiora, Cl. THOMAS autem a ſuperioribus ad inferiora diſſecare ſoleat. p. 653.

II.

Practical Reflexions on the Uſes and Abuſes of Bath Waters. Made from actual Experiments and Obſervations. By WILLIAM BAYLIES, M. D. London, printed for A. Millar, 1757. 8. pl. 19.

h. e.

Cogitationes practicae circa uſum et abuſum aquarum *Bathonienſium*, collectae ex experimentis et obſeruationibus a WILLHELMO BAYLIES, etc.

Subiicimus librum, qui Londini iam 1757 prodiit, ad noſtras autem tardius peruenit manus. In praefatione conqueritur Cl. BAYLIES de peruerſa illa conſuetudine, qua non nulli, qui medicinam faciunt, etiam in Anglia utuntur, dum ex defectu ſufficientis cognitionis materiae medicae, optimis interdum et efficaciſſimis remediis incongrua et contraria admiſcent medicamenta, quibus non ſolum ſalutarem effectum adhibiti medicamenti debi-

litant, ſed ſaepius quoque deſtruunt. Illuſtrat hoc exemplo corticis peruuiani, cuius uſus plerumque inefficax, quin nociuus, inconueniente additione medicamentorum prorſus alienorum, redditur. Idem erratum committi aſſerit Noſter a non nullis, qui medicinam in thermis exercent *Bathonienſibus*, harumque virtutem medicam inepta praeſcriptione medicamentorum inutilium, ſaepeque contrariorum adulterant atque euertunt. Hunc errorem hocce emendare ſtudet libello, qui quindecim capitibus conſtat.

Primum caput introductionem et opuſculi adumbrationem continet. Quemadmodum is, qui medicinam facit completam omnino habere debet medicamentorum, quibus tanquam inſtrumentis
p. 3. utitur, notitiam: ita merito poſcit Cl. Auctor, ut is, qui aquarum medicatarum uſum dirigere vult, perfecta et rationali inſtructus ſit cognitione, ex quibus aquae medicatae, et in praeſenti caſu *Bathonienſes* compoſitae ſunt. Si enim hac cognitione caret, ſaepiſſime exhibebit aegrotis ſuis, qui aquis hiſce utuntur, inutilia et contraria medicamenta, quae vim aquarum non ſolum frangunt, ſed interdum etiam plane corrumpunt. Ideoque incertus omnino eſſe debet, utrum bonus vel ſiniſter effectus virtuti aquarum, an exhibitis medicamentis adſcribendus ſit? Hoc ſaepius, quam credi poſſet, in thermis *Bathonienſibus* accidere, lectoribus perſuadere Cl. Auctor annititur. Propriis deſtitutus experimentis, quae partes ſiſtunt componentes aquarum *Bathonienſium*, ad Cl. LVCAE prouocat experientias, qui in tractatu ſuo oſtendit, aquas *Bathonienſes* continere ſpiritum acidum vitriolicum volatilem, mitem, iunctum cum ſubtili atque efficaci ſale neutro, cui ſal marinus, ferrum et terra
p. 14. admixta ſunt. Qui igitur alcalina, vel ſaponacea durante cura exhibebit, neceſſario harum aquarum

naturam

naturam atque efficaciam deſtruet: qui vero ſimilia, homogenea vulgo dicta, dabit, earum virtutem non parum augebit; cum acidulis enim illas comparat aquas. Etiamſi Cl. Auctor multum quidem probat, praecipuum effectum deriuandum eſſe ab illarum partium componentium particulari indole atque virtute: tamen non negat, multum quoque expectandum eſſe ab earum coniunctione et naturali compoſitione, quippe quam nulla arte imitari poſſumus. Non parum etiam efficacitatis tribui cenſet ſingulari gradui caloris, ope cuius particulae intime inter ſe miſcentur, et illa naturalis et ſpecifica compoſitio aquarum conſeruatur. p. 25.

Caput *ſecundum* agit de aquarum *Bathonienſium* acido vitriolico volatili, eiusque natura et uſu, nec non de virium mutatione, quam aquae ſubeunt, quando illud acidum ſeceſſit. Supra monuimus, Cl. Auctorem ipſum non feciſſe experimenta, ſed illum ſiſum fuiſſe experientiis Cl. LVCAE, cuius librum ad probandum acidum vitriolicum volatile denuo citat. Inter ea duas experientias ſimplices allegat, quibus praeſentiam ferri, et vitrioli volatilitatem probare conatur. Vna eſt, quod aquae *Bathonienſes* additione miſturae vegetabilis adſtringentis colorem purpureum acquirant: altera, quod aquae hae pelluciditatem perdant, quando frigidae fiunt; eandem pelluciditatem vero recipiant admiſtione iuſtae quantitatis acidi. Hinc concludit, ferrum eſſe ſolutum in acido, quod ſpeciem quidem attinet, volatili. Porro exinde colligit, magnam eſſe differentiam, inter aquam calide, et aquam frigide potam: illam putat ob volatile acidum adſtringente et ſtyptica gaudere natura, hanc vero virtutem roborantem, quae ex particulis ferratis fixis remanet, tantum adſeruare. Eandem igitur aquam pronuntiat ſalutarem vel noxiam uni eidemque aegroto, pro conditione caloris, quem habet, p. 35. p. 37.

quando bibitur. Id probare annititur exemplo,
p. 39. ſeu caſu feminae cuiusdam, *Colborne* dictae, et a Cl. NVGENT cum Cl. Auctore communicato. De illo acido volatili aquarum medicatarum Cl. Auctor merito dubitat, id ulla arte ſeparate poſſe obtineri.
p. 46. Valde ſimilem tamen ſpeciem eiusmodi acidi mineralis vitriolici acquiri credit, dum ramenta ferri in ſale acido ſuccini ſoluere, et hanc ſolutionem cum ſpiritu vini miſcere docet. Hac miſtura principium chalybeatum aquarum mineralium admodum augeri poſſe opinatur.

p. 49. *Tertium* caput exponit purgantem neutrum amarum, qui in aquis *Bathonienſibus* continetur, ſalem, eiusque naturam, qualitatem et effectum. Explicat ſimul diuerſas euidentes virtutes quorundam ſalinorum contentorum, licet ſenſibus diſtingui nequeant. Primarius ſal, qui poſt euaporationem et cryſtalliſationem aquarum *Bathonienſium* obtinetur, eſt, ſecundum Cl. Auctorem, baſis ſalis marini, ſeu alcali minerale coniunctum cum acido vitriolico. Hic ſal ad claſſem ſalium neutrorum pertinet: efferueſcit enim neque cum acido, neque cum alcali. Vti ex ſequentibus patet, ad producendum eiusmodi ſalem neutrum Cl. Auctor non requirit ſolum ſalem alcalinum, ſed terra alcalina illi etiam ſufficit. Cl. enim HVXHAM in tractatu ſuo de *antimonio*, ut refert Noſter, obſeruauit omnium ſalium neutrorum effectum ſolum modo differre pro diuerſis terris, quibus acidum uniuerſale coniunctum eſt. Alii quoque ſcriptores, qui de ſalibus in aquismedicatis obuiis egerunt, ex ſententia Cl. Auctoris affirmarunt, licet hae aquae multum varient, earum ſaltem ſales omnes eſſe productos ope ſolius acidi uniuerſalis, ita cum quibusdam terreis ſubſtantiis connexi, ut has perfecte ſoluant, et in aqua infinito modo diſtribuant. Attamen Cl. Auctor ſtatuit omnium ſalium neutrorum effectum differre, pro

diuerſa natura non ſalis alcalini ſolum, ſed et ſalis acidi, ex quibus illi compoſiti ſunt. Eorum igitur virtutem ex ſolis obſeruationibus et experientiis uſque eo colligere et diſcere monet, donec naturam alcali et acidi, ex quibus ſales neutri conflati ſunt, perfecte perſpectam habemus. Eius modi p. 54.
enim ſales neutri, quod ad eorum externum habitum, externasque qualitates pertinet, admodum ſimiles ſibi inuicem videri queunt, qui tamen pro effectu, valde differunt, quod exemplo ſalis ex aquis *Bathonienſibus* parati et ſalis GLAVBERI veri et ſpurii, qui illius loco in Anglia ſaepe venditur, probare ſtudet.

Caput *quartum* ſiſtit alteram ſpeciem ſalis re- p. 77.
perti in aquis *Bathonienſibus*, et quem ſalem marinum eſſe contendit. Hac occaſione in huius ſalis naturam, qualitates et effectus, quos non ſolum in aqua, ſed et per ſe in curatione morborum praeſtat, inquirit. Denuo allegat Noſter teſtimonium et experientias Cl. LVCAE, qui ſaepe memorato opuſculo demonſtrauit, ſalem, qui poſt ulteriorem euaporationem larga ſatis quantitate, ſub forma cryſtallorum cubicarum remanet, eſſe ſalem marinum. Hic ſal omnes qualitates ſalis neutrius habet: genitus enim eſt ex alcalino corpore et ſpiritu acido, qui ſpecificae tamen eſt indolis. Quando enim additur ſpiritui nitri, reddit ei vim ſoluendi aurum: quum e contrario ſimul ei demit facultatem diſſoluendi argentum. Ei igitur multum virtutis propter ea tribuit Cl. Auctor in multis morbis, quoniam noſtri humores in ſtatu ſano de ſale illo marino multum participent, et inſuper aquae, hocce ſale praeditae, prae illis, alio ſale dotatis, in minora ideo facilius poſſint penetrare vaſa, quia aquae, aliis ſalibus ita ſaturatae, ut nihil amplius capere queant, largam adhuc quantitatem ſalis marini recipiunt atque ſoluunt. Et quum aquae *Ba*- p. 82.

thonienſes non paruam copiam ſalis marini continent, multum virtutis ſibi promittit Cl. Auctor ab huius ſalis commiſtione cum aliis contentis partibus.

p. 89. Caput *quintum* exhibet terram abſorbentem in aquis *Bathonienſibus* repertam, eiusque naturam et uſum. Omnes fere aquae poſt euaporationem ſiſtunt terram, quam ſolutam habuerunt. Quo plus autem mites et diſſolubiles eiusmodi fuerunt terrae, eo ſalubriores praedicat Cl. Auctor aquas, quae his praeditae ſunt. Principalis vero huius terrae in aquis *Bathonienſibus* uſus in eo conſiſtit, quod iuncta ſit cum acido minerali, et hac ratione ſalem neutrum formet, qui, uti iam percepimus, eximiae eſt efficaciae. Magna igitur differentia intercedere neceſſario debet inter aquam, quae particulas ſuas terreas adhuc ſolutas ſuſpenſasque tenet, ut oculis perfecte pellucida appareat, et inter aquam, quae turbida eſt, et ex cuius interſtitiis terra, ante plane ſoluta, vel ob defectum caloris, vel ob diſceſſum acidi mineralis volatilis, ſeceſſit et fundum petiit. In hoc caſu haecce terrae nullum alium edere queunt effectum, quam aliae abſorbentes terrae: in illo autem maiorem omnino ab illis exſpectat Cl. Auctor effectum, licet hoc pluries experiri, et hanc ſententiam experientiis magis confirmare ipſe ſuadeat.

p. 97. Caput *ſextum* explicat aquarum oleoſum principium, quod ſedulo diſtinguere monet a vulgari phlogiſto, ſeu principio inflammabili ſulphureo corporum, quia a nonnullis confundi dicit. Hoc enim in diſſolutione corporum in aerem abire affirmat, illud autem in aquarum *Bathonienſium* parte, poſt euaporationem reſidua, remanere. Vt lectoribus ſuis hoc perſuadeat rurſus teſtem adducit Cl. LVCAM. Hic aſſeruit aquas illa oleoſa materia plurimum diuites in primis aptas eſſe ad fermentandum

dum et putreſcendum. Per priorem operationem et mutationem obtineri contendit ſpiritum inflammabilem: per poſteriorem vero volatilem tantum acrem cum phlogiſto. Ex his colligere audet Noſter oleoſam materiam aquarum *Bathonienſium* minime eſſe τὸ φλογιςὸν, ſed oleoſam materiam, communem omnibus aquis. p. 102.

Caput *ſeptimum* differit de qualitate aquae ſimplicis in curatione morborum, et quam efficaciam huic aquae *Bathonienſes* debent. Nil ſingulare, qnod non omnibus notum ſit, in hoc capite occurrit, hinc ad ſequens properamus. p. 103.

Octauum caput agit de mutatione, ad quam ſubeundam ſingulae partes ingredientes aquarum *Bathonienſium* ſecundum earum naturam et qualitates aptae ſunt, quando inuicem miſcentur: accedunt quaedam notae cenſoriae in noſocomium *Bathonienſe.* Quotidiana omnino edocemur experientia, diuerſa corpora multum mutari eorum miſtione, ut inde non ſolum differentem, ſed interdum etiam contrariam obtineant indolem, quam antea habuerunt. Hinc Cl. Auctor colligit hoc idem accidere ſalibus et partibus, quae ingrediuntur aquas *Bathonienſes.* Minime igitur concludendum eſſe docet, a partium ſeparatarum indole et efficacia ad effectum totius miſturae. Licet enim partes ſeparatae hanc vel illam qualitatem poſſideant: tamen non ſequitur, ut eandem illae etiam conſeruent, quando in aqua ſolutae et cum aliis mixtae ſunt. Diuerſi omnino inde oriri poſſunt effectus, qui ex partium ingredientium coniunctione et compoſitione explicandi ſunt. Quum vero ſcientia theoretica chemica hic non ſufficit, ad experientiam et obſeruationes practicas, tanquam ſecuriſſimum ducem et magiſtrum perfugere ſedulo monet. Hac occaſione multum dolet, vehementerque inuehitur in medicos, qui medicinam in noſodochio generali p. 118. p. 121.

Bathonienſi exercent, quod huc uſque neglexerint ex copia aegrotorum, qui quotannis illuc veniunt atque recipiuntur, colligere atque edere catalogum caſuum, ſeu morborum, in quibus aquae *Bathonienſes* ſalutares vel noxiae repertae fuere. De-
p. 133. ficientibus igitur eiusmodi hiſtoriis, Noſter ſibi ſumit ex principiis cognitis, aliisque ex chemia deſumtis experientiis, effectus aquarum ope ratiociniorum, ſeu ut philoſophi loqui ſolent, a priori determinare. Principalem ideo cauſam ſingularis illius facultatis operandi quaerit in perfecta et completa diſſolutione ferri, et terrae calcareae in ſpiritu illo acido vitriolico volatili, ope cuius cum aqua intime miſcentur, et nouum producitur corpus, quod ſtupendos ſaepe et maiores edit effectus, quam ex parua ferri et terrae copia, quae in aquis conti-
p. 139. netur, comprehendi poteſt. Huc refert et coniunctionem ſalis neutrius aquarum cum ſale marino, ex quorum copulatione reliquos effectus explicat, quos in corpore humano praeſtat.

p. 146. Caput *nonum* pauca continet de generali aquarum *Bathonienſium* qualitate. A ſpecifica particularum ingredientium qualitate procedit Cl. Auctor ad aquae compoſitae generalem qualitatem, ſeu agendi et applicandi rationem. Quoniam autem haec ſine perfecta cognitione corporis humani neque in-
p. 152. telligi neque tradi poteſt, in capite *decimo* ad explicationem ſtructurae corporis humani et animalis oeconomiae tranſit.

Quum omnibus cognita hic tantum inuenimus,
p. 166. ad caput *undecimum* progredimur, quod de ſoluentibus in genere, eorumque natura et effectu agit. Liquores ſoluentes, qui menſtrua vulgo audiunt, tanquam mechanica merito conſiderat Cl. Auctor inſtrumenta, quorum virtutem ex eorum figura, magnitudine, duritie, grauitate explicare ſtudet, licet demum non neget, experientiam in multis cognoſcen-

cognoſcendis effectibus non prorſus eſſe excludendam. Quum ſanguis plurimum ex aquoſis partibus conſtat, omne id, quod in aqua ſolui, hinc cum ſanguine miſceri poteſt, ad ſoluentia pertinet. Aquoſa igitur medicamenta, ſalibus praedita, potentiſſima in natura ſunt ſoluentia. Facile enim ſanguinem intrare, cum humoribus noſtris commiſceri, fibras ſolidas hinc ſtimulare, viſcidum ac glutinoſum, quod alia aquoſa intactum relinquunt, ſoluere et euacuare poſſunt. In praecedentibus vero Cl. Au- p. 172.
ctor demonſtrauit, terras praeſertim alcalinas, quando ab acidis diſſolutae ſunt, naturam acquirere ſalium, hinc ab eis eundem in corpus humanum ſperandum eſſe effectum. Soluentium autem liquorum, ſiue menſtruorum, virtus multum iuuatur calore, ſiquidem pro huius augmento illorum vis augetur.

Hinc in capite *duodecimo* aquarum *Bathonienſium* p. 188.
calorem peculiarem ponderat, et ſimul mirabiles mutationes exponit, quas calor ad virtutem ſoluentium liquorum, ſeu menſtruorum, confert. Hac occaſione non nullas adducit experientias, ubi pro diuerſo gradu caloris, diuerſi ſecuti ſunt effectus: id quod exemplo albuminis oui, et ſeri ſanguinis in aqua bulliente vel tepida cocti illuſtrat, cui experimentum urinae, quae dum frigeſcit, craſſas particulas deiicit, dum vero denuo caleſcit, omnes deiectas partes rurſus ſoluit et recipit, adiungit. Adplicat haec in primis ad uſum externum aquarum *Bathonienſium* in balneis: quod enim eorum internum attinet, ſufficientes deeſſe experientias dolet.

In capite *decimo tertio* Cl. Auctor diſſerit de fe- p. 195.
bribus, quae aquis *Bathonienſibus* interdum excitantur: ubi ſimul harum utilitatem in curatione morborum chronicorum oſtendit. Non omnes febres, praeſertim quas *accidentales* vocant, ſtatim medica-

 mentis

mentis tentandas eſſe, bene monet: illarum enim beneficio inſanabiles ſaepe curari perhibet morbos, qui remediorum uſu vix non ſemper peiores redduntur ac lethales. Simili modo de febribus uſu aquarum *Bathonienſium* excitatis iudicat. Dum enim dictae modò aquae vires vitae roborant, hinc circulum ſanguinis accelerant, facile accidere poteſt, ut accendant febres, quae pro conſtitutione humorum atque partium ſolidarum, ſalutares vel funeſtae fieri queunt. Hoc igitur medicus, qui curam ſecundum rationem dirigere vult, bene perpendere debet, ne illas praematuro uſu temperantium aliorumque remediorum ſtatim extinguat, vel has prorogato uſu aquarum augeat. Clarum hoc facit exemplo paralyſis, quae a diuerſis oriri poteſt cauſis: vel a viſcido, et alia tenaci, ſed diſſolubili materia, neruos in genere premente: vel ab obſtructione cerebri, orta a praeternaturali influxu humorum non facile ſoluendorum. In hoc caſu uſus aquarum, et inde accenſa febris neceſſario nocebit: in illo autem iuuabit et reſolutionem neruorum tollet. Is igitur aeque taxandus eſt, qui aquas *Bathonienſes* in omni paralyſi ſtatim reiicit, ac ille, qui eas prae omnibus uniuerſaliter extollit.

p. 206. In capite *decimo quarto* quaedam addit de uſu externo aquarum *Bathonienſium.* Tria hic Cl. Auctor potiſſimum examinanda putat. Primum, quid efficiant balnea aqua ſimplici parata: deinde, qualis effectus ſit futurus, quando his balneis eaedem partes ſuper adduntur, quae in aquis *Bathonienſibus* continentur: poſt, quid expectandum ab iisdem aquis differenti ratione externe applicatis in diuerſis morbis. In primo membro trita occurrunt: oſtendit enim Cl. Auctor eiusmodi balnea laxare fibras. In ſecundo contra probat, balnea ex aquis *Bathonienſibus* parata, ob principium ferratum, et terram calcaream, quae ambo in acido volatili ſoluta

luta tenentur, fibras potius adſtringi et poros cutis excretorios magis claudi. In hac adſtrictione quoque latet ratio, cur febres ab eiusmodi balneis ſaepe accendantur, quae ſi prudenter tractantur, optimam praeſtant reſolutionem obſtructionum, quae cauſam plerumque praebent morbis diuturnis. In tertio membro ſpectat ad balnea vaporis, et illum modum, quo aquae per ſtillicidium *la Douce* dictum adplicantur. Sed multum conqueritur hos aquis utendi modos nondum apud *Bathonienſes* ſatis eſſe in uſu.

Sequitur nunc ultimum ſeu *decimum quintum* caput, quod inſcribitur: conſequentiae ex praecedentibus ductae, et annexae inde concluſiones. Nil autem continet, quam praecedentia effata atque dogmata breuius contracta, et aphoriſmorum in modum enunciata. p. 235.

III.

Traité d'Oſteologie traduit de l'anglois de M. MONRO, Profeſſeur d'Anatomie et de la Societé Royale d'Edimbourg, ou l'on a ajouté des planches en taille-douce, qui repreſentent en naturel tous les Os de l'adulte et du foetus, avec leurs explications, par M. SUE Profeſſeur et Demonſtrateur d'Anatomie aux Ecoles Royales de Chirurgie, de l'Academie Royale de Peinture et de Sculpture, Cenſeur Royal et Conſeiller du Comité de l'Academie Royale de Chirurgie. Premiere et ſeconde partie, à Paris, chez Guillaume Cavelier fol. Imperial. alph. 6. pl. 21. Praefat. pl. 13. tab. aen. XXXI. duplices.

h. e.

Tractatus de Oſteologia ex anglico Cl. MONRO, opuſculo gallice verſus, adiectis tabulis in aes inciſis, quae oſſa adulti et foetus ad naturae veritatem, cum explicationibus ſiſtunt Auctore Cl. SVE, etc. Pars I et II.

Anatomici ſtudii incrementum et praeſtantiam iconibus ad naturae veritatem delineatis et in aes inciſis multum adiuuari et augeri nemo dubitat, in primis autem partium putredini facile obnoxiarum conſeruatio, variis quidem ſubſidiis hactenus tentata, non melius, quam in iconibus accurate elaboratis praeſtatur. Hanc attentionem itaque nonnulli in oſſium fabrica declaranda ferme ſupervacaneam pronunciarunt, cum oſſa exſiccata, per multos annos ſine euidenti quadam mutatione, conſeruari et in uſus eorum, qui figuram, proportionem et fabricam potiſſimum crebrius repetendo cognoſcere et ut normam conſiderationis partium mollium applicare volunt, impendi queant. Et nos mirati fuimus poſt ſplendida et pretioſa CHESELDENI et ALBINI opera, delineationes nitidas et accuratas oſſium exhibentia, nouum nunc prodeat, elegantia iconum prioribus vix cedens et ex hac parte omnino commendandum.

Cl. SVE, quem in rebus anatomicis et ad oſſium doctrinam praecipue ſpectantibus diſquirendis maxima cum attentione verſari iam alibi declarauimus,* in praefatione operis rationem reddit, et praemiſſis generalibus quibusdam annotationibus de medicina, anato-

* vid. Memoires de Mathematique et de Phyſique preſentés a l'academie royale des ſciences, de Paris Tom. II. Sur les proportions du Squelette de l'homme. p. 572. vid. Comment. noſtr. Vol. VI. Part. III. p. 535.

anatomen potiſſimum ad eam perficiendam multum conferre, oſteologiam autem tanquam primam partem reliquis praeferendam eſſe, oſtendit. Ipſe itaque icones et ſceleti totius et oſſium ſingularium vario ſub poſitu conſideratorum delineare et in aes incidere curauit, et explicationem accuratam figurarum addidit. Inter omnes autem libellos, qui oſſium fabricam accurate deſcribunt, Cl. Auctori perplacuit Cl. ALEXANDRI MONRO, Anatomiae Profeſſoris Edinburgenſis ſuccincta deſcriptio, * quam itaque diſcipulo quodam linguae anglicae gnaro exhibuit, quo ex ea in gallicam transferret et ita huius operis editioni accommodaret.

Tractatus igitur praeſens oſteologicus in duas partes diuiſus eſt, quarum prior Cl. MONRO oſteologiam, annotationibus non nullis paſſim adiectis, exhibet, altera autem tabulas oſteologicas cum explicatione Cl. SVE comprehendit.

De anatome oſſium Cl. MONRO nihil eſt, quod adducamus, cum illa ab anno vigeſimo ſexto huius ſeculi, variis ſed nec adeo inter ſe diuerſis editionibus, praeter illam, quae nuper 1758 prodiit, omnibus rei anatomicae indagatoribus iam dudum innotuerit, et illam laudem vere meretur, quam Auctor noſter eidem tribuit. Notulae, quas hic ſubiecit, continent non nulla Auctorum citata, eminentias, depreſſiones et foramina, quae Cl. MONRO forte neglexit, curioſas tandem non nullas obſeruationes, quae oſſa concernunt v. c. de numero vertebrarum et coſtarum aucto, de coſtis coalitis et bifidis, de oſſe ſquamoſo duplici cet., ex quibus praecipuas nunc adducturi ſumus.

Vbi de oſſium geneſi diſſeritur, varia oſſificationis praeternaturalis exempla adducuntur; e. g. pleura magna p. 21.

* The Anatomy of the human bones and Nerves etc. by ALEXANDER MONRO, Edinburgh, 8. Edit. V. 1750.

magna ex parte oſſea; thyroidea glandula oſſeis particulis referta. Perhibet etiam Cl. Auctor ſe in pia matre et plexu choroideo, nec non in lente cryſtallina puncta quaedam oſſea deprehendiſſe.

p. 24. Gradus ſex oſſium emollitorum conſtruit Noſter, et quaedam de morbo foeminae *Supiot* proponit, cuius oſſa in ſexto gradu emollita et in ſaniem quaſi conuerſa erant, non niſi perioſtii veſtigiis remanentibus. Cauſam huius morbi in abuſum ſalis communis coniicit, quo foemina illa per duos annos immoderate uſa fuerat.

p. 47. Non nullae porro oſſium Wormianorum varietates recenſentur, v. c. os parietale ſiniſtrum quarta quidem poſteriori et ſuperiori ſua parte, ut os diſtinctum conſpicuum erat.

p. 93. Tredecim oſſibus maxillae ſuperioris Noſter cum Cl. BERTIN adiungit minora oſſa turbinata ſphenoidealia (*petits cornets ſphenoidaux*), quae triangularis figurae ſunt, inferius conuexa, ſuperius concaua, inter partem poſteriorem oſſis ethmoidei et partem anteriorem et inferiorem oſſis ſphenoidei, ante criſtam eius et ad partem mediam ſuperiorem vomeris ſita. Horum oſſiculorum appoſitio ad os ethmoideum tab. VIII. fig. 3 et 4. ad os ſphenoideum fig. 2. delineatur. fig. autem 5 et 6 utraque oſſiculorum facies exhibetur et tres anguli, tria latera et inciſura quaedam icone exprimuntur. *

Cellu-

* Quae de his oſſiculis obſeruauimus, quod nimirum verae partes oſſium palatinorum ſint, breuiter indicabimus. Os quodlibet palatinum ex parte primaria, in palato viſa, ad latus oſſis maxillaris ſuperioris, ante oſſis ſphenoidei proceſſus pterygoideos ſurſum aſcendit, inde ſatis certam partem ſurſum et extrorſum ad orbitam perficiendam mittit, aliam vero introrſum verſus vomeris mediam et ſuperiorem partem dirigit, eo in loco et oſſi ſphenoideo vicinam et ante poſteriorem flexum oſſis turbinati ſuperioris, quae pars

oſſis

Cellularis contextus in maxillis quatenus alueo- p. 94.
los dentium conſtituit, ex iis obſeruationibus huc refertur, quas Cl. Auctor alibi expoſuit.*

Corrigitur Cl. DEVENTER, qui maximum omni- p. 131.
no artis obſtetriciae momentum in dirigendo oſſe coccygis poſitum eſſe autumat, cum hoc non poſſit obſtaculum efficere niſi in ſingulari caſu, ubi foetus caput in inferiori peluis apertura retardatur.

Rarior omnino caſus oſſis humeri in extremita- p. 162.
te ſuperiori capite deſtituti et cauitate inſtructi deſcribitur, loco cauitatis vero anterioris et ſuperioris ſcapulae caput eminens conſpiciebatur.

In infante octo annorum defectus capitis et col- p. 186.
li femoris deſcribitur, in hac enim ſuperiori extremitate femoris obliqua tantum apparebat ſuperficies, ſimili ſuperficiei in oſſe ileum appoſita et validis ligamentis firmata. Deſtructio partium praeternaturalis in tenera aetate videtur.

In parte altera exhibetur ampliſſima figurarum p. 213.
delineatarum explicatio, quam ita inſtruxit Noſter, ut vero ſitu, ſub quo os delineatum fuit, indicato omnes partes, quae in conſpectum veniunt recenſeantur et indicentur. Oſſa adultorum a tab. I ad XXV. foetus autem, in primis ſceleta diuerſae magnitu-

oſſis ethmoidei eſt, collocatam. Haec certe portiuncula nouum oſſiculum, nunc deſcriptum, utrinque ſiſtit, quod ideo a Cl. Auctore in tabula X. fig. 12 ad eminentiam paruam, quae in oſſe palatino prope literam C, quae inciſuram indicat, ad foramen pterygo palatinum concurrentem, et quae apte expreſſa eſt, adhaerens delineari debuiſſet. Hanc tamen oſſeam laminam ad os palatinum certo pertinere, in connexa et bene conſeruata oſſium caluae et maxillae ſuperioris compage, caua narium retrorſum inſpiciendo egregie apparet. Et nos, dum haec ſcribimus, os palatinum a reliquis oſſibus ſeparatum intuemur, in quo haec oſſea lamina vere adhaeret.

* Memoires preſentées. l. c. Tom. II. p. 577.

magnitudinis a tab. XXVI ad XXIX. oſſa tandem diſſecta ad interiorem fabricam cognoſcendam tab. XXX et XXXI. exhibentur. Tabulae ipſae duplices ſunt, et in figuris linearibus litterae additae eas partes, quae prae reliquis attendendae ſunt, indicant, in oppoſitis vero icones umbra et luce diſtinctae et nitidae exaratae exprimuntur. Tabulas ipſas uti ex nonnullis conſpicimus *Tharſis* delineauit et *Iardinier* ſculpſit, Tabulas vero et ſub initium et ſparſim in literis quoque initialibus ornamenti cauſa adductas *I. B. M. Pierre* delineauit et N. Dupuis ſculpſit.

IV.

Recherches hiſtoriques et critiques, ſur les differens moyens qu' on a employés juſqu' à préſent pour refroidir les liqueurs, où l' on en indique un connu de temps immémorial et pratiqué dans la plus grande partie de l' Univers, par lequel il eſt facile ſans nulle dépenſe, et avec un ſoin très léger, de ſe procurer dans les plus grandes chaleurs de l' été, des boiſſons très fraîches. MDCCLVIII. (*ſine loco*) 12. pag. 5.

i. e.

Relatio variorum modorum, qui in calida tempeſtate ad fluida refrigeranda omni aeuo adhibiti fuerunt, etc.

Libellus hic, cuius Auctorem Cl. ROVX, medicum Pariſienſem eſſe accepimus, nihil noui continet nec artis huius fluida in calidiori tempeſtate frigefaciendi nouam docet methodum, ſed illius tantum conſuetum artificium, hiſtoriam, auctoresque qui de eo ſcripſerint experimentaque inſtituerint,

erint, recenſet, inter quos inuenimus ROBERTVM BOYLE, GEOFFROY utrumque, ſeniorem et iuniorem, AMONTONS, MAIRAN FARENHEIT, MVSSCHENBROEK, in quem Auctor iuſto iniurius inuehitur, REAVMVR, RICHMANN, CVLLEN et BAVME', quem ob explicationem obſeruationis RICHMANNI, qua ille mercurium in thermometro mercuriali, in aqua poſito, quae aere tunc frigidior erat, cum ex illa extraheretur, deſcendere viderat, falſo ſibi ſumtam, plagii reum accuſat. Imperioſa neceſſitas gentes meridionales eo adegit, ut cum in fluidis, quae quam citiſſime atmoſphaerae calidioris temperamentum aſſumunt, non habuiſſent, quo ſitis exſtingui poſſit, varias artes excogitarent, quibus ardentem illorum calorem temperare queant; quarum ſimpliciſſima eſt, cum vaſa, quae varia potus genera continent, liberiori ventorum afflatui exponuntur. Vtuntur eam ob cauſam vaſis argillaceis maxime poroſis, quae inſuper linteis quibusdam obuoluuntur continuoque humectantur. Agmina iſta, ſecuritatis cauſa iter gregatim facientia, (*Caravanes*) cum vaſta illa deſerta peruagantur, ſibi proſpiciunt, ne deſint utres, quos, poſtquam illis ingratum coreaceum odorem demſerunt, in ventrem equi ſuſpendunt, qua re, ob perpetuum illius motum, ad refrigerandam aquam nihil efficacius eſſe dicitur. Alios docent experimenta, a viris allegatis facta, modos fluidis conciliandi frigus, quos Cl. Auctor ſub finem libelli ad quatuor redegit momenta. Fluida ſcilicet refrigerantur 1) euaporatione, 2) ſolutione ſalium mediorum in aqua, 3) mixtione illorum corporum cum glacie, quae illam diſſoluere ſeſeque intimius cum aqua, quae ex eius ſolutione emanat, unire poſſunt, 4) applicatione acidorum non nullorum ad ſalia quaedam media, praecipue ad ſal ammoniacum et alcalina volatilia. Vt igitur illi,

p. 5.
p. 7.

quibus id opus eſt, feruidiori aeſtatis tempeſtate habeant, quo varia potus genera reficere poſſint, ſuadet Noſter, ut vel vaſa, quibus illa continentur, glacie circumſepiant, vel ſi illa praeſto non ſit, vaſcula illa aquae, in qua ſalis cuiusdam, praecipue ammoniaci quantitas ſoluta ſit, immergant. His, quibus ſal ammoniacum nimis pretioſum videatur, ſuadet, ut more Indorum vaſcula ſua, linteis humidis obuoluta, ventorum perflatui exponant.

V.

D. IOANNIS CAROLI HEFFTERI, Medicinae Practici Zittauienſis, monaſterii Mariaeualenſis Phyſici, Academiae Caeſareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum Collegae, et Lipſienſis Societatis Artium Liberalium Membri honorarii, Muſeum diſputatorium phyſico-medicum tripartitum. Voluminis I. Pars I. Praeſides diſſertationum deſignans. Inſtituti ratio et quaedam de collectione, collocatione et utilitate diſſertationum, ad rem naturalem et medicinam ſpectantium, momenta praemittuntur. Zittauiae Luſatorum. Typis Io. Gottlieb Nicolai. 1756. 4. 2 alph. 19 pl. praef. 5 pl.

Muſei diſputatorii phyſico-medici Heffteriani Voluminis I. Pars II. Titulos materiarum indicans ib. eod. 10 pl.

Muſei diſputatorii phyſico-medici Heffteriani Voluminis I. Pars III. Deſignationem reſpondentium complectens. ib. eod. 10½ pl.

Hiſtoriam

Hiſtoriam medicinae litterariam multum ad ſcientiam medicam amplificandam contribuere, illam autem non ſolum medicorum vitis, ſed etiam librorum cognitione abſolui, nemo negabit. Hinc omnino neceſſe eſt, ut omnia ſubſidia, in hunc finem publice edita, magis magisque innoteſcant. biographiae medicae in hiſce commentariis copioſius recenſentur; librorum medicorum varia fuit occaſio cognoſcendi et diiudicandi; nec diſſertationes phyſico - medicas, ſingulatim et collectim promulgatas, praetermiſimus. Nunc plane nouum et quidem utiliſſimum atque facillimum inſtitutum medicis, in primis aeſtimatoribus et collectoribus diſſertationum ſuppeditare poſſumus. Audiamus ipſum Auctorem, qui in praefamine rationem et methodum huius muſei clare et perſpicue paragraphis XXXIII. explicauit.

Cum medici clinici officium maxime laborioſum plerumque ſimul faſtidioſum ſit §. 1. ad idem facilitandum medicus ſtudia quaedam ab hoc officio non plane remota, attamen quodam, modo diuerſa, ſibi eligere debet, quibus tanquam ſuccedaneis otium quaerens delectatur §. 2. et exantlatis quotidianis laboribus, quos in conſuetudinem hominum aegrotorum, adeoque miſerorum, impendit, per unam alteramue horam in priuatis ſtudiis excolendis oblectamento fruitur. Eiusmodi honeſtum otium Cl. Auctor praeter reliqua in collectione, diſpoſitione et lectione diſſertationum phyſicarum et medicarum quaerit, propterea quod cum eodem aſſiduus labor, qui tamen a clinicis arduis et moleſtis functionibus differt, atque iucunda utilitas coniungitur §. 3. Vtrumque momentum §. 4. uſque ad 11. ſufficienter explicatur, variaeque obiectiones reſtringuntur; in primis autem innuitur, ſcientiam phyſico - medicam ex diſſertationibus minime addiſcendam, ſed cum iudicio adhibito ſupplen-

dam et augendam eſſe. At enim vero nuda et ſimplex collectio diſſertationum uſum praeſcriptum non praeſtaret, niſi ampla earum ſuppellex facillimo et commodiſſimo ordine collocetur et aſſeruetur. Hinc poſtquam §. 12 et 13. varias ordinandi methodos diiudicauit, atque §. 14. de modo diſſertationes conſcribendi, §. 15. de ritibus, qui in iisdem defendendis obueniunt, et §. 16 ad 19. de earum Praeſide, Reſpondente et materiis cogitata ſua praemiſit, §. 20 ad 22. methodum ſuam ordinandi exponit. Nimirum omnes diſſertationes phyſico-medicas, quotquot poſſidet et emit, ſingulatim ligatas, ſecundum ordinem alphabeticum praeſidum, ſeu his deficientibus, reſpondentium diſponit et collocat. Quando autem unus praeſes plures, quam unam diſſertationem edidit, iterum haſce, non ordine chronologico, vel reſpondentium, ſed ſecundum materiarum ſeriem alphabeticam deſignat. Hanc methodum emtioni, lectioni et utilitati maxime adaequatam, aptiſſimam et facillimam eſſe, varia ipſi perſuadent argumenta, quae tam in textu, quam in annotationibus explicat, et ipſum muſeum omnia ſatis ſuperque teſtatur. Vt vero haec methodus eo magis completa ſit, praeter diſſertationes phyſico-medicas etiam propemptica, epiſtolas, orationes eiusdem generis, nec minus commentationes ad iuris prudentiam medicam et theologiam caſualem ſpectantes muſeo inſeruit. In cuiuslibet autem diſſertationis deſignatione octo momenta recenſentur: 1) Praeſidis nomen natalitium cum annexo praenomine: SALZMANN, IO; 2) Titulus contenti ſiue rubrum diſſertationis: *Encheiriſis noua, qua ductus thoracicus una cum receptaculo chyli in quouis ſubiecto humano demonſtrari poteſt;* 3) Reſpondentis praenomen cum annexo nomine natalitio: IEREM. ADAM LEITERSPERGER; 4) Patria reſpondentis: *Argentoratenſ.* 5) Locus, ubi habita

habita vel edita fuit: *Argentorat.* 6) Annus, quo promulgata vel recuſa eſt: 1711; 7) plagularum numerus *pl. 6. c. fig.* 8) Occaſio et ſcopus, qua et quo ſcripta fuit: *diſſ.* Secundum ordinem iam deſcriptum omnes illae diſſertationes, quae numerum 9116 attingunt, in prima muſei parte deſignatae ſunt. In altera parte materiae et contenta, et quidem cuiuslibet diſſertationis ſubiectum et praedicatum alphabeti ſerie, per numeros indicantur, e. gr. *Alkaheſt* 1801. 7636. 8340. *Alkermes confectio* 642. 1978. 7843. *Allantois membrana.* 8266. *Allium* 2854. 2855. 8398.; in tertia denique Reſpondentium nomina, ſecundum litterarum ordinem iterum ad numeros primae partis reuocantur. e. gr. ABELIVS, HENR. CAS. 65; ABRAHAM, IO. FRID. 4447; ACHVSIVS, CAR. CHRIST. 7233; de quorum omnium utilitate et iucunditate Cl. Auctor §. 23 ad 26. agit, quibus §. 27. normam et uſum huius muſei adiungit, et §. 28. rationes addit, cur hoc muſeum in publicam lucem editum fuerit. Harum praecipuae ſunt: 1) ardor, plures diſſertationes poſſidendi et muſeo huic inſerendi, 2) ut medici, qui diſſertationum collectione delectantur, eius conamina aequi bonique conſulant, iuuent, promoueant, illumque doctiorem reddant, ita ut muſeum hoc inchoatum, niſi omnibus numeris abſolutum, ſatis tamen completum ſenſim ſenſimque euadat. Cum igitur hoc muſeum omni modo augeri debeat, nec Cl. Auctor diligentiam et ſumtus abhorrere velit, ſupplementa in lucem exponere §. 29. pollicetur. Volumen enim hoc primum nunquam augmentatum recudi debet, nec commode poteſt, quia omnes numeri partis II et III. maxima cum difficultate commutari et ad partem primam applicari deberent. Praeter hoc muſeum typis expreſſum Cl. Auctor deſignationem omnium diſſertationum phyſico-medicarum, quotquot in

catalogis, in nouellis litterariis et in curriculis vitae diſtractas videt, in unum volumen §. 31. ſecundum muſei ordinem redegit, id quod ſub nomine *repertorii uniuerſalis diſputatorii* pro priuato uſu cuſtodit. Vt igitur non ſolum muſeum eo facilius ſupplementis augeri, ſed etiam repertorium, manu ſcriptum, augmentis ſuppleri queat, omnes, qui diſſertationes vel promulgant, vel poſſident, vel vendunt, itidem rogat atque obſecrat, ut, niſi cunctas diſſertationes ipſas, earum tamen catalogos illi transmittant, vel eas diſſertationes, quae in muſeo deficiunt, ordine deſcripto indicent. Ex quo fundamento commercium litterarium fautoribus nec incommodum, ſibi ipſi nec nimis ſumtuoſum ineundum §. 32. optat et quaerit. Multi cenſebunt, ne quidem vitam unius hominis ſatis eſſe poſſe, tot diſſertationibus colligendis, ne dum perlegendis. Vtrumque concedit Cl, Auctor; at enim collectionem non fieri ſubito, ſed pededentim, nec ad taedium protrahendam, attamen cum voluptate continuandam, atque clinicis officiis exantlatis, quaſi otioſe ſuſcipiendam eſſe §. 30. ſuadet.

De utilitate et praeſtantia huius operis, quod erroribus typographicis fere caret, et nitide impreſſum eſt, imo cuilibet medico, loco repertorii, inſeruire poteſt, diſſertationum aeſtimatores optime iudicabunt, nec reliqui medici conſpectum hunc amoenitatum academicarum ampliſſimum abſolute detrectabunt. Ab omnibus philiatris, ut verbis Auctoris utamur, non expectandum optimum de hocce otio iudicium, nec idem imitandi ſtudium omnibus optandum et commendandum. Permaneat potius hocce inter paucos, reliqui idem aequo animo ferant, vel miſſum faciant.

Reliquum eſt, ut de huius muſei eiusdemque Auctoris fato pauca annectamus. Cum Cl. Auctor multis abhinc annis diſſertationes academicas magno labore

labore et ſumtu collegiſſet et collocaſſet, amicis et huius inſtituti promotoribus publicas gratias agere, et ſimul fructus ex diſſertationibus hauriendos et amplificandos cum aliis communicare volebat. Hinc muſeum ſeu deſignationem diſſertationum, quas tunc ipſe poſſidebat, typis exprimi curabat. Promulgabat igitur ducenta exemplaria huius muſei proprio ſumtu, et unicuique omnium facultatum medicarum Decano et academiarum Praeſidi unum exemplar tradebat. Omnes fautores et amici inſtitutum hoc commendabant, in uſum proprium applicabant, atque Auctorem ad ulterius progrediendum multis acceſſionibus excitabant. Spatio dimidii anni, nimirum ab anni 1756 menſe Nouembris uſque ad anni 1757 menſem Iunii, non ſolum muſeum, ſed etiam repertorium, aliquot millibus diſſertationum augebatur et ſupplebatur, adeoque ſcopum ſibi praefixum breui et quidem maxime bellicoſo tempore attingebat, atque ſuſcepta eius in poſterum votis reſponſura eſſe ſperabat. At enim vero bellum truculentum atque hominum ſanguinem et vitam ſitiens tunc etiam aedificia et urbes igne furioſo praeter ſpem et opinionem deuaſtabat. Triſtiſſimum et luctuoſiſſimum incendium in Saxonia et in terris ad hanc pertinentibus, in primis alma Zittauia Luſatorum d. 23 Iul. 1757 experta eſt, cum fere tota tormentis bellicis igniuomis funditus deſtructa fuit. Idem dies etiam Cl. Auctori maxime fatalis et luctuoſus fuit. Ille enim praeter domicilium apte et concinne aedificatum et exornatum, non ſoltum Bibliothecam, ter mille volumina in ſe continentem, omnem theſaurum imaginum aere inciſarum, numiſmatum, praeparatorum anatomicorum, MStorum, omnem apparatum chymico-pharmaceuticum, ſed etiam omnem ſuppellectilem diſſertationum phyſico-medicarum, igne hoc inopinato et vehementiſſimo perdidit. Omnibus

bus his ſubſidiis ipſi iucundiſſimis et utiliſſimis deſtitutus angore et terrore quaſi vacillans atque calamitate ciuium publica perterritus, ſolatio ac beneuolentia medicorum exterorum maximopere erigebatur ſubleuabatur et reuiuiſcebat, ita ut non in ſtudiis excolendis oppreſſus, ſed potius eo magis excitatus videretur. Nam ſpatio duorum annorum et dum haec ſcribimus, tam in oeconomicis, quam in literariis labore et diligentia, Deo adiuuante, inſignes acceſſiones acquiſiuit. In primis ſuppellex diſſertationum iterum ad 9000, numerum recuperata et adaucta fuit. Qua propter omnia ea, quae in praefatione muſei diſputatorii Vol. I. promiſit, diligentiſſime et pro viribus in Volumine II. praeſtabit, imo ſuperabit, cum non ſolum eas diſſertationes, quas ipſe poſſidebit, ſed etiam omnes, quotquot in Volumine I. omiſſae, typis autem expreſſae et Ipſi ex diariis phyſico-medicis et ex literis fautorum cognitae ſunt, ſecundum methodum deſcriptam in Volumine II. deſignabit. Antequam vero Volumen II. prelo imprimatur, in epiſtola quadam inſtitutum ſuum publice declarabit, et omnes muſei diſputatorii aeſtumatores ad idem commodius et utilius exſequendum inuitabit.

VI.

Exotic botany illuſtrated in thirty five figures of curious and elegant plants: explaining the ſexual ſyſtem, and tending to give ſome new ligths into the vegetable philoſophy, by IOHN HILL, M. D. London, printed at the expence of the Author. 1759. fol. mai. plag. 10½. figg. 35.

h. e.

Botanica exotica, triginta quinque figuris nitidarum plantarum illuſtrata, explicans ſyſtema ſexuale, nouamque accendens lucem philoſophiae vegetabili. Auctore Cl. IO. HILL, M. D.

Qui, ut alio loco demonſtrauimus * in plantarum omnium ſyſtemate explicando verſatus eſt Cl. HILLIVS, nunc rariora quaedam ſpecimina in unum congeſſit faſciculum atque pro ſuo illuſtrauit genio. Pretioſum omnino opus eſt, ſiue ſtudioſe factas plantarum delineationes, in aes inciſas, ſpectemus, ſiue typorum elegantiam atque chartae conſideremus. Commendabunt etiam ſeſe plantarum ſpecimina, magna ſatis et habitum externum totius vegetabilis ſiſtentia, licet non omnia noua ſint. Inſcribitur totum opus duci Northumbriae, quippe qui non ſolum multo ſolet botanicam doctrinam ſtudio adiuuare, ſed ex diuite rariorum plantarum horto Cl. Auctori plantas communicare, ex quibus haud paucae hic quoque adducuntur. Quum autem de eius, ac noſtrum eſt, generis opere multa referre non poſſimus, praecipua quaedam, ad totius libri naturam ſpectantia, momenta

Q 5 tantum

* In hiſtoria nempe plantarum. vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 118 ſqq.

tantum adducemus. Duo ſunt ſcilicet momenta, introductio nimirum atque deſcriptio plantarum. In introductione de hic propoſitis plantis diſſeritur, maximam partem eſſe Aſiaticas easque ad naturam depictas. Etſi enim exſiccata tradita fuiſſent ſpecimina, ex quibus, quantum intelligi poſſint notae naturales, nemo neſcit, inuenit tamen nouum aliquod artificium Cl. Auctor, aqua calida adſperſa inter duo plana ita reſtituendi faciem naturalem, ut commode apteque potuerint pingi. Putat autem, de culturae ratione non opus eſſe, ut plura addat, quum patria ſingulae plantae eam ſimul innuat et experientiam ea in re ſequi optimum iudicet. Haec tamen obſeruatio eum reddidit ita felicem, ut multas ex ſeminibus plantas propullulantes educare potuerit. Quod porro deſcriptiones plantarum concernit, ita in iis verſatus eſt, ut, prius annotato loco natali, totius plantae cuiusuis expoſitionem exhibeat, partes deinde eiusdem, in primis floris et fructificationis, recenſeat, et ſoli etiam natalis qualitates enumeret, num illa in ſabuloſa nimirum, vel pingui aliaque terra proueniat, quemque creſcendi modum exoptet. Addemus ad finem nouae hic adductae plantae deſcriptionem, ex anglico ſermone in latinum translatam. De eo itaque ambigui adhuc haerebunt Lectores, quare hisce deſcriptionibus vegetabilem etiam philoſophiam dilucidari in titulo libri promittat Cl. Auctor. Sed nullam videmus ſuper hac re explicationem acceſſiſſe: recenſebimus nomina hic deſcriptarum plantarum et adnotationes ſubiiciemus aliquas, ex quibus forſitan, quae mens fuerit Cl. HILLIO, apparebit. Sunt autem ſequentes, ad ſyſtema ſexuale diſpoſitae:

Ex monandriis. 1) Coſtus LINN. Coſtus arabicus authorum. *Scarlet coſtus.*

Ex

Ex diandriis. 2) Nyctanthes foliis inferioribus cordatis, obtuſis, ſuperioribus ouatis, acutis. LINN. Iaſminum arabicum authorum. *Profuſe Nyctanthes.* 3) Nyctanthes flore pleno. *Roſeate nyctanthes.*

Ex triandriis. 4) Ixia foliis enſiformibus, floribus remotis, LINN. *Tyger-Ixia.*

Ex tetrandriis. 5) Callicarpa. *Amethyſtine callicarpa.* Hanc Iohnſoniam vocant hortulani. Sed alibi haec iam picta eſt, et ſub Burcardiae nomine deſcripta a b. m. HEISTERO in praefatione ad Epiſtolam BVRCKHARDI, de charactere plantarum naturali, Helmſtadii, 1750. 8. edita cum icone.

Ex pentandriis. 6) Azalea floribus ſubſolitariis, calycibus piloſis LINN. *Ermine Azalea.* 7) *Noſegay Periwinkle;* quae a KAEMPFFERO in Amoenitat. exotic. dicitur Tſu tſu. Nomen ipſi dedit Cl. Auctor a modo in faſciculo florendi, ſed nec ſatis euidenter deſcripta nec denominata planta eſt. 8) Peloria LINN. de qua vero dubitatur, num planta ſit hybrida, expectat enim Noſter ſemina matura, quae, ſi acceperit, tunc autumat receptam de hybrida planta ſententiam euerſum iri.

Ex hexandriis. 9) Amaryllis ſpatha uniflora, corolla inaequali genitalibus declinatis LINN. *Iacobaean Lilly* vulgo, *Iacobaean Amaryllis.* 10) Amaryllis ſpatha multiflora, corollis inaequalibus, foliis linguaeformibus, LINN. *Delicate Amaryllis* 11) *Double oriflame* eſt ſpecies tulipae flore duplicato; qua occaſione monet Cl Auctor, per culturam flores poſſe duplicatos reddi, dum ſcilicet, antequam flos euoluitur, reſcinditur Scapus, et radix repetita induſtria, in pingue reponitur ſolum. 12) Colchicum flore pleno, *Sanguineous colchicum.* 13) Glorioſa LINN. *Superb Lilly* vulgo.

go. *Imperial Glorioſa.* 14) Narciſſi variantes, *Metamorphoſes of the narciſſi,* ludentis naturae exempla.

Ex enneandriis. 15) Rheum foliis ſubuilloſis, petiolis aequalibus LINN. *Rhabarb.*

Ex decandriis. 16) Poinciana, Criſta pauonis Authorum. *Poinciana.*

Ex icoſandriis. 17) *Snowy Meſpilus,* flore diſtinguitur niueo et corollis pendulis. 18) Meſembryanthemum foliis ſubulatis, ſemiteretibus glabris, internodio longioribus LINN. *Suabright Meſembryanthemum.*

Ex polyandriis. 19) Anemone foliis radicalibus ternato decompoſitis, inuolucro folioſo LINN. *Compleat Anemone.* 20) *Heroic Piony.* Eſt Poeoniae varietas prolifera. 21) *Bohea Tea.* Thea LINN. folia huius plantae ſunt breuiora et obſcuriora, flores vero hexapetali. 22) *Green Tea,* cuius folia longiora, viridiora, flores autem enneapetali ſunt.

Ex monadelphiis. 13) Hibiscus foliis ſubpeltatocordatis, ſeptem angularibus ſerratis, hiſpidis LINN. Abelmoſch Authorum, *Fragrant Hibiſcus.* 24) Hibiſcus foliis ouatis, acuminatis, ſerratis, glabris, caule arboreo LINN. *Single China roſe* vulgo. *Crimſon Hibiſcus.* 25) Eiusdem varietas. *Double Crimſon Hibiſcus, Double China roſe* vulgo. 26) Hibiſcus foliis cordato quinquangularibus, obſolete ſerratis, caule arboreo. LINN. *Palmated china roſe* vulgo. *Mutable Hibiſcus.* 27) Eiusdem quoque varietas. *Double mutable Hibiſcus. Double palmated china roſe* vulgo.

Ex polyadelphiis. 28) *Blood-ſtain'd Hypericum.* Noua planta eſt, a Cl. LINNAEO nondum recenſita, cui nomen ſpecificum imponi poſſe putat Cl. Auctor ſequens: *Hypericum pentagynum ſtylis inuolutis:*

tis: ſiquidem in ea ſtyli ſuperius ſoluti, inferius teneriori quadam membrana inuoluntur.

Ex ſyngeneſiis. 29) Lepia, de qua inferius. 30) Aſter caule corymboſo, foliis lanceolatis, reflexis, floribus ſolitariis, calycibus patulis LINN. *Ambroſial Aſter.*

Ex gynandriis. 31) Epidendrum caule adſcendente tereti ſubramoſo, foliis lanceolatis, petalis linearibus obtuſis LINN. *The Scorpion Flower. Tranſcendant Epidendrum.*

Ex monoeciis. 32) Momordica pomis angulatis tuberculatis, foliis villoſis, longitudinaliter palmatis LINN. *Indian Balſam Apple. Golden Momordica.*

Ex dioeciis. 33) Valisneria LINN. Valisneria et Valisnerioides Michelii. *Spiral Valisneria.*

Ex polygamiis. 34) Ficus foliis ouatis integerrimis obtuſis, caule inferius radicato. LINN. *Bengal Fig. Crimſon Fig.*

Ex cryptogamiis tandem 35) Polypodium frondibus pinnatifidis laeuibus, pinnis oblongis, diſtantibus, infimis patulis, terminali maxima, LINN. *Golden Polypody. Enormous Polypody.*

Nunc itaque ex omnibus ſelegimus tab. 29. propoſitam Lepiam, de qua ſic diſſerit Noſter:

LEPIA.

Fortuna ſic fauente accidit, ut nouum poſſim hiſtoriae botanicae addere genus: mirabuntur autem, quare non ſecutus ſim conſuetudinem recentiorum ſcriptorum, ipſique nomen impoſuerim fautoris aut amici, cuius gratiam inde inirem. Sed, ea in re, veteres ſapientiores fuiſſe arbitror. Nomen illud demum utile cenſendum eſt, quod ideam plantae in ſe continet, quare hanc Lepiam nominaui. Squamae namque calycis praecipuas diſtinctiones efficiunt, id quod hoc vocabulo ſignificatur. Conſuetudini itaque contrarius egi, ut hoc a graeco deducerem: in communi vero plantas denominandi ratione, ubi nomina

mina a viris deſumta imponunt, ſumma eſt ſtultitia, et ingens adulatio. Vnus quisque nonne ridet, ſi tulipam audiat vocari regem Pruſſiae, vel auriculam principem Ferdinandum? Eſtne minus ridiculum, alias plantas denominare Mitchellam vel Milleriam, vel Catesbaeam aut Collinſoniam? Botanicus enim, qui ſui aliis conditionibus memoriam conſeruare non poteſt, nec meretur, eius ut mentio amplius fiat.

Singularis huius plantae habitus meo quidem iudicio optima nota eſt, magnam, quum prae ſe ferat, pulchritudinem. Specimen eius cum aliis ex China plantis ſeminibusque ad me adlatum eſt, delineationem vero ex planta deſumſimus, quae ex ſeminibus eiusdem in Anglia fuit enata. Producta eſt opera clari hortulani (Lee of Hammerſmith.)

Ad trium fere pedum altitudinem exſurgit: exterior ſuperficies aſpera et inelegans. Caulis firmus, folia duriora ſunt, flores numeroſos amplosque habet, diuque durant. Prior, qui erumpit, flos, ad eam venit perfectionem, quam reliqui non attingunt, remanetque in planta per aliquot ſeptimanas.

Plantae radiatae ſyngeneſiae, ad quas haec pertinet, ab omnibus tamen reliquis differunt. Singulus flos nonnullos continet flosculos tubuloſos, vel minores flores in diſco, nonnulli plani in ſummo loco radium efformant. Character tamen claſſis ex nota leuiori deſumitur. Filamenta in ſingulo flore quinque ſunt, et apices coaleſcunt. In aliis ſupra florem eminent, in aliis minus conſpiciuntur.

In medio horum quinque filamentorum ſtylus conſtituitur in ſummitate bifidus et in medio quoque radiatorum florum ſtylus unus eſt, ſed nulla filamenta.

Haec autem eſt floris Lepiae conſtructio: Calyx longus et durus componitur ex latis atque concauis ſquamis, quaelibet earum ſuperius intumeſcit, et coronatur rotundo-ſiccioris tenuiorisque ſubſtantiae margine. Radii flosculi ſunt feminini, quilibet ſurgit ex ſemine ſubſtrato,

conti-

continetque in medio ſtylum, ſemen tribus dentibus inſtruitur. Floſculi tubuloſi in conico capitulo, quod ex ſeminibus ſit, proueniunt, haec pellucentibus membranis obuoluuntur, et ſingulus duos habet denticulos, in medio cauo, rudimentum ſtyli haeret. Separatim has partes delineari curaui, addidique diſſectum florem, quo conicum pateat receptaculum, ſimulque exhibui imperfecti floris differentiam calicis. Tubuloſus itaque flos ſummo ſemini affixus videtur, deſtitutus ſquamoſa calycis parte.

Nonnulli hanc plantam ad bidentem pertinere autumarunt, arguit vero eorum errorem, calyx ſquamoſus et conicum receptaculum. Diſtincta certe eſt ab omnibus aliis; errorem autem in hac difficili claſſe condonare debemus facilius, ac in alia.

LINNAEVS *huic nomen imponere non potuit, hac enim aeſtate demum in Anglia primum floruit.*

Iudicare itaque poteſt beneuolus Lector, ex hoc ſpecimine, partim de diſſerendi ratione Cl. HILLII, in hiſce deſcriptionibus uſurpata, partim etiam de ipſarum plantarum definitionibus. Licet autem in eleganti et ſumtuoſo hoc opere, cuius etiam aliqua exempla, viuis coloribus picta, proſtare accepimus, omnium plantarum adductarum deſcriptiones eodem modo ſeſe non habeant, hanc tamen elegimus, quod et noua ſit, et collatio cum Ill. LINNAEI definitione in uniuerſum non conueniat.

Liceat autem nobis, in gratiam botanicorum, aliquam huius plantae hiſtoriam addere. Ante aliquot iam annos ad nos ab amico ex Gallia, allata ſunt ſemina, ex quibus in noſtris hortis quotannis nouae plantae enatae et disquiſitae fuerunt, nomen datum erat: Bidentis americani ſaponariae folio. Facile docebant momenta plura, ad bidentem eam pertinere non poſſe, ſed nouum eſſe vegetabile, etſi Cl. PHILIPP. MILLER in faſciculo XI. tabularum ad dictionarium hortulanorum pertinentium tab.

64.

64. iam anno huius ſeculi quinquageſimo ſexto d. Ianuarii viceſimo ſeptimo ſimul cum data figura plantae eam *Bidentem, calyce oblongo ſquamoſo, ſeminibus radii corolla non decidua coronatis*, appellauerit, idque nomen a Cl. IVSSIEV datum eſſe, retulerit. Bene errorem huncce diiudicans ex dato forſitan non viſae plantae charactere, Cl. LINNAEVS in Spec. plantar. editione anno 1753. ad Chryſogoni genus eam eſſe ponendam, autumauit. Appellat nimirum p. 920. n. 2. *Chryſogonum foliis ſeſſilibus, amplexicaulibus, calycibus ſeſſilibns ſquamoſis.* Additum autem ex FEVILLAEO ſynonymum minus recte adiunxit. Quum vero definitio Chryſogoni minus eſſet adaequata, hanc etiam denominationem iam factam cum ipſa planta comparare nemo poterat, quare HILLIVS noſter a LINNAEO eam adductam fuiſſe non putabat. Poſt itaque primus, qui recte deſcripſit nouam plantam, ZINNIVS habetur, qui tamen in Catalogo plantarum horti et agri Gottingenſis adiecta icone, anno 1757 eam *Rudbeckiam foliis oppoſitis hirſutis, ouato-acutis, calyce imbricato cylindrico, radii petalis piſtillatis*, dixit, non auſus, nouum imponere nomen, illud licet mereri adſerat. Paulo poſt nouam adeptus disquirendi plantam occaſionem Cl. CONSTANTINVS SCEPIN, in annotationibus Botanicis, p. 42. quae Diſſertationi inaugurali de acido vegetabili, Lugd. Batauor. 1758 adiunxit, ex ſtudioſe penſitatis notis characteriſticis, pro ea, quam in honorem botanicorum, perpetuam eorum memoriam nobilitandi, ſtabiliuerat lege LINNAEVS, quae vero acutius ſe videre arbitranti HILLIO diſplicet, *Craſſinam* nuncupauit, in memoriam ſcilicet profeſſoris botanici Petropolitani, STEPHANI CRASCHENINNIKOW. Is autem ibidem accuratam et naturae reſpondentem expoſuerat deſcriptionem. Cuius, num ad Cl. LINNAEVM peruenerit notitia, dubitamus, quod tandem

tandem in Syſtematis Naturae Editione X Holmiae 1759 nomen in honorem deſcribentis ZINNIAE, p. 1221 in Generibus no. 1161 adiunxerit. En itaque, fallitur, qui ſibi de nouo genere gratulatur, egregie HILLIVS, quum ante eum melius iam deſcripta extet planta, nouo argumento, in vaſto naturae regno neminem, niſi ſtudioſiſſimum, noua diſcernere a cognitis poſſe.

VII.

B. S. ALBINI academicarum annotationum liber quartus. Continet anatomica, phyſiologica, pathologica. Leidae, apud I. et H. Verbeek. Bibliopolas, 1758, 4. pl. 15. tab. aen. 7. *excepta tabula ductus chyliferi.*

Quae de priorum librorum elegantia atque nouitate rerum adduximus, eadem de hoc quoque dici merentur, ſiquidem in illo pariter nitidae partium explicationes atque delineationes occurrunt. Quatuordecim capitibus abſoluiter totum opus, quibus etiam emendationes priorum librorum atque defenſiones quaedam iterum adduntur. Miramur autem, iconem chyliferi ductus ſeparatim editam fuiſſe a Cl. Auctore et impenſas harum rerum amicis auctas, quum et ſimiles forte icones alibi extent, et huius libri caput nonum illius iconis explicatio ſit, ut ea propter nemo illa poſſit delineatione carere, qui hunc ſibi comparauerit libellum. In ipſo vero hoc opere ſequenti ratione ſeſe capita excipiunt.

Caput primum declarat, *quomodo cranium creſcendo accommodet ſe iis, quae continet.* Primo de ſulcis, arteriarum itinera in interiori cranii ſuperficie exprimentibus, diſſeritur, de quibus varia auctorum p. 3

eſt ſententia, Noſter eas recenſet breuiter, arbitratur autem, non pulſationem nec preſſionem eos efficere ſulcos, ſed creſcentia oſſa arterias circumdare. Arborum exempla idem monſtrant, quibus, quae infixa ſunt, protracta vegetatione videntur defixa. In embryonibus ſulci nulli, in adultioribus demum oriuntur, nec non venae, ut ſinus durae matris confirmant, pulſus tamen expertes, profundis ſulcis hinc inde continentur, in paruulis pariter non deprehendendis. Vlterius veritatem ſuae ſententiae ſtabilit, quod arteriolae perfecto quandoque inhaereant circumeunti canaliculo, qui a micantibus illis non potuerit efformari, quod eadem eueniant circa duram ſic dictam portionem nerui acuſtici, et circa tenſorem muſculum tympani. Nec contrarium eſſe videtur, ſulcos arteriarum cum capite creſcere, quum et illi creſcendo poſſint augeri: in ſinubus namque frontalibus nulla preſſio, ſed cum aetate augmentum. Eſt tamen in vaſis reprimendi aliqua vis, ut ea deficiente foramina, etiam maiuſcula, ſenſim deleantur. Deinde mutua eſt in cranio et cerebro creſcendi ratio, ut apte *inter ſe creſcere pergant, donec adoleuerint, preſſionem temperante natura.*

p. 14. *Caput ſecundum* exponit *de aure humana interiore* tantum, quare, poſt aliorum egregios labores, nouas dare auris partium icones libuerit Cl. ALBINO. Deſumtae illae ſunt ex infante, in quibus interiora oſſium perfecta ſunt, neque tam multa ad interiora detegenda debent auferri. In tabulis duabus icones duodecim proponuntur, quarum ſex priores ab aure externa incipiendo ad interiorem progrediuntur; poſteriores autem ab interioribus ad eam partem, ubi priores deſierunt. Sunt utique illae elegantes, et ad finem addita explicatio eas egregie illuſtrat, ſiquidem, ut alibi conſueuit Cl. Auctor, et lineares alias et cum umbra propoſuerit delineationes, in quibus

quibus commodius ac in aliis ſubtiliores etiam partes diſtinguuntur.

Caput tertium agit *de vaſis deferentibus, veſiculis ſeminalibus, emiſſariis, quibus ad urethram pertinent, oſtiolis in capite gallinaginis.* Reſpexit potiſſimum Cl. Auctor ad vaſorum deferentium cum veſiculis ſeminalibus coniunctionem, quorum illa ante coniunctionem coarctantur, in coniunctione confluunt et communi ad urethram canali terminantur; deferens autem vas anguſtius ibi fit, ut aeque veſiculae pars ſit in communi illo canali ac in vaſe deferente, ut ea propter ex utroque loco per emiſſarium commune ſemen excerni queat. Non eſt tamen horum emiſſariorum, utriusque lateris inter ſe coniunctio, neque cum medio illo quandoque deprehendendo in caruncula ſinu. Additur icon. p. 16.

Caput quartum refert *de muſculo cephalopharyngaeo quodam,* qui a baſi cranii ad latus pharyngis exortus, ſub conſtrictore ſuperiore procedens, ad ſtylopharyngaeum inſerebatur, delineatione expreſſus. p. 26.

Caput quintum exponit *de muſculo ſubcrurali,* quem itidem figura ſiſtit addita. Ex medio femore enatus in caudas diuergentes abibat ad membranam patellae inſertas, variisque faſciculis conſtans. p. 27.

Caput ſextum nouum adducit muſculum, *extenſorem breuem digitorum manus,* eumque delineatum videmus. Vidit eundem aliquoties Cl. ALBINVS, orientem ex canali, per quem tendines extenſoris communis digitorum ſecedunt, ad principium digiti medii, aut indicis inſertum. p. 28.

Caput ſeptimum illuſtrat *tendinis ortum,* eius nempe fibras, a carne ſeparatas, in humore explicauit, ſimulque telam celluloſam, inde abientem in icone expreſſit p. 29.

Caput octauum diſſerit *de arteriae membranis et vaſis.* Externam membranam acceſſoriam eſſe affirmatur, p. 30.

matur, nerueam, quae in celluloſam abit, ambire ſequentem muſculoſam, in plura ſtrata diuiſibilem, internam denſam et laeuem, glandulas nullas. Haec alibi iam probata ſunt, et olim etiam deſcripta a Noſtro Cl. LVDWIGIO in diſſ. de arteriarum tunicis Lipſ. 1739 edita. Vaſa in corde a coronariis, in aliis locis a vicinis accedunt. Ad experimenta adhibuit Noſter arterias in aqua maceratas, vel ad leue putredinis principium deductas. Icon tunicas oſtendit.

p. 38. *Caput nonum* pertinet *ad tabulam vaſis chyliferi cum vena azyga, arteriis intercoſtalibus, aliisque vicinis partibus.* Quum ipſarum partium delineatarum breuiſſimae explicationes in tabula ipſa potuerant dari, nunc profuſior ſequitur explanatio. Prodiit autem tabula in forma folii maiori, a Wandelaar in aes inciſa, penes Verbeekios, anno huius ſeculi quinquageſimo ſeptimo, in qua ſimul ad hanc prouocatur dilucidationem, ut ea propter utique huc illa pertineat. Continentur in ea figurae quatuor, quarum prima ſedem veram, originem et inſertionem ductus thoracici ſiſtit, obſeruata nempe ubique accuratiſſime omnium partium proportione. Huius iam alibi factam mentionem ipſe Cl. ALBINVS memorat. Altera ductum chyliferum inflatum et exſiccatum a parte poſteriore exhibet. Tertia chyliferum, cui ex glandula lymphatica ductus inſeritur. Quarta duas radices ductus chyliferi inflatas exſiccatasque proponit.

p. 49. *Caput decimum* tractat *de hymene*, qui deſcribitur ex maturo foetu, in ſecundinis adhuc incluſo, partim, quatenus apparet ille, dum externae partes leuiſſime a ſe inuicem ſeparantur, partim, quando magis remouentur, quam duplicem conditionem adiectae figurae illuſtrant. Vidit etiam in prouectioribus aetate falcatum ſiue lunulatum, nec non in alia nubili puella, ita amplum, ut rima eius

eius diducta ſic pateret, ut virum potuiſſet pati, nec corrumpi.

Caput undecimum inſcribitur *de oſſe ſacro*, a quo potiſſimum deſcribuntur duo exempla huius oſſis, quae ex ſex diuerſis partibus, ceu vertebris, conſtabant, in altero prima vertebra ſupernumeraria cum ſequenti proceſſibus ſuis transuerſis committebatur, imae lumborum ſimilis, in altero vero prima haec vertebra a ſecundo ab uno latere diſtabat, ab altero tantum cum proceſſu transuerſo coniuncta. In tabula ſeptima haec oſſa ſacra delineata ſiſtuntur, cum alio immaturi foetus, toto adhuc cartilagineo, non nullis tantum oſſeis punctis inſtructo. Hic loci addimus in tabula ſexta, cuius nulla eſt in ipſa tractatione libri mentio, pingi oſſa humeri tenelli foetus diſſecta, quo interior eorum fabrica pumicea ſeu cauernoſa et nuclei oſſei conſpiciantur. p. 52.

Caput duodecimum exponit *de vitio, quod vocant labium leporinum*, in recens nato, paulo poſt demortuo ita comparatum, ut labium ſuperius ſub utraque nare finderetur, nec non eodem modo fiſſa ſit ala naſi utraque, gingiua porro ſuperior; deerat palatum omne, ut cauitas in nares aperiretur. p. 57.

Caput decimum tertium adducit locum RVYSCHII, de *inuolucro penis neruoſo externo*, quod, etſi negare nolit, unquam a RVYSCHIO aſſumtum fuiſſe, credit tamen eum ab exſiccata cute potuiſſe induci. p. 58.

Caput decimum qartum tandem *ad librum tertium annotationum* pertinet. Defenſiones continet contra aduerſarios, primo corpus humanum non mere vaſculoſum eſſe, deinde valuulam coli ſollicita cura poſſe ſolui, aliaque in primis contra Cl. HALLERVM monet, quae praeterimus, quum breuiter p. 59.

ter indicari nequeant, debeantque inter ſe, collatis utriusque viri verbis, dilucidari.

Index, ut prioribus libris amplus et idoneus adiungitur.

VIII.

Lettres ſur la maladie de la Goutte, par Mr. LOVBET, Penſionnaire du Roi, ancien Chirurgien-Major des Regimens de Senterre et de Tourraine etc. à Paris, chez Bauche, Hochereau et Duchesne, Libraires. 1758. 12. pl. 22.

h. e.

Litterae ſuper arthritide etc. Auctore Cl. LOVBET.

Litteras haſce ad illuſtrem quendam virum datas, ſe non eruditorum cauſa, ſed eorum potius in gratiam edidiſſe, ultro profitetur Cl. Auctor, qui arthriticis doloribus vexarentur, quibus, ſe ſuorum malorum auxilia in hoc libello reperturos eſſe, liberalius ſpondet. Ita vero verſatur Auctor noſter in hoc argumento pertractando, ut in Epiſt. I. de arthritide generatim diſſerat, quaeque mala, in diuerſas capitis regiones translata, excitet, eloquatur. Epiſt. II. habentur effectus morbi iſtius, ad pectus ſtomachumque verſus conuerſi. Tertia continet breuem deſcriptionem anatomicam iecinoris, ſplenis renumque, utpote quae viſcera arthritidi obnoxiis ut plurimum mire excruciantur. Quarta agit de extremitatibus corporis, earumque articulis, de congeſtionibus ibidem obtingentibus, de tumoribus, ibi ab arthritide excitari ſolitis, de diuiſione arthritidis in calidam et frigidam, quarum illa vera dici mereatur, altera vero nihil niſi tumores oedema-

oedematoſi, ſubinde emphyſematici ſint; tandem de tempeſtate, qua hic morbus utplurimum ingruere ſoleat. In quinta Cl. Auctor ſuas de cauſis arthritidis opiniones et meditationes profert. Sexta ac ſeptima utilitates tranſpirationis ſanctorianae depraedicant, ubi ſimul de mediis illam adiuuandi, deque ſingulari balneorum uſu agitur. Octaua, diuerſa in diuerſis ſubiectis arthritidis ſymptomata plerumque a temperamentorum ac aetatum varietate dependere, commonſtrat. Nona Cl. LOVBET praeiudicium illud circa morbos haereditarios hanc potiſſimum ob cauſam impugnat, quoniam aegros arthritico malo affectos inuenit, qui omnia contra dirum iſtud malum auxilia ſpreuerint, quia illud a parentibus traditum nullo remedio ſanari poſſe ſibi perſuaſerunt. Decima alium quendam errorem ferme communem circa uſum aquae et vini in malo arthritico oppugnat. Vndecima egregias utilitates, quas arthritici ab uſu lactis, atque mellis accipiant, enarrat. Duodecima regimen arthriticorum quodammodo praeſcribit. Decima tertia emolumenta ab arthriticis ex uſu vegetabilium in victu capienda, recenſet. In decima quarta Cl. Auctor ad praeſeruandos ab arthritide homines ab omnibus uniuerſim exercitium corporis quotidianum moderatumque poſtulat. Decima quinta differentiam inter arthritidem atque rheumatiſmum docet, ac tandem decima ſexta dicta in ſummam quandam colligit, breuiterque repetit. Quam cum nunc ea, qua fieri potuit, breuitate expoſuerimus, noli a nobis expectare, beneuole Lector, ut ex ipſo libello, qui methodo plerorumque Gallorum ſcriptorum, id eſt, *ἀμεθόδως*, exaratus eſt, ſecundum ordinem paginarum ea, quae nobis notatu viſa ſunt digniora, depromamus. Sufficiat tantummodo id generatim excerpſiſſe, quod Cl. Auctor ipſe diro hoc malo aliquandiu immaniter vexatus,

 uberri-

uberrimam cauſas illius inueſtigandi nactus occaſionem, eius principia, ſpretis aliis doctorum hominum ſententiis, in victu animali, eiusque, qui hodie obtinuit, abuſu, quaerat, exemplo a cane, animali carniuoro ac voraci, ac arthritidi, ſi quod aliud animal, obnoxio, deſumto. Qua propter etiam in arthritide percuranda, omni animali victu repudiato, unum vegetabilem multis argumentis verborumque lenociniis commendat, quippe quo ſemet ipſum morbo iſto quam miſerrime excruciatum, omnibus aliis a praeſtantiſſimis auctoribus commendatis remediis incaſſum adhibitis, mire fuiſſe ſubleuatum penitusque ſanatum, confitetur. Suadet ſimul uſum lactis, mellis, moderatum vini boni, exercitationes corporis, tum ſuo exemplo, tum additis rationibus quibuscunque. Noſtrum non eſt, illas iam examinare. Egregie autem nobis placet iudicium Cenſoris huius libelli, Cl. GVETTARD, illi annexum, quod, cum paucis abhinc annis alius quidam de arthritide Scriptor Pariſinus *, alia fere omnia, quae Noſtri ſententiis contraria ſint, commendarit, aegrorum, adde et prudentum medicorum, ſit, optima quaeque eligere.

* Forſan Cl. CHARL. LOVIS LIGER, Traité de la Goutte, à Paris 1753. a nobis Comment. Vol. IV. p. 439. ſeqq. recenſitum, et laudatum indigitat.

IX.

IX.

IOANNIS GEORGII ROEDERER, D. Medicinae ſpeciatim anatomicae artis atque obſtetriciae Profeſſoris publici ordin. Societatis ſcientiarum imperialis Petropolitan. Regg. Suecicae ac Goetting. Socii, et lat. Ien. honorarii, Colleg. chirurg. Praeſidis, Principatus Goettingenſis Phyſici, Elementa artis obſtetriciae, in uſum praelectionum academicarum, aucta et emendata. Goettingae apud viduam Abraham Vandenhoeckii. 1759. 8. 1 alph. pl. 1.

Prioris huius libelli editionis ſupra * iam cum laude mentionem iniecimus iureque optimo ſuum ipſi pretium ſtatuimus: non poſſumus tamen quin alteram hanc, quae multis aucta atque utilior magis reddita ab ipſo Cl. Auctore comparuit, editionem commendemus ſummisque encomiis extollamus. Laetamur enim de incremento, quod paucis abhinc annis ars obſtetricia in ſummam rerum publicarum utilitatem cepit, et quod per tantorum virorum induſtriam in dies eſt captura. Multa Cl. ROEDERER ſuis aſſertis addidit, multa, quae obſeruatio et experientia ipſum edocuit, mutauit, multa, quae iniqui cenſores in malam partem rapuerunt, curatius definiuit, et hac ratione multo praeſtantiorem hanc editionem priori reddidit, maximas totius orbis literarii gratias hoc inſtituto initurus. Promittit quoque in addita praefatione, ſe propediem commentariolos, ut vocat, in artem obſtetriciam eſſe prolaturum, quos certo magna cum voluptate expectant omnes, quibus ſcientiarum incrementum curae eſt cordique. Cum vero ſu-

* vid. Commentar. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 644.

pra iam priorum ſeptem capitum ſumma breuibus expoſita ſit, in quibus, quae ad artis theoriam pertinent, continentur, nos tantum de reliquis exponendis cogitabimus, quae tractant ea, quae ad verum artis uſum proxime ſpectant. Ex theoria partus, quam Cap. V. expoſuit, cognoſci facile ac declarari poſſe ſymptomata monet, quae partum ipſum
p. 73. vel antecedunt vel comitantur. Quae breuibus in Cap. VIII. proponit et primum, quae ultimo menſe obueniunt et partum appropinquantem produnt, recenſet. Sunt vero ſequentia: *Mucus albus e genitalibus ſtillans, copioſus, craſſus*, a copioſori humorum ad has partes affluxu et ceruicis maiori compreſſione dependens; *Dolores ad partum*, quos diſtinguit et ratione vehementiae, et ratione directionis in *praeſagientes*, *veros* et *ſpurios*. Praeſagientes leniores ſunt, parumper durant, cito tranſeunt, hinc etiam ab illis, quae iam partum ediderunt, negliguntur quamuis a primiparis pro veris habeantur. Oriuntur a primis fundi uterini contractionibus, eumque uſum praeſtant, ut ceruix cum orificio ſenſim ſenſimque dilatetur ac diducatur, qua deterſione facta veri dolores oriuntur; cauendum tamen ne pro praeſagientibus doloribus habeas grauidarum tormina, quae a doloribus iſtis diſtinguuntur ſolo in regione abdominali cruciatu, qui in peluim non deſcendit, vel et eo, quod poſt inteſtini recti euacuationem ceſſant. *Orificium uteri* eo magis detergitur et ſegmentum inferius uteri attenuatur, quo magis partus appropinquat, nec tamen ex diducto, ſed vere deterſo orificio ſignum erit petendum. *Vrinae ſuppreſſio vel incontinentia* ab utero ſubſidente et veſicam vel in collo vel in fundo comprimente efficitur. *Tumor ventris ſubſidens*, qui tamen non praeceps deſcendit, ſed lente ac ſucceſſiue, interdum etiam ab arctiori pelui, ſitu matricis obliquo, vel mole foetus praegrandi prorſus impeditur.

Mox

Mox vero ante partum accedere ſolent *veri dolores ſiue labores ad partum*, qui a praeſagientibus frequentia et vehementia ſua diſtinguuntur et deterſo demum orificio oriuntur. *Orificium uteri apertum magis et deterſum*, quod labiis ſuis prorſus euaneſcentibus aperturam ellipticam ſiſtit, quo ſimul ſegmentum uteri inferius ita attenuatur, ut chartae craſſitiem non ſuperet, nec tamen in vaginam deſcendat niſi morboſe affectum. *Aquae formatae*, ſub quibus intelligimus imam velamentorum partem aqua repletam, et ab uteri contractionibus bullulae ſub forma per orificium protruſam. Tenſa et expanſa tangitur ſub ipſis doloribus haec bulla, quae flaccida, dolore remittente, caput infantile ſubiacens percipi digito permittit. Haec dum eueniunt, ſub p. 81.
quouis dolore inuita retinet parturiens ſpiritum et muſculorum abdominalium diaphragmatisque contractione uteri actionem iuuat. Varia hinc ſymptomata, faciei rubor, pulſus frequentia, vomitus, qui interdum parturienti proficuus, interdum, ſi nimirum bilis ſanguisque niger ac foetens euomatur, lethalis eſſe ſolet. Vltimi tandem, *conquaſſantes* dicti, dolores ruptum a capite foetus prodeunte frenulum comitantur, quos tamen antecedunt *mucus ſanguine tinctus*, quem *ſigna* vocant, cuius ſanguineae ſtriae, vel a vaſculis uterini orificii diſruptis, vel a velamentorum ſeparatione ab uteri parietibus oriri exiſtimat Cl. Auctor, *frons ſudore madida; parturientis impatientia; eiulatus acutiori voce emiſſus; primipararum tremor.*

Rumpuntur vero membranae et fundunt liquorem amnii incerto tempore, ob variam membranarum craſſitiem aliasque accedentes cauſas, quin imo in perfectiſſimo partu integrum ouum excluditur. Eſt tamen aquarum profluxus probe ab urinae effuſione diſtinguendus, quae vel per differentiam liquorum prodeuntium, vel per explorationem commo-

de

de diſcerni poſſunt. Solet vero interdum quaedam liquidi copia, una alteraue ante partum ſeptimana e genitalibus, nullis ſubſequentibus doloribus, effluere, ſub nomine *aquarum ſpuriarum.* Quarum quidem origo vero ſimilius ab ouo ſubuentaneo, vel rupto velamentorum hydrope, vel rupta ceruicis hydatide, deducitur, quam ab alantoide rupta, vel liquidi per membranas tranſſudatione cet. Quod profluuium ſi euenerit, quies eſt ſeruanda grauidae, ne partus praematurus prouocetur. Mirum quantum etiam iuuatur et facilis redditur partus per amnii liquorem effuſum, quo viae lubricantur, per vernicem caſeoſam, qua corpuſculum foetus obductum deprehenditur, et oſſiculorum capitis mobilitatem, qua caput, in utero globoſum, in longam formam vaginae aptiorem compingitur. Nec negligendae erunt in arte obſtetricia rite exercenda variae, quibus abſoluitur partus, periodi, quarum prima ea a Noſtro diſtinguitur, ubi caput infantis, intra ſuperiorem peluis aperturam preſſum, orificio deterſo velut corolla cingitur; altera quando peluis
p. 89. cauitatem replet; tertia ubi in pudendorum ſinu defixum haeret; quarta corpus ſoluit; quinta placentam excutit, contractae enim uteri fibrae ſecedunt a ſecundinis, easque liberas fundus uteri deſcendens foras propellit.

p. 90. Statum uteri poſt partum capite IX exponit. Abſoluto partu fibrae uteri ſe contrahunt, cauitatem eius minuunt, vaſorumque lumina ſenſim coarctant. Cum tamen ſemper aliquid energiae ſuae perdant, nec uterus priſtinam anguſtiam adſumere nec orificium eius prorſus claudi poteſt. Neque etiam paucis horis abſoluitur uteri contractio, ſed quandoque plures ſeptimanas requirit, hinc lochiorum rubrorum et demum alborum profluuium eo usque durat, donec penitus clauſa ſint vaſorum orificia. Ex inaequali matricis contractione *dolores poſt partum*

tum oriuntur, quae a variis reliſtis peregrinis corporibus in cauo uteri excitantur, et plus interdum puerperae incommodi faceſſant, quam veri dolores, quamuis ut plurimum omni periculo careant. Sanguis nunc ſurſum agitur, et in mammas fertur lactis ſecretioni dicatus, et ephemeram febrim, lacteam, excitat, qua coloſtrum, ante id temporis mammas replens, excernitur et in lac mutatur. Signa quae puerperam a menſtruata diſtinguunt ſub fine huius capitis adfert.

Partus, qui ſemper morbus, ſolet tamen et p. 94. pro diuerſa parturientis conditione, et pro varia foetus ratione, differre. Iure igitur in facilem, difficilem ſiue laborioſum, atque praeternaturalem diſtinguitur. *Facilis* pauciſſimis doloribus ob leuiora impedimenta facillimo negotio peragitur; *difficilis* lentius procedit et plura grauioraque impedimenta vincenda habet; *praeternaturalis* vero ſola arte perficiendus eſt, cum natura non valeat impedimenta vincere, melius tamen ipſum *artificialem* dici poſſe Noſter autumat. Facilis atque laborioſus, cum ope naturae perficiantur, *naturales* vocari merentur, quamuis et interdum hic arte mirum quantum iuuetur et acceleretur. Quae ad perfectiſſimum par- p. 96. tum efficiendum requiruntur momenta ſequentibus Noſter recenſet. 1) *Partus debet fieri nono grauiditatis menſe abſoluto.* Vltra hunc terminum raro, ſi unquam, differtur; quicquid etiam ad ſerotinum partum demonſtrandum de deficiente ſeminis energia, matris variis morbis nutritionem foetus impedientibus cet. adferant multi. Foetus tamen tubarii, lithopaedia aliique extra uterum concepti foetus iure excipiendi. Citius quidem iuſto foetus praematurus excluditur, qui, quamuis pro vitali habendus a ſeptimo menſe ſit, tamen multis de cauſis a maturo ſe diſtinguit, ad quas inter alias refert Cl. Auctor ruborem totius corporis, lanuginem mollem

mollem ſatis ac longam, fontem pulſatilem magnum, tubercula ſebacea mentum et naſi bulbum obſidentia; ungues teneros, molles ultra digitos non
p. 100. prominentes; pondus totius foetus quintam libram non exaequans, cum maturus foetus ſemper quintam ſuperet, ſex libris vero nunquam minor deprehendatur. 2) *Peluis figuram habeat regularem* primo capite deſcriptam, ne nimia amplitudo prolapſum efficiat, anguſtia nimia tranſitum foetui praecludat. 3) *Vterus in axi peluis haereat* nec obliquitate ſua ab iſta aberret: 4) *Foetus in uteri axi capite deorſum pendente, facie oſſi ſacro obuerſa haerere debet,* 5) *eiusque membra iuſtam proportionem habeant;* 6) *Cum capite alia pars corporis non propendeat.* 7) *Placenta foetum mox ſequatur.* 8) *Mater integra ſanitate fruatur;* ſic enim nec nimis tenera aetas, nec nimis prouecta ad pariendum apta erit, in obeſa nullum partui a pinguedine efficitur obſtaculum, nec in macilenta ligamenta coccygis exſiccantur et inde immobilitas huius oſſis efficitur; puſilla foetum ut plurimum proportionatum geſtat; gibboſa vel claudicans, niſi ex rhachitide talis, peluim male conformatam habeat, difficile non parit, quamuis lentus partus ob pectoris vitium, quo ſpiritum retinere impeditur, ipſi accidere poſſit; nec imbecillitas naturalis, niſi ex fractis viribus ſit, partum peiorem reddit: morbi vero varii, ſpaſtici potiſſimum ac conuulſiui, pectoris, herniae cet. retardant partum ac difficilem efficiunt, ut et animus parturientis demiſſus. 9) *Dolorum impulſus ad perfectiſſimum partum ſatis ſit efficax,* nec tamen praeceps nimis eorum vis ſemper proficua erit, ſed interdum noxam parit. 10) *Genitalia morbo locali non laborent,* cuius cenſus ſunt inter alios, tumores circa orificium cuiuscunque generis ſunt, orificium olim dilaceratum atque cicatrice cohaerens, uteri prolapſus, inflammatio, reliqua: quae tamen ſi rite ſitus fuerit

infans

infans ac uterus, quamuis partum retardant, praeternaturalem tamen eum non reddunt. 11) *Foetum ſanum et vegetum eſſe oportet;* quamuis quidem non putet foetum quicquam ad ſuum exitum adferre Cl. Auctor, cum tamen foetus mortuus aut debilis utero, contrahenti ſe, non tantam obiiciat reſiſtentiam uti vegetus, lentior ſemper procedit. 12) *Paucis horis partus abſoluatur,* raro ultra ſex horas produci partum perfectiſſimum Noſter adfirmat. 13) *Mater et infans, partu peracto, morbo a partu oriundo non laboret.* 14) *Ab obſtetrice partus non turbetur* vel praematuris ad niſus edendos hortationibus, aliisque externis iniuriis, vel propinatis medicaminibus cet. Veterum partus diſtinctio, quae a ſitu p. 115.
infantis determinabatur, non eſt admittenda. Solent enim, capite quanquam praeuio, peſſimi interdum prouenire partus, cum e contrario agripparum partus, quem peſſimum dicebant veteres, inter optimos illorum certe, qui arte abſoluuntur, nominandus veniat. Neque tamen maxime naturalis atque exoptatiſſimus, ad DE LA MOTTE ſententiam, Noſtro videtur ex eo, quoniam orificium uteri non ſufficienter aperitur, foetus ob funiculi compreſſionem niſi cito finiatur partus, in vitae diſcrimen inducitur, caputque difficili opera extrahi poteſt.

Cap. XI explorationem feminae docet inſtituen- p. 117.
dam. Summi uſus haecce operatio obſtetricanti eſt, nihilque ipſi moliendum, niſi, ea inſtituta, de conditionibus uteri ac foetus certus ſit. Quaeuis vero, quae utero contingunt mutationes, ex nullis aliis ſignis, quam ſolo tactu, cognoſcuntur. Eſt vero digitus explorans pinguedine inunctus ad ductum parietis vaginae poſterioris immittendus, leniterque ac ſuſpenſe in omni cauitate peluis circumducendus, ut quaeuis in vagina obuenientia diſtingui poſſint. Vel decumbentes vel genubus incumbentes,

vel

vel ſellae inſidentes, vel denique ſtantes explorantur, unaquaeque methodus cautelas quasdam requirit, quas Cl. Auctor adfert.

p. 122. Ea, quae in ipſo partu peragenda ſunt Cap. XII exponit. Clyſtere purganda eſt, accedentibus primis doloribus, parturiens, ut et munditiei proſpiciatur, et flatibus occurratur, et ſcybala duriora euacuentur. Serius autem exhibita clysmata nullius uſus, quin noxia ob ſtimulum erunt. Lotium ſtatim emittendum vel et cathetere educendum. Plethoricis ac aſthmaticis vena ſecanda, partim ad labores vegetiores reddendos, partim ad praecauenda puer-
p. 127. perii mala ſymptomata. Femina ad partum non collocetur prius, quam orificium ultra dimidiam peluis diametrum ſit apertum, nec tamen expectandum uſque dum caput cauitatem peluis ingreſſum fuerit. Optimus vero ad partum ſitus cenſendus ille, qui contractionem abdominalium muſculorum ac diaphragmatis facilitat et ſpiritum inductum quam longiſſime retineri permittit. Hinc peluis, lumborum vertebrae ac thorax firmentur, ut nixus rite edi ac dirigi poſſint. Efficitur id, ſi parturiens pedibus terrae firma inſiſtit, manu corpus reſiſtens prehendit, lumbis parieti reſiſtenti innititur, et genua eius ab adſtante firmiter reprimuntur. Hoc in ſitu optime nixus edit, nec tamen partum perficere valet, ſed vel ſedili inſideat, vel in lectulo decumbat neceſſe eſt. Lectulum partui deſtinatum deſcribit, qui nixibus edendis quam maxime ſit accommodatus, nullum foetui exituro impedimentum obiiciat, in dolorum interuallo parturientis requiei inſeruiat, ad genitalia obtegenda, et munditiem ſeruandam aptus ſit, ſtatim ad ſitum, quem partus praeternaturalis requirit, poſſit accommodari, et in lectulum ubi requieſcat mutari, obſtetricanti liberum ſui officii permittat exercitium, omnino iure ſedili cuiuis praeferri meretur.

Deficien-

Deficiente tali lectulo parato, extemporaneus v. p. 135.
HORNII, e quatuor ſellis paratus, adhibendus erit, quamuis et ſuis incommodis laboret. Vel et grabatis commode poſſumus uti, ſi modo pedes a ſeruientibus firmentur. Reiiciuntur a Cl. Auctore gallorum lecti latiores ob varia, quae adducit momenta. Anglorum lateralis ſitus vel in lectulis conſuetis, p. 138.
vel in peculiari, *Couch* ipſis dicto, cum nimium defatigare feminam ſoleat, minus Noſtro probatur. Germanicae feminae ſellis ut plurimum inſidentes, miſere ſaepius conſtructis, pariunt. Optima omnium ea eſt, quam DEVENTER depingit. Minus commoda ſunt veterum ſedilia, ab HIPPOCRATE, MOSCHIONE, RHODIONE, RVEFFIO deſcripta, praeſtant WELSCHII, VOELTERI, WIDENMANNIAE AC SIEGMVNDAE. Optima tamen ſella plura incommoda habet, quam lectulus. Nec ſitus ille Auctori probatur, quo parturiens gremio cuiusdam inſidet, non, niſi parturiens valde debilis ſit, admittendus. Obſtetricans ad parturientem accerſitus primum ante dolorem, deinde ſub ipſo dolore, denique poſt dolorem exploret feminam, ut ſitum infantis ac uteri, dolorumque proprietates rite cognoſcat, caueat tamen, ne rudi exploratione, vel velamenta rumpat, vel nimiam parturienti moleſtiam creet. Nihil in partu naturali moliatur, donec caput occipite retro ſinum haeret, tunc duplex ipſi incumbit officium: unum, ut vaginam et labia pinguedine inungendo, digitisque indicibus ad perinaeum collocatis illud reprimendo, ſalua externa genitalia conſeruare tentet: alterum ut foetus exitum, motando corpuſculum ac ad axin peluis ducendo, promoueat. Excluſo foetui os a muco purgandum et ſtatim funiculus deligandus. Addit Cl. Auctor varias cautelas in hac deligatione ob- p. 148.
ſeruandas; quam tamen in priori editione praeceperat funiculi verſus matrem ligaturam, hic con-

ſulto omiſit. Si forte funis ad ipſum umbilicum fuerit abruptus, cutim abdominis filo conſtringere prohibet, ſed vel linteo carpto atque, hoc non ſuffi- ciente, ſtyptico quodam impoſito vulnus curandum ſuadet. De tempore, quo funiculus ſit ligandus, Au- ctores in tres ſententias abeunt; alii placentam prius extrahi, quam funiculus ligetur, iubent, alii poſt ligatum demum funem placentam ſoluere praecipiunt, alii miniſtrum eodem tempore, quo obſtetricans placentam remouet, funiculum deligare volunt. Secundam methodum, ob varias quas ad- fert cauſas, optimam iudicat Noſter. Probe tamen attendendum eſt obſtetricanti, ut impoſita abdomi- ni manu eaque in omni eius ambitu circumducta inquirat, num alter adhuc foetus in utero remanſe- rit, cuius praeſentiam et funiculi attracti reſiſtentia et dolorum continuatio fallaciſſime indicant. Qui ſi adfuerit, prius de eo, ruptis eius velamentis, re- mouendo, quam de placenta ſoluenda cogitandum eſt. Peractis his puerperae cura eſt ſuſcipienda, ut genitalibus, linteo molli ac calefacto tectis, ab- domineque faſcia inuoluto, in lectulum ad requiem capeſſendam locetur, et de eius blanda transſpira- tione, per iuſcula tenuia gelatinoſa refectione, clysmatisque ope, ſi neceſſe eſt, purgatione ſolli- citus medicus eſſe poſſit.

p. 155. Si deſunt vel unum vel plura eorum, quae ſupra Noſter ad perfectiſſimum partum requirit, momento- rum, partus ſit difficilis, quem ad ductum modo di- ctarum regularum in capite XIII. deſcribit, et de iis, quae in eo agenda ſunt, diſputat. Cum tamen quaeuis fere impedimenta partus in peculiaribus capitibus infra paulo eſt tractaturus, ſummam tan- tum eorum breuiſſimis in hoc capite exponit. Gib- boſae ſedili inſidentes, claudicantes vero in lectulo partum edant. Herniae reponantur, et manu im- poſita ſub doloribus retineantur; varices faſcia com-

priman-

primantur; pellentibus ad dolores promouendos abſtineatur; morbi locales ante partum, quoad fieri poteſt, ſuis remediis expugnentur, v. c. calculus in veſicae collo detentus vel ſoluatur, vel reprimatur, hymen arctus diſſecatur, vagina concreta turundis ſenſim intumeſcentibus vel ſpongiis praeparatis dilatetur; genitalium inflammationes, temperantibus et emollientibus mitigentur; tumores oedematoſi fotibus tractentur, nec inciſionibus ac ſcarifationibus, quibus gangraena facile inducitur, lacerentur.

Solutio placentae quasnam cautelas requirat p. 163. Cap. XIV praecipit. Propriae uteri contractiones ſpontaneam ſolutionem placentae efficiunt eamque expellunt: hinc ſi mente ſua uti poteſt operator eam expectandam ſuadet Cl. ROEDERER. Si vero variae cauſae artis auxilium requirant, vel tractione, vel ſi illa non ſufficit, aut ob funem ſanguineum, feminae ad uteri inuerſionem procliuitatem, praeſentemue ſanguinis fluxum inſtitui non poteſt, immiſſa ad ductum funiculi in uterum manu, decorticatione a parietibus uteri, ſeparanda erit. Tentanda haecce etiam erunt, ſi placenta relicta in utero fuerit, et operator ſero demum a partu accerſitur. Si tamen fruſtranea fuerit haec opera, cunctando interdum rem perficere praeſtat, cum et absque periculo diu in utero quandoque lateat placenta. Con- p. 169. tractus uterus ita nonnunquam abſcondit placentam, ſi in fundo non adhaeſerit, ut eandem penitus ambiat, ac in ſacco recondat, qui digitorum ſucceſſiua immiſſione aperiendus eſt. Praeſtat haec praeſcripta deglubendi placentam methodus ei, quae tractione violenta perficitur ex eo, quod haec inuerſioni matricis faueat, et inaequales uteri contractiones, haemorrhagias, imo inflammationem cet excitet. Abſtinendum ſemper a medicaminibus irritantibus ac pellentibus, quae non ſu-

perflua tantum, ſed vere noxia Noſter pronuntiat. Nec probari poſſunt aliae excutiendi placentam methodi, quae vel perforando eam, vel abdomen comprimendo, vel forcipe placentam comprehendendo tentantur. Eliminata placenta uteri curam habeat operator, quod fit, ſi denuo immiſſa manu omnia peregrina corpora ex cauitate uteri euacuat, manuque in pugnum contracta contractiones uteri ubicunque aequales efficere ſtudet. Si vero remanſerint quaedam, quae procedente tempore in putridam maſſam abeant, matricis repurgatio iniectionibus per peculiarem ſiphonem in ipſum cauum, non tantum in vaginam, uteri propulſis, adiuuandam eſſe cenſet Noſter.

p. 176. Cum tamen in exercenda arte multum omnino interſit operatoris, ut certus ſit, num viuat an iam obierit foetus, ſigna, foetus viui et mortui in Cap. XV. explicat.

Alia vero ſigna ante partum, durante grauiditatis tempore, vitam foetus produnt, uti motus eius a medio geſtationis termino incipiens quotidieque auctus, incrementum uteri ac abdominis ab increſcente foetu auctum, quae utraque, foetu mortuo, ceſſant. Fallacia ſunt mortui foetus ſigna, a colore faciei plumbeo, oculorum liuore, cordis palpitatio-
p. 179. ne cet. deſumta: frigens tamen abdomen, mammae collapſae, lac ſeroſum copioſe e mammis profluens, cum ſuperioribus iuncta, mortem embryonis confirmant. Foetus putredo varias quoque moleſtias feminis creat, quae tamen non niſi laceratis membranis accidere poteſt, cum iis integris aeris liberioris acceſſus arceatur.

Alia vero ſigna conquirenda erunt mortui foetus ſub ipſo partu, praeternaturali potiſſimum, in quo laedentibus ferramentis ſoluere foetum cogimur. Tumor in capitis parte primum prodeunte eleuatus viuentem foetum vel certe foetum

ſub

ſub partus initium viuentem denotat. Fontanellae pulſus deficiens, qui, ſi unquam, certo rariſſime percipi poteſt, foetus immobilis haerens in peluis cauitate, meconium profluens vere mortuum non declarant, quanquam demortui ſuſpicionem moueant. Funiculus propendens frigidus nec pulſans, oſſa cranii ob collapſum cerebrum ſtridentia mortuum eſſe embryonem docent. Certiſſime obitus eius cognoſcitur ex putredine, cuius indicia ſunt putris liquor ex genitalibus profluens, cuticula leuiſſima contrectatione ſecedens, nauſeoſa ex pudendis mephitis, et ſi manui via praecluſa in uterum non eſt, pulſus funiculi prorſus deficiens, lingua digitique laceſſiti immobiles. Ex variis etiam p. 183.
cognitis, vel in partu, vel ante partum cauſis, ad mortuum foetum concluſio effici poteſt.

Nunc de iis, quae in partu praeternaturali peragenda ſunt Cap. XVI. diſputat, ubi ſemper arte ſola partus perficiendus eſt. Vel enim manu, vel inſtrumentis ſoluendus foetus erit. Hinc ita eſt collocanda femina parturiens, ut operator commode ſuas actiones perficere, et femina immota penitus cubare poſſit. Ad quem ſitum aptum dicit lectulum ſupra deſcriptum, paululum mutatum, vel extemporaneum v. HORNII, vel grabatum Mottianum, Meſnardianum, Schlichtianum, reiectis omnibus ſedilium generibus, ut prorſus huic ſcopo contrariis. Quae modeſtiae ſeruandae, ope- p. 187.
ratorisque commodis inſeruiunt, exponit Cl. Auctor, ſimulque monet eum, prognoſi ancipiti famae ſuae conſulere debere. Ipſe uteri habitus variaque alia ſymptomata, num feſtinandum cunctandumue ſit declarant. In ipſa operatione vero quacunque obſeruet ſequentia. Sub operatione parturiens nullo, nec corporis, nec nixuum motu agitetur. Manus immittenda in dorſo pinguedine inungatur, palma vero ſicca maneat. Vagina pinguedine emolliatur.

Vrina ſubducatur. Manus in uterum demittatur in cuneum contractis digitis formata, repetitaque agitatione. Operatio ſub dolorum remiſſione, laxo utero, perficiatur, et inſtrumenta, oleo lubrica, caleant modice. Quatuor vero modis excuti poteſt infans, quem uterus protrudere nequit: 1) vel pedibus extrahendus eſt foetus, 2) vel inſtrumentis caput praeuium ſoluendum, 3) vel defixus in utero foetus diſſecandus, 4) vel abdomine et utero inciſo protrahendus. Debilis ab operatione foetus reficiendus eſt, hinc perſciſſo fune nec illico ligato venaeſectionis quaſi ſpeciem inſtitui Noſter iubet, tunc, muco ex ore eliminato, vino calido externe vel balnei vel linteorum ope applicato immergendum foetum, vel varia ratione irritandum, vel exhibito oxymelle ſquillitico vomitu purgandum cet. ſuadet. Si quoque interdum euenerit, ut caput, contuſione laeſum, vel pedes ex faſciae compreſſione liuidi appareant, vel et membra quaedam fracta fuerint, velentur haec linteis vino calido vulnerario madidis. Luxationes vero, quae ſaepius efficiuntur ob laxiora ligamenta, et caua minus profunda, protinus ſunt reponendae, ne partes coaleſcant.

p. 197. Cap XVII continet partum difficilem et praeternaturalem propter caput praeuium. In varias ſectiones diuiſum deprehendimus ab Auctore, ob ipſam huius phaenomeni diuerſam rationem. Sect. I. agitur de partu difficili et praeternaturali ob capitis molem. Poteſt vero nimia eſſe capitis in partu moles: 1) ſi peluis bene quidem conformata ſit, reliquo vero corpori non proportionata, 2) ſi peluis coniugatae peccent, 3) ſi caput in nimiam molem excreuerit, 4) ſi nimis arcta ſint et anguſta genitalia externa, 5) ſi capitis et peluis vel genitalium vitia coniuncta adſint, 6) ſi aliis vitiis dicta ſuperueniant. Facilis videtur ab initio hicce partus et ruptis demum velamentis ſiniſtra auſpicia

compa-

comparent. In tres gradus paragomphoſin di-
ſtinguit Noſter, ex temporis interuallo in partu
transacto, ex citiori lentioriue capitis deſcenſu et
compreſſione, eiusque mora ad aperturam peluis vel
ſuperiorem vel inferiorem, et ex dolorum vigore cet.
diſcrimen determinans. Modica omnia in primo
gradu ſunt et vel ſoli naturae totum negotium relin-
quendum, vel iſta quodammodo arte iuuanda erit,
nec tamen ad forcipum aliorumue inſtrumentorum
uſum confugiendum, quamquam illud a variis Cl. p. 203.
artis obſtetriciae magiſtris iniunctum ſit; hinc
etiam ſexcentas operationes in aliquot annorum de-
curſu felici ſucceſſu forcipibus abſolutas eſſe, facile
perſpici poſſe, affirmat, quia in facili hoc gradu
applicatae fuerint. Alter vero gradus natura nun-
quam, niſi funeſto omine, perfici poterit, hinc male
res noſtras gereremus ſi otioſi manere velimus;
hinc de forcipe cogitandum erit, ſi ſcilicet ex variis
ſignis cognoſcimus ulteriorem capitis compreſſio-
nem eſſe adhuc poſſibilem, quae ſi denegatur, noxia
erit forcipis applicatio. Praeſtat in ultimo hoc ca-
ſu praeſertim ſi de mortuo foetu certus ſit opera-
tor, extenuare caput perforatorio, ſi vero de vita
foetus dubius ſit, operatio caeſarea tutiſſimum, ſi
ob circumſtantias fieri poteſt, erit remedium. Ter-
tius gradus in quo vel ſuperior apertura peluis vel
inferior peccat, quod utplurimum a compreſſis
deformibusque peluibus oritur, de omni forcipis
ſucceſſu Cl. Auctor dubitat, hinc vel abdomen in- p. 209.
cidendum vel caput foetus perfodiendum erit.
Omnium medicamentorum pellentium, emollien-
tium, topicorum uſus ſuperfluus et noxius erit.
Non tamen omnium forcipum eadem eſt utilitas
idemque valor. Minus aptae ob iuncturam, rectitu-
dinemque brachiorum ſunt RVEFFII, PVISSEAV,
FRIEDII, BVRTON. Curuaturae, anſae et iun-
cturae, quamuis ſeparatim immitti poſſint brachia,

vario modo peccant in iis PALFYN, GILLES, LE DOUX, PETIT, GREGOIRE, SOUMAIN, DUSSE', MESNARDI, BINGII, ROONHUYSII. Praeſtant correctae factis feneſtris et curuatura ad foetus caput magis accomodata, a CHAMBERLINO, CHAPMANNO, GIFFARDO, FRECKESIO, GREGORIO filio, et LEVRETO, quarum iuncturas ulterius perfecit SMELLIUS, margines vero cochlearium feneſtratorum ingenioſe curuauit, peluique aptiores reddidit LEVRETUS, unde forſan PUGHII ortam eſſe cenſet. In caſu, ubi caput in peluis capacitate haeret, optimi uſus erit breuior ſeu minor SMELLII, quae tamen ob nimiam breuitatem non ſufficiet in eo caſu, ubi in ſuperiori apertura retinetur,
p. 213. hinc LEVRETI magna hic adhibenda erit. Quae in ipſa ferramenti huius applicatione obſeruanda ſunt, multis Noſter adfert.

Si vero comprimi nullo modo poſſit caput defixum, inſtrumento perforatorio utendum erit, quod iam a MOSCHIONE fuit adhibitum.

Inſeruiunt vero perforando capiti *Forfices*, vel vulgaris, vel melius *Bingiana, Smelliana, Wallbaumiana* curua; *ſcalpellum* theca tectum; *perforatoria* MAURICELLI et MESNARDI, quae tamen genitalibus infeſta eſſe poſſunt, et *Simpſonianum; terebrae occultae, Denyſiana, Ouldiana, Fridiana*; vel et ſolis digitis, ſi putris fuerit foetus, fontanella perforari poteſt. Impediendum eſt, ne, oſſiculis cranii ad ſe inuicem accedentibus, facta apertura rurſus collabatur, et via effluenti cerebro praecludatur. Imprimenda hinc digito ſuadet Auctor oſſicula haec, ut late hiet foramen. Suadent alii forcipes ad valida oſſa diffringenda, ut HIPPOCRATES, ALBUCASIS, SCHURERUS, MESNARDUS, MITTELHAUSERUS. Serram huic ſcopo accommodatam adhibet FRIDIUS, forficem ſuam WALLBAUMIUS. Si perforato cranio, uteri contractiones caput non

propel-

propellunt, cochleari cerebrum eximendum, caputque vel manibus vel forcipe quadam prehenſum extrahendum, quod et unco ſimplici in foramen occipitis magnum vel in orbitas defixo, vel duplici *Mesnardiano* aut *Smelliano* correcto effici poterit. Commendantur et ad hunc uſum, quamuis perperam, *Capititraha* MAVRICELLI ingenioſe excogitata, item *Burdoniana*, et *faſciae*. *Vnci* ſoli vel ob vulneris, quod infligunt, anguſtiam, vel ob metuendam laeſionem partium, penitus reiiciendi. Quam igitur in prima editione omiſerat, ſuis rationibus commotus, inſtrumentorum applicationem, fuſius hic tradidit, et docte ac ſolide de eorum vero ac genuino uſu diſputauit, ne iniqui cenſores ipſum ulterius reprehendere poſſint. Reliqua capita, ne iuſto ſimus longiores in recenſendo, adducere fuſius non poſſumus. Hinc ſummam tantum modo eorum tradamus, Lectoribus pro certo affirmantes, omnia ea, quae in iis tradidit Cl. ROEDERER, ſummi uſus ac ſummi ingenii eſſe. Sect. II partus difficilis, ob ſitum uteri obliquum, multis explicatur, nitideque afferuntur, quae in tanto malo ſint praeſtanda operatori. Sectio III exhibet difficilem partum, ob iniquum capitis ſi- p. 255. tum, quo facies vel verſus oſſa pubis dirigitur, vel prima offertur, vel alterutrum os iſchiorum reſpicit. Sectio IV continet difficilem partum propter p. 260. impedimentum quoddam in corpore foetus praeſens. Huc funiculus quandoque umbilicalis circa collum foetus contortus, vel nimia funiculi breuitas, vel nimis lati humeri, vel brachia dorſo decuſſatim incumbentia, vel abdomen foetus aere vel liquore tumidum, vel membra foetus ſuperflua et duplex foetus referenda ſunt. Sect. V partum difficilem ob uteri vel vaginae vitium explicat. Conſtrictus uteri vel vaginae ſphincter retardat partum, et uteri vel vaginae prolapſus, vel iſtius in-

uerſio nocent. Sect. VI. Auulſum ab reſtante corpore caput ſiſtit.

Cap. XVIII. Partus difficilis et praeternaturalis ob aliam corporis partem, praeter caput, praeuiam, deſcribitur. Sect. I. agripparum partum; Sect. II genua ad os uteri conuerſa; Sect. III clunes praeuias; Sect. IV foetum in transuerſum iacentem explicant. Poteſt vero transuerſus foetus offerre collum, humeros et ſcapulam, brachium, pectus, abdomen et hypochondria, dorſum, ilia. Sect. V. definit, quomodo caput intra matricem relictum
p. 307. ſit excutiendum. Ad hoc praeſtandum interdum manus ſola ſufficit, ſi pollex faciei imponitur, medius et index per os ad occipitis foramen magnum immittitur, et ſic agitando caput ſoluitur. Si vero ob diſruptum fulcimentum praeſtari hoc non poteſt, vel *forceps longa et curua* vel *tribrachialis* LEVRETI uſus erunt maximi. Interdum et iuuabit, ſi nimis magna moles capitis fuerit, perforare illud et eliminato cerebro in minorem molem comprimere. Vncini uſus hic commendari nequit, cum defixio eius in caput non firma eſſe poſſit. Capititrahae MAVRICELLI ac BVRTONI, quamuis aptiores ad extrahendum caput relictum quam totum corpuſculum videantur, fallere tamen poſſunt: *marſupia* GREGORII et AMANDI ingenioſe quidem inuenta, applicationis tamen difficillimae deprehenduntur; *Fundae* MAVRICELLI, WALDGRAVII, DIONISII *van der* STERREN, ROONHVYSII, CHAPMANNI, PLEVIERII, RATHLOVVII eadem labe laborant. *Faſciae* SMELLII et BVRTONI elaſtico ſtilo munitae, faciliores licet deferantur, vix tamen ad caput volubile firmari poterunt.

p. 314. Cap. XIX. Partus difficilis et praeternaturalis propter funem umbilici excidentem,

Cap. XX propter ſanguinis fluxum,

Cap. XXI propter parturientis conuulſiones, explicatur.

Cap. XXII de gemellorum partu,

Cap. XXIII de abortu,

Cap. XXIV. Sect. I. de mola, Sect. II. de conceptu ſpurio Cl. Auctor diſputat.

Inſolitas conceptionis partusque vias et ſequelas recenſet Cap. XXV. in Sect. I. Foetum extra uterum haerentem Sect. II. Foetum ſolita via utero non excluſum tradit.

Diſſectio foetus in utero Cap. XXVI et ultimo demum partus caeſareus exponitur.

Accedit locupletiſſimus index, Cl. MÜLLERI, Profectoris Goettingenſis ſtudio elaboratus, quo utiliſſimus hic et nunquam ſatis commendandus libellus, utilior adhuc quodammodo factus fuit.

X.

PHIL. CONR. FABRICII, M. D. Ser. Duc. Brunſw. et Lüneb. Conſ. Aul. Medic. Prof. etc. Enumeratio methodica plantarum horti medici Helmſtadienſis; ſubiuncta ſtirpium rariorum vel nondum ſatis extricatarum deſcriptione. Helmſtadii, litteris Ioh. Drimbornii. 1759. 8. pl. 15. cum dimidia.

Qui munere et praecipue in adornando excolendoque medico horto Ill. HEISTERO ſucceſſit Cl. Auctor, etiam Clar. illius Viri veſtigia in hac elaboranda ac euulganda enumeratione plantarum preſſit et ſecundum ſyſtema plantarum generale ab Eodem iam an. 1748 euulgatum diuitias Helmſtadienſis horti diſpoſuit atque exornauit; et licet ab HEISTERO nouiter condita atque aſſumpta genera, vel ab eodem mutata nomina non ubique aſſumſerit,

rit, tamen ex hoc ipſo libello plenius tandem cognoſcimus et uno quaſi intuitu videre poſſumus eas omnes mutationes, quas pro ſuis et ſibi ſancitis regulis botanicis in re herbaria, non optimo ſemper conſilio, fecerit HEISTERVS. De methodo ipſa nihil dicemus; cum eadem iam ſatis cognita ſit; monemus modo Cl. Auctorem, qui ex *Flora Butisbacenſi* dudum inter botanicos veriores locum obtinuit, plantas in horto Helmſtadienſi cultas, florentes, rariores praecipue, quoad florem et fructum ſollicite examinaſſe, et cum deſcriptionibus ac iconibus aliorum comparando, in ordinem HEISTERI redigiſſe, eaque de cauſa euulgaſſe, ut loco hodegetae acceſſorii in demonſtrationibus plantarum publicis inſeruiret. Non vero ad ſyſtema HEISTERI ſolum modo reſpexit, ſed et LINNAEI methodum cum eodem combinauit, et varias ad eandem emendandam illuſtrandamque obſeruationes propoſuit. Nullam, ut ipſe dicit, plantam recenſuit, quae vel in horto non proſtaret, vel in agro vicino non creſceret, pauciſſimis exceptis, quas methodi cauſa nominare coactus quaſi fuerit; has tamen ubique indicauit, uti et officinales plantas ſingulariter notauit; ut plurimum etiam ſynonyma quaedam adpoſuit, in quibus vero dubium ipſi ſuperfuit, ſola nomina Heiſteriana, vel illa, ſub quibus quondam miſſae fuerunt, adhibuit; quasdam etiam, quae nondum floruerunt, ſupereſſe monuit, quarum characterem cum determinare nunc non potuerit alia occaſione in mantiſſa deſcribere et recenſere allaborabit.

Quo vero accuratius innoteſcat Cl. Auctoris in re herbaria cognitio, non nullas ex deſcriptis his plantis ſeorſim nominare, et obſeruationes quasdam ſpeciminis loco adducere, operae pretium eſſe
p. 8. putauimus. Inter *Aloes* ſpecies unam adduxit ſenſitiuam dictam, quae ſcilicet attactu manuum labem

bem breui contrahit. *Sprekeliae* nouam deſcripſit p. 9. ſpeciem, cuius ſpatha biflora, petala ſex rubra ſtriata, tribus exterioribus aequalibus maioribus, interioribus minoribus, non ſatis aequalibus, ſtamina initio mire tortuoſa, folia poſt florem erumpentia, plana, ſtriis luteis longitudinalibus notata. In *Commelina annua* ſaponariae folio calicem triphyl- p. 11. lum album, corollam dipetalam, ſtamina duo antherifera, et nectaria quatuor cruciformia inuenit. *Ruſco myrtifolio* calicem vel corollam viridem, ere- p. 20. cto patentem foliolis tribus exterioribus maioribus, totidemque interioribus anguſtioribus, nectarium purpuraceum ouatum inflatum, ore dehiſcens, antheras tres nectario inſidentes, et intra nectarium ouarium oblongum, ſtylo ſimplici ornatum, hinc florem hermaphroditum non dioecum tribuit. *Limoniaſtrum* calicem gerit cylindraceum, quinque p. 25. cuſpidatum, corollam monopetalam ſtriatam, inferne tubuloſam, quinquefidam, ſtamina corollae intus adnata, ſtylum tenuem, in ſummitate in aliquot filamenta diſſectum. *Camphoratae afric. umbella-* p. 26. *tae* calix eſt incuruus, in quinque inaequales lacinias diſſectus, corolla in quatuor lacinias reflexas diuiſa, quarum una latior in duas minores ſubdiuiſa, ſtamina quatuor duobus breuioribus, ſtylus ſimplex. In *Collinſonia* non ſolum laciniam corol- p. 27. lae maximam in capillares fibras diuiſam, verum et unam alteramque ex minoribus laciniis denuo in alias minores ſubdiuiſam vidit, et in deſcriptione data nullam glandulam commemorauit. *Phlomidi* ſimilis incana candida planta, *Nauiculariae* nomine p. 48. inſignita, ad verticillos florum duo gerit rotunda acuminata folia, ſpeciem nauiculae praebentia, calicem monophyllum quinquefidum, corollae galeam bifidam, barbam trifidam, lacinia media nonnunquam ſubdiuiſa, ſtylus tubam refert, ex membrana conuolutam cylindraceam, ſuperne laciniatam.

p. 70. tam. *Cichorei ſpinoſi* calix cylindricus ex quinque
modo ſquamis conſtat, cui aliae octo inaequales
minores incumbunt, et flos ex quinque modo flo-
p. 73. ſculis componitur. *Othonnae* ſingularis ſpecies,
fruteſcens floribus coeruleis, ſemper virens et florens,
folia habet oblongo rotunda, denticulata, utrin-
que aſpera, flores ſolitarios, ſemifloſculos coeru-
leos, vix denticulatos, piſtillatos, diſci autem lu-
p. 83. teos. *Calendula afric. bellidis folio ſucculento* ut no-
uam ſpeciem deſcripſit, quae magnam ad altitudi-
nem ſcandit, ramoſa, et pedunculum calicemque
aſperum hirſutum, ſemifloſculos extus violaceos,
intus candidos, tridentatos, ſtylum in his bifidum
oſtendit, qui vero in tubuloſis in ſummitate tuber-
culoſus eſt, ſemina horum utrinque alata, illorum
p. 90. anguloſa, non nihil incurua. *Gomphrenae* characte-
rem paulo aliter deſcripſit: Perianthium ſcilicet du-
plex, exterius duobus maioribus nauiculatis alatis
foliis, interius quinque anguſtis foliis conſtans, co-
rolla monopetala limbo decemfida inſignita. *Car-*
p. 91. *lina acaulos* ſole radiante et aere ſicco aperta, aqua
p. 113. affuſa ſe ſtatim contrahit. In *Chelone flore albo* ca-
licem ex octo foliolis latis acuminatis, ſquamatim
ſibi incumbentibus conſtare, corollae labium infe-
rius in tres breues lacinias ſectum, lacinia qualibet
iterum bifida, ſtamina quatuor ductu ſerpentino
curuata, quatuor antheris magnis inter ſe coalitis
donata, quinto breuiori foliaceo, anthera deſtitu-
to; in ſpecie vero *flore purpureo* labium inferius co-
rollae profundius trifidum eſſe, nec ſubdiuiſum ob-
p. 123. ſeruauit Cl. Auctor. *Andrachne procumbens herba-
cea* in florum charactere cum deſcriptione LIN-
NAEI conuenit, in ſpecie vero *erecta arborea* peri-
anthium in utroque flore nullum adeſt, corolla mo-
nopetala quinquefida, ſtyli tres tuberculati, oua-
rium circulo exiguo membranaceo cinctum, et fru-
ctus ex quinque vel pluribus ſeminibus, baſi com-

muni

muni affixis conſtans. In *Iatropha fol. palmatis dentatis aculeatis* LINN. flores unius eiusdemque umbellae omnes hermaphroditos inuenit, in aliis vero corymbis ſimiles flores, ſed ſtaminibus deſtitutos, ouario inſigniori praeditos, cuius ſtylus ſimplex trifidus erat quolibet filamento in ſex alia ſubdiuiſo femineis his floribus pauci quoque hermaphroditi ſunt intermixti. *Cereum* non icoſandram, ſed polyandram plantam eſſe, bene Cl. Auctor monuit, in *Surinamenſi* calicis lacinias 24, corollae ſegmenta 28, ſtamina 773 et ſtigmata 15 numerauit. In *Aralia caule aculeato* baccam trigonam triloculares, in *Canadenſi* quinquelocularem obſeruauit. Noua planta, quam nomine *Berberis* capenſis ſemper virentis adduxit, ſpinas gerit magnas albas, folia buxo ſimilia, flores racemoſos, calicem minimum, corollam hexapetalam albam, fructumque globoſum glabrum durum trilocularem, quo charactere ad Celoſtrum LINN. proxime accedit. *Aphanes* LINN. quia ſtylum ex baſi ouarii aeque ac Alchimillae ſpecies emittit, et ſaepe unicum ſemen profert, non peculiare genus conſtituere, bene monuit. In *Achyranthe* calicem foliolis nonnullis circumdatum, nullam vero corollam deſcripſit. *Borboniae* PLVM. calicem paruum, perſiſtentem, pentaphyllum, corollam pentapetalam, ſtamina quinque, ouarium globoſum, ſtylum breuem, in ſummitate tuberculoſum tribuit, et cum nulla corpuſcula, filamentis annexa deſcripſerit, omnino a Lauro aſſet diſtinguenda. *Tinum flore pleno* adduxit quidem Cl. Auctor, aſt non Tinum eſſe, calicem in nouem vel decem lacinias diuiſum, petala decem et plura, ſtamina duodecim et plura, ſtylumque breuem craſſum, ſuperne tuberculoſum, quinque ſtriis in ſummitate diſtinctum gerere, et forte *Calmiae* ſpeciem eſſe affirmauit. Nos forte *Cluſiae* ſpeciem eſſe coniicimus, eiusmodi enim fruticem,

p. 129. p. 189. p. 191. p. 192. p. 197. p. 198. p. 212. p. 216.

numero

numero partium variantem colimus, quo cum de-
p. 222. ſcriptio data proxime conuenit. *Toxicodendron foliis pinnatis integerrimis* certo tempore copioſum humorem gummoſum fundit, et in hac ac *triphylla* ſpecie non flores dioecios, ſed ſemper hermaphro-
p. 232. ditos vidit. Ita *Ceratonia* quoque, ut ipſi ſaepe obſeruauimus, non dioecia eſt, ſed flores omnes per-
p. 233. fecti. Ad definitionem *Galeniae* LINN. monuit, ouarium quidem piloſum ſed ſtylis deſtitutum ſeſe obſeruaſſe, ideoque planta monandra monogyna erit. *Lentiſcum* flores maſculinos et femininos in eadem planta gerere, hinc monoeciam eſſe ſcripſit.
p. 236. In *Cupreſſo meta in faſtigium conuoluta* utriusque ſexus flores vidit, maſculis ſerius apparentibus et pollinem copioſum ſpargentibus; huius autem embryones ad perfectionem non peruenerunt, cum e contrario *Cupreſſus ramos extra ſe ſpargens*, licet in eodem flores femininos modo huc uſque obſeruare potuerit Auctor, hi tamen fructus perfectos protulerunt a maſculo polline prioris ſpeciei forſan foecundati.

Cl. HEISTERI nomina generica, cum ex ipſis Eiusdem ſcriptis non omnia intelligi et ſuis propriis plantis imponi poſſint, ex Cl. FABRICII libello adducere, non inutile eſſe iudicauimus; En itaque ſequentem Catalogum.

Hyacinthoides	p. 2.	Hyacinthus.
Tuberoſa	—	Polyanthes *Linn.*
Narciſſulus	p. 4.	Narciſſi ſpecies.
Brunſvigia	—	Amaryllis.
Aloaſtrum	p. 5.	Aloe americ. muricata.
Spreckelia	p. 9.	Amaryllis corolla irregulari.
Stellaſter	p. 13.	Hyacinthus ſtellaris bifol. *C. B.*
Niuaria	p. 15.	Leucoium *Linn.*
Iriaſtrum	p. 17.	Iris bulboſa.
Calceolaria	p. 19.	Calceolus *Tourn.*

Valenti-

Valentinia	p. 19.	Vnifolium *Dod.*
Salomonia	p. 20.	Polygonatum *Tourn.*
Limoniaſtrum	p. 25.	Limonium afric. fruteſc.
Sphaerocarpus	p. 28.	Rapiſtrum fol. auricul. *Tourn.*
Chemnizia	—	Lagoecia *Linn.*
Dillenia	p. 31.	Sherardia *Dill.*
Cicutaſtrum	p. 34.	Cicutaria latifol. foetida *C. B.*
Caucaloides	p. 36.	Caucalis ſeminibus tuberculatis.
Myrrhoides	p. 37.	Myrrhis nodoſa annua *Moriſ.*
Chaerophyllaſtrum	—	Odorata *Riv.*
Cicutaria	p. 40.	Conium *Linn.*
Wepferia	—	Ethuſa *Linn.*
Vmbilicaria	p. 42.	Omphalodes *Tourn.*
Horſtia	p. 46.	Saluia ſpica pendula.
Sclareaſtrum	—	Sclarea arboreſc. calice campanulato *H. Walth.*
Schraderia	p. 47.	Gallitrichum *Riv.*
Iungia	—	Sclarea maxima facie heliotropii *Dill.*
Glutinaria	p. 48.	Horminum glutinoſum *C. B.*
Nauicularia	—	Phlomidi fruticoſae ſimilis.
Cannabinaſtrum	p. 49.	Galeopſidis ſpecies.
Lamiaſtrum	p. 51.	Galeobdolon *Dill.*
Polymorpha	p. 53.	Meliſſa bugulae fol. *Dill.*
Volcameria	p. 55.	Dracocephalum fol. compoſitis *Linn.*
Hederula	p. 56.	Hedera terreſtris off.
Mappia	p. 58.	Marrubiaſtrum *Tourn.*
Zwingeria	p. 59.	Ziziphora *Linn.*
Hofmannia	p. 61.	Dictamnus montis Sipyli.
Plantaginaſtrum	—	Aliſma *Riv.*
Sagittaria	—	Sagitta *Linn.*
Pancouia	p. 64.	Comarum *Linn.*
Fragariaſtrum	—	Fragaria ſterilis *Rai.*
Helleboraſter	p. 66.	Adonis perennis.
Hieraciaſtrum	p. 68.	Helminthoteca *Vaill.*

Virga argentea	p. 71.	After Linariae fol.
Heleniaſtrum	p. 78.	Helenia fol. decurrentibus *Linn.*
Calendulaſtrum	p. 82.	Calendula afric.
Draconia	p. 89.	Draco herba *Dod.*
Acanthium	p. 91.	Onopordon *Linn.*
Moſcharia	p. 95.	Cyanus odoratus.
Lychnoides	p. 104.	Lychnidis ſpecies.
Cucullaria	p. 105.	Lychnidis ſpecies.
Galiaſtrum	p. 108.	Mollugo *Linn.*
Veronicella	p. 111.	Veronicae ſpecies
Veronicaſtrum	—	Veronicae ſpecies.
Conuoluulaſtrum	p. 120	Conuoluulus erectus.
Specularia	p. 121.	Speculum veneris *Rai.*
Ericoides	p. 131.	Tetralix *Rupp.*
Ficula	p. 134.	Ficoides *Tourn.*
Stiſſeria	p. 137.	Stapelia *Linn.*
Apocynaſtrum	p. 139.	Apocynum *Linn.*
Ranunculaſtrum	p. 148.	Trollius *Rupp.*
Althaeaſtrum	p. 149.	Althaeae ſpecies.
Malueola	p. 152.	Maluinda *Dill.*
Münchhuſia	p. 154.	Ketmia americana.
Perſpicillum	p. 158.	Biſcutella *Linn.*
Lochneria	p. 160.	Heſperis ſiliqua longiſſima.
Conringia	—	Braſſica ſiliqua quadrangulari.
Gakenia	p. 161.	Heſperis ſiliqua tricuſpidi.
Schelhammeria	—	Heſperis ſiliqua Cornu Cerui.
Lathyroides	p. 164.	Clymenum *Tourn.*
Bituminaria	p. 165.	Trifolium bituminoſum.
Ornithopodioides	p. 167	Ornithopodium portulacae fol.
Meibomia	p. 168.	Hedyſarum triphyllum.
Acriſolium	p. 181.	Aquifolium *Tourn.*
Pentagonia	p. 184.	Alkekengi flore violaceo.
Echinocactus	p. 188.	Melocactus *Cluſ.*
Burcardia	p. 190.	
Ouaria	p. 193.	Melongena *Tourn.*

Lycomela

Lycomela	p. 194.	Lycoperſicon *Tourn.*
Solanaſtrum	— —	Solanum ſpinoſ. fl. borraginis.
Bryoniaſtrum	p. 195.	Sicyos *Linn.*
Knauthia	p. 198.	Scleranthus *Linn.*
Pſittacaria	— —	Amaranthus tricolor.
Veslingia	p. 201.	Aizoon *Linn.*
Mercuriaſtrum	p. 202.	Acalypha *Linn.*
Blitoides	p. 203.	Blitum *C. B.*
Vrticaſtrum	p. 204.	Vrtica non urens.
Echinaria	p. 206.	Cenchrus *Linn.*
Perlaria	— —	Aegilops *Dod.*
Flauia	— —	Anthoxanthum *Linn.*
Auenaria	— —	Bromus *Linn.*
Miliaſtrum	— —	Gramen miliaceum.
Panicularia	p. 207.	Poa *Linn.*
Tremularia	— —	Briza *Linn.*
Feſtucaria	— —	Feſtuca *Linn.*
Digitaria	— —	Dactylis *Rai.*
Plumaria	— —	Linagroſtris *Tourn.*
Lachrymaria	p. 208.	Coix *Linn.*
Farneſia	p. 212.	Laurus Indica.
Oleaſter	p. 214.	Elaeagnus *Tourn.*
Piperodendron	p. 218.	Schinus *Linn.*
Cornulus	p. 219.	Cornus femina *C. B.*
Zederachia	p. 221.	Azedarach *Tourn.*
Saluiaſtrum	p. 231.	Tarchonanthi ſpecies.

XI.

Medical Obſervations and Inquiries. By a Society of Phyſicians in London. Vol. I. The ſecond edition, corrected. London. Printed for William Johnſton. MDCCLVIII. 8. mai. alph. 1. pl. 6. 5 tabb. aen. *.

h. e.

Obſeruationes et diſquiſitiones medicae, a ſocietate medicorum Londinenſium editae. Vol. I. Editio altera, correcta.

Prioris medicorum ſocietatis, quae ab anno huius ſeculi triceſimo tertio ad quadrageſimum quartum uſque Edimburgi ſuos edidit commentarios, exemplo excitati atque ducti, non nulli medici abhinc aliquot annis ſocietatem inter ſe conciliarunt Londini, ut, practicam artis medicae partem amplificaturi, morbos epidemicos iisque medendi methodum, prae reliquis utilem viſam, obſeruarent notarentque, nouaque inuenta, ad rem medicam pertinentia, ſiue Londini, ſiue exteris in regionibus, detecta, in primis, quae ſocietatis membra vel ipſa fecerint vel demum inueſtigarint, omni ſtudio colligerent. Exoptati etiam finis, quem ſibi propoſuerunt doctiſſimi illi medici, eo facilius potiri poſſunt, quo frequentiorem obſeruandi morbos habent occaſionem, quum eorum plures noſodochiorum publice conſtitutorum curam gerant, vel certe per longius aliquod iam tempus medicinam facientes, artis ſuae uſu ampliſſimo gaudeant Ab initio eum tantum in finem conueniebant, ut ſibimet inuicem inſeruirent alterque alteri, quaecunque demum

* Germanice quoque hoc anno 1759 prodiit hicce liber Altenburgi ſub titulo: *Mediciniſche Bemerkungen und Unterſuchungen einer Geſellſchaft von Aerzten in London.* 8. mai.

mum annotaſſet, communicaret. Paulo poſt tamen inſtituti ſui uſum atque limites, quantum poſſent, latius prolaturi, non ſolum plures medicos in ſocietatem recipiebant, ſed obſeruationes quoque ſuas colligere, edere ſimulque alios et exteros quoque medicos inuitare conſtituebant, ut literarum commercium cum ſociis inire ipſisque de re ſua medica, quicquid collegerint, impertire vellent. Eo maiorem etiam fructum inde expectare poterunt, quo maiorem eſſe conſtat mercaturam, per uniuerſas Europae partes ab Anglis dilatatam, cuius ope vel ex diſſitis terrarum locis et homines docti aeque ac mercatores ſupellectilis ſuae copiam augere poſſunt quam facillime. Vt exteris porro innoteſcat, ad quaenam ſocietatis membra doctos ſuos transmittant labores, vel demum epiſtolas, ſuis illa nominibus cuilibet commentario praefixis, adiecerunt domiciliorum, quae Londini habent, nomina. In colligendis vero edendisque obſeruationibus atque tentaminibus haſce ſibi propoſuerunt regulas, ut, apud medicos tantum inituri gratiam, ea quoque tantum ſeligant, quae medici ſint argumenti, omiſſis reliquis, philoſophiam atque matheſin ſpectantibus; ut ex iis porro, quos forte acceperint ab aliis miſſos, utiles modo notatuque vere dignos commentarios ſuis adiiciant; quam ob rem obſeruationes rite demum atque Hippocratica methodo conſcriptas, ſiue prorſus nouas, ſiue aliam adhuc nondum plane cognitam veritatem confirmantes aut illuſtrantes aut nouae tali eruendae occaſionem ſuppeditantes, recipient; aliis vel dubiae fidei, vel quorum uſus certe dubius eſt, ſepoſitis, donec ex earum multitudine aliquid elici poſſit utilitatis. Quum per errorem quoque commiſſum ſaepius detegamus veritatem, talibus tentaminibus, quae exoptato caruerunt euentu, vel relationibus de erroribus in ipſa morborum cura acidenti-

cidentibus fideliterque traditis lubenter concedent locum, auctoris nomine, is ſi poſtulauerit, tecto habito. Hypotheſes denique et controuerſias eruditorum, pompoſas ſaepiusque inutiles librorum allegationes, omniaque artis medicae augmento non, uti decent, utilia viſa, ex collectionum ſuarum limitibus excludent. Societatis itaque inſtitutum omnem promereri applauſum quilibet harum rerum intelligens perſpiciet, illumque omnino eo maiorem, quo grauius ab ipſa praeſtitae fidei documentum exhibet ſupra iam indicatus primus commentariorum tomus, anno 1757 editus, cuius nunc epitomen lectoribus noſtris tradituri ſumus.

p. 1. *Art.* 1. *Relatio de ſpaſtica maxillae inferioris contractione*, locked-Jaw *Anglis dicta, a digitorum quodam tendine dilacerato orta et curata; Societati die decembris decimo* 1753 *praelecta. Auctore* I. SILVESTER, *Med.* D. *Reg. Scient. Societ. Socio.* Femina quaedam trium et viginti annorum, caeteroquin ſana atque robuſta, cum iter faceret, triſtem in ipſa via experiebatur lapſum, quo caſu primus quarti digiti dextrae manus articulus fractus plane diuellebatur. Londinum eodem die reuerſae et in noſocomium peruenienti prima iſtius digiti phalanga illico amputabatur. Leuata quidem inde aegra, poſt paucos tamen dies de ſummis manus doloribus, ab altero etiam digiti articulo valde laeſo ortis, conquerebatur. Cutis enim illius cum ſubiecta parte carnoſa magis magisque retrahebatur, intumeſcebat tota manus inque eius palma aliquot ulcera ſerpebant. Quamuis autem aegrae quamcunque curam haberet chirurgus ipſique etiam venam ſecaret, die tamen a caſu decimo ſeptimo muſculi, qui maxillam eleuant inferiorem, adeo conuellebantur, ut neque os aperire nec alimenta aſſumere poſſet aegra, exceptis paucis fluidis, mediante cochlea-

cochleari inſtillatis, quum a natura promineret inferior maxilla ante ſuperiorem. Varia aegrae applicabantur veſicatoria, interne ipſi dabantur et alexipharmaca et volatilia, ſed cuncta ſine fructu, adeo ut motus iſti conuulſiui nunc fere fierent uniuerſales. Quam ob cauſam per decem dies ſatis largae doſes et tincturae et extracti opii exhibebantur; cuius quidem remedii ope ſupprimebantur conuulſiones, minime vero curabantur. Oſſiculi interim laeſi extima parte magis magisque denudata, totius digiti extirpatio conſulebatur; qua die morbi triceſimo facta, iſtorum quoque ſymptomatum cauſa videbatur ſublata. Illico enim ea reddebantur mitiora, uſuque opii continuato, ſed nunc parcius dato, ſenſim ſenſimque euaneſcebant, ita ut ſub initium tertii menſis aegra praeter aliquam maxillae mouendae difficultatem, prorſus curata dimitteretur. Annotat ſimul Cl. Auctor, quod aegra, opii uſui numquam olim adſueta, illius tamen largas doſes non ſine damno ſolum, ſed hoc etiam cum emolumento aſſumſerit, ut mentis uſus ſpirituumque vitalium actio hilarior, vox liberior, appetitus auctior unaque virium ſequerentur incrementum.

Art. 2. *Caſus quidam hydropis peritonaei per quatuor et quadraginta annos feminam quandam affligentis a* I. IACQVIN, *chirurgo*, ad Cl. SILVESTER, M. D. *relatus et ab hoc Societati communicatus* d. 7 Ian. 1754. Aegra vitae ſedentariae dedita, ſemper debilis, triceſimo iam aetatis anno per refrigerium, calido et ſudanti corpori admiſſum, variis ſymptomatibus, atque ex his tandem ſuborto hydropi occaſionem dederat, qui morbus ab initio lente modo creſcens, deinde per tam longam annorum ſeriem idem fere manſerat, nulli remedio cedens: paracenteſeos operationem vero aegra nunquam p. 8.

 permit-

permittens, aetatem tamen octoginta duorum annorum attigerat. Cadauer ipſius cultro anatomico
p. 11. ſubiectum ſequentia exhibuit annotanda: Illud ipſum ſumme emaciatum; integumenta abdominis, tria cubita anglica (*Yards*) craſſitie ſuperantis, quam maxime extenſa, umbilico prorſus obliterato peritonaei lamellas, quas vocat Cl. Auctor, a ſe inuicem ſeparatas, exterius laeues, interius hiſpidas et nodoſas, ſingulas vero craſſiores, ac in naturali ſtatu ambae ſimul ſumtae eſſe ſolent: cauitatem porro, a ſeparatis hiſce lamellis factam, 51 libris putidi, craſſi viſcidi atque ſalini laticis refertam, in cuius ambitu et fundo potiſſimum aliquod ſedimentum ſalinum, ſplendens cryſtallorum in modum, magnitudine ſeminis cannabis, figurae priſmaticae, reperiebatur: omentum inſuper tenuiſſimum: meſenterium glandulis ſcirrhoſis obſitum: ventriculum cum inteſtinorum canali valde contractum: reliqua autem viſcera ſana quidem viſa, ſed naturali magnitudine multo minora.

p. 13. *Art.* 3. *Epiſtola* ALEXANDRI RVSSELL, M. D. *ad* IOANNEM FOTHERGILL *Alepo data, in qua plantam Scammonii deſcribit.* Plantam, in prouincia Syria copioſiſſime creſcentem, cuius radicis ſuccus verum illud ſcammonium in officinis noſtris pharmaceuticis obuium exhibet, fuſe ſatis et accurate non deſcribit ſolum Cl. Auctor, ſed totam plantam cum ſingulis ipſius partibus in addita tabula delineat. *Conuuluulus* illa *foliis ſagittatis poſtice truncatis, pedunculis bifloris* appellatur a Cl. ROYEN uti et ab Ill. LINNAEO, a quo deſcripti etiam fructificationis characteres cum ipſa praeter hoc conueniunt, quod duo tantum ſemina reperiri in illa is afferat, quum ſaepius tamen tria, interdum etiam
p. 18. quatuor deprehendantur. Sub initium menſis iunii ſcammonium ipſum ita paratur, ut, terra ſuperiorem

riorem radicis partem circumdante in omni ipſius ambitu remota, ſuperiorem eius partem duos pedes infra caulis exortum oblique praecidant agricolae vaſculumque applicent, in quod ſuccus ille lacteus influit, qui deinde ex non nullis radicibus collectus infunditur in ocream, in qua breui tempore dureſcit verumque eſt ſcammonium, quod iudaei in primis emant variisque rebus, tritici v. c. farina, cineribus aut arena additis adulterant, ita ut ſcammonium ad nos rariſſime apportetur purum. Succum quidem eſulae non nunquam etiam admiſceri Cl. Auctor audiuerat, ſed per undecim annorum ſeriem, quo tempore medicinam fecit Alepi ſcammonioque, ut tuto atque valenti remedio, frequenter uſus fuit, hancce adulterationem detexit nunquam. Scammonium, ſi purum ſit, debet eſſe p. 21. leue, ſplendens, quando frangitur, friabile, et digito madido prehenſum illico lacteſcens. Optime vero, an aliqua fraus commiſſa fuerit, ex abſentibus bonitatis ſignis detegitur: bonum enim illud eſt ſi, vitro aqua repleto inditum cito ſoluatur, lacteum induat colorem in viridem aliquo modo vergentem, eumque, licet aliquod exhibeat ſedimentum, tamen retineat.

Art. 4. *Relatio de infante, cuius viſcera abdominis maximam partem in thoracis cauitatem protruſa fuerunt Auctore* GEORGIO MACAVLAY, Med. D. *Societati praelecta* d. 27 *Ianuar.* 1754. p. 26. Infans, iuſtam magnitudinem adeptus, obeſus atque toroſus, a matre ſana in lucem editus, quum modo natus eſſet, horrore atque tremore correptus, difficulter ducens ſpiritum et poſt aliquod demum tempus edens eiulatum ab illo, qui alias a recens natis infantibus obſeruatur, plane diuerſum, moriebatur ante, quam duas modo horas vixiſſet. Aperto cadauere, ventriculum et inteſtinorum maximam par-

tem cum liene et pancreatis parte, per rimam in diaphragmate obuiam, unum pollicem ab oeſophago diſtantem, vi nulla factam, ſed naturalem viſam, in thoracis cauitatem ſiniſtram tranſiiſſe partesque ibi naturaliter collocatas dextrorſum protruſiſſe, reperiebat Cl. Auctor, omnium viſcerum praeterna-
p. 31. turalem ſitum multo ſtudio deſcribens. Alium porro prorſusque ſimilem priori caſum, d. 27 Ian. 1755 ſocietati communicatum, refert, qui ab altero ea in re modo diuerſus fuit, quod illa viſcera abdominis in dextra cauitate thoracis reperta fuerint. Accuratam harum partium cum praeternaturali earum ſitu delineationem in duabus additis tabulis Cl. Auctor exhibet.

p. 36. *Art.* 5. *De ſingulari febris alicuius curatione relatio*, *a* GOWIN KNIGHT, *Med. Baccalaureo et Reg. Scient. Societ. Socio*, d. 18 *martii* 1754 *praelecta.* Femina triginta annorum, per febrim, quae continua fuiſſe ex relatione videtur, ſemel iam curatam, poſt refrigerium corporis autem redeuntem, viribus adeo fracta, ut lecto inſidere non poſſet erecta ſine lipothymiae metu, praeter alia maligna ſymptomata et hoc experiebatur, quod, in ſomnum prolabens, illico euiligaret ſummo angore defatigata, ab ipſa morte quaſi proxima. Singularis huius phaenomeni eam eſſe ſuſpicabatur Cl. Auctor cauſam proximam, quod muſculi reſpirationem perficientes ſic dictae actionis inuoluntariae, in ſomno agant ſoli, ad hanc vero actionem in tam debili aegra non ſufficerent haecque ideo in ſuffocationis periculum adduci videretur. Hoc itaque capiebat conſilium, ut lecto adſidens obſeruaret aegram eamque in ſomnum incidentem, ſimul ac reſpirationem et pulſum ipſius ceſſare animaduerteret, illico expergefaceret. Recte quoque ſe iudicaſſe, per euentum conuincebatur. Ab initio

vix

vix per unam horae minutiam ſomno frui aegra poterat, quum expergiſci deberet: quum interim tamen ſaepius faciliusque in ſomnum incideret, ſenſim ſenſimque recuperabat aliquo modo vires, ut paulo longiorem ſomnum capere poſſet hocque remedio tandem eo perueniret, quo morbum vincere et integrae ſanitati reſtitui poſſet.

Art. 6. Inconſueta podagrae criſis a SAMVELE PYE, *M. D. d.* 13 *Maii* 1754 *ad Societatem relata.* p. 42. Digniſſimus omnino videtur eſſe caſus, cuius praecipua hic loci repetamus. Aeger praeter podagram, qua ſaepius iam fuerat afflictus, caeteroquin ſanus atque boni corporis habitus, ſobrius ſibique temperans, ut a podagra prorſus liberaretur, ab omni carnis uſu ſeſe abſtinere victuque tantum vegetabili uti conſtituebat. Podagrae autem paroxyſmo, tametſi leuiore, praeter ſpem redeunte, poſt undecim ſeptimanas ad priorem diaetam carnoſam redibat. Paucis vero menſibus elapſis, paroxyſmus reuertebatur in utrumque pedem cum multo atrociore violentia. Dolor, per duodecim uſque dies ſenſim ſenſimque vehementior factus, ſubito fiebat atrociſſimus; ſummum autem vehementiae gradum adeptus, citiſſime et fulminis inſtar, uti aiebat aeger, ex pedibus ad ſuras, ex his in utraque femora, ex his vero in abdomen, inteſtinis acutiſſimo ſenſu tactis, tandemque in ventriculum euolabat, prioribus partibus, quas occupauerat, liberis relictis. Nunc demum euaneſcebat dolor omnisque morbi paroxyſmus, poſtquam libram unam ſemis virideſcentis aquoſi laticis, tam acris atque acidi, ut fortiſſimo minerali acido ſimilis eſſe videretur, aeger euomuerat. In ſomnum is deinde incidebat adeo reficientem, ut euigilans praeter aliquem tumorem pedum ab omni morbo liber, poſt duos dies exſpatiari ſuisque vacare poſ-

ſet

p. 46. ſet officiis. Per totum paroxyſmi decurſum omni mane copioſum foetidiſſimumque experiebatur ſudorem, induſia croceo colore tingentem; urina eius quoque purpureum rubroque vino ſimilem oſtendebat colorem; quae vero ſigna poſt criticum iſtum vomitum cum ipſo morbo emanebant. Similes deinde paroxyſmos, at leuiores, per eandem criſin ultima tamen vice parciſſimam materiam eiicientem, ſublatos, duobus annis inſecutis aeger perferebat, ſemper inde hilari ſanitati redditus.

p. 48. Alio tempore aliisque paroxyſmis conſueto, nec iam enarrato ſimili, modo terminatis, calcarea materia in pede a natura non ſolum excreta, ſed ſimiles quoque lapilli ex planta pedis iuxta pollicis articulum per plures menſes arte extracti fuerant. Poſt aliquod tempus, praegreſſa febre, poſt hanc podagra reuertens vomituritiones quidem, ſed inanes tandemque tumorem ſub pollicis articulo fluctuantem efficiebat, quo inciſo fluidae materiei calcareae copia et altero die vulnere ampliori facto, dimidia libra aquoſae, ſanguinolentae lapidibusque refertae materiae excernebatur, aegro ab illo tempore perfecte ſano permanente.

p. 51. *Art.* 7. *Inferioris maxillae ſpaſticae contractionis feliciter curatae caſus, a* IOANNE CLEPHANE, M. D. *et Reg. Scient. Societ. Socio relatus atque Societati praelectus d.* 12 *April.* 1754. Priori, quem iam ſupra articulo primo enarrauimus, admodum ſimilis eſt hicce caſus, praeter id, quod dirus iſte morbus a clauo quodam grandi inter duo extrema metatarſi oſſa per totum fere pedem infixo ortum ſuum duxerit.

p. 63. *Art.* 8. *Relatio de morbis epidemicis in urbe Gambroon frequentiſſimis, a b.* OLIPHANT, M. D. *conſcripta et per* IOANNEM HARDCASTLE, *ab Ill. Socie-*

Societate in India occidentali negotiante conſtitutum chirurgum, cum Cl. FOTHERGILL, M. D. *communicata.* Sunt iſti morbi, veris et autumni tempore quam maxime ſaeuientes, ex genere febrium intermittentium, quae ab initio ſui continuas aemulantur. Moderatum regimen, ab ipſo primo inſultu lene emeticum, raro venaeſectionem, et, aliqua interueniente intermiſſione, tempeſtiuum corticis chinae uſum vel, ſi quis eum in hoc caſu dare reformidet, elixirium vitrioli cum remediis amaris requirunt. Euacuantia fortiora vires infringunt ideoque nocent.

Art 9. *Relatio de verme quodam, in hepate generato, in epiſtola* THOMAE BOND *ad* IOANNEM CLEPHANE, M. D. *Philadelphia die* I *Maii* 1754 *data.* Vidua quaedam honeſta, per duodeuiginti menſes ante ſuum obitum diriſſimis in regione hypochondrii dextri doloribus excruciabatur. Ab initio apis vel acus ictui erant iſti ſimiles, ſenſim ſenſimque auctis, modo hypochondrii dextri, modo ſcapulae eiusdem lateris regionem alternatim occupabant, ſub finem vero tam atroces facti, ut cum morſu grandis canis eos compararet aegra. Ab equitatione leuaminis aliquid percipiens, eo autem maiores experiebatur cruciatus, quando in lecto iacebat. Quodſi manu percuteretur dolens pars, per tempus aliquod eam deſerebant dolores, paulo vero poſt aliam, vel ſcapulam, vel hypochondrium, afficientes, prout haec aut altera pars vapulauerat. In eo loco, ubi dolores ſaeuire coeperant, quinque pollices a ſpina dorſi, coſtae ſenſim ſenſimque adeo protuberabant, ut gibber efficerent, ſub quo, integumentis externis tumefactis atque valde dolentibus, fluida quaedam materies inter muſculos intercoſtales fluctuans deprehendebatur; inciſionem tamen aegra permittere nolebat. p. 68.

Tandem

Tandem vero locum mutabant dolores, a dextro latere ad ſiniſtrum progredientes, donec ventriculum affligerent. Et hic quoque loci lancinantes erant, uti in hypochondrio fuerant, et vomiturítiones vix non perpetuas tuſſimque excitabant vehementiſſimam. Subito autem ſub finem morbi omnes euaneſcebant dolores, et poſt quatuor et viginti horas anterior pars nouem pollices longa et unum lata vermis annularis, poſt alias vero ſex horas reliqua eiusdem vermis pars viginti pollices longa per anum excernebatur: Vermis autem ipſe ſanguine refertus, et colore quoque ruber erat. Nunc vero cum doloribus atque vomitu deglutiendi facultas peribat et miſera aegra poſt 48 horas exſpirabat. De praeſentia viui cuiusdam animalis atrociſſimos iſtos dolores lancinantes efficientis ſemper, dum viueret, prorſus conuicta, corporis ſui poſt mortem imperauerat ſectionem anatomicam;
p. 71. qua facta, hepar naturali magnitudine multo maius, ex parte ſcirrhoſum, et ſiniſtrorſum protruſum, in conuexa vero eius parte inaequali et arroſa, inſignis deprehendebatur cauitas aquoſo et ſanguinolento latice cum ſanguine grumoſo repleta, a cuius latere alius erat locus excauatus duos pollices latus, ex quo via ſatis ampla ad ductum hepaticum ducebat, cuius in duodenum inſerti exitus tam amplus erat, ut candelae ſebaceae magnitudinem aequaret. Veſica fellea ouo anſerino ſimilis, bile repleta, licet preſſa, vix tamen aliquid bilis per ductum cyſticum multo anguſtiorem factum emittebat. Nullum itaque ſupererat dubium, vermem iſtum ab initio forte cum cibo aut potu deglutitum, ex duodeno per ductum hepaticum tranſiiſſe in hepar ibique domicilium ſuum per adeo longum tempus feciſſe, deinde vero per easdem vias reuerſum, tandem per anum ex corpore proſcriptum fuiſſe. Vermis huius pars poſterior in addita tabula

bula aenea delineata ſiſtitur, reliqua per incuriam adſtantium reiecta. Similem autem iſtum fuiſſe illi, qui in *tentaminum Edinburgenſium tomo ſecundo* deſcribitur, Cl. Auctor refert.

Art. 10. *Epitome litterarum, quas* MVRDACK MACKENZIE, M. D. *Conſtantinopoli ad* IOANNEM CLEPHANE, M. D. *dedit et in quibus iſchuriae cortice peruuiano curatae hiſtoriam expoſuit; Societati communicata d.* 24 *Septembris* 1754. Vir quidam triginta annorum, ſanus atque robuſtus, nulli unquam antea morbo, qui vias urinarias afflixiſſet, obnoxius, ſubito et ſine ulla cauſa cognita, vera corripiebatur iſchuria, quam vero nec adhibita venaeſectio, neque clyſteres, neque ſemicupium, neque alia, quae ſpaſmos lenirent atque iuuarent diureſin, interne data remedia tollere poterant. Tandem vero muſculorum urinae extruſorum ſummam laxitatem in cauſa eſſe poſſe Cl. Auctor putans, corticis peruuiani puluerem tanto cum ſucceſſu exhibuit aegro, ut poſt tres eius drachmas deuoratas quinto morbi die urinam mittere inciperet, a decem vero eius drachmis deinde ſumtis perfectae ſanitati reſtitueretur. Catheteris applicationem aeger prorſus recuſauerat. p. 81.

Art. 11. CADWALLADER EVANS, M. D. *de curatione quadam, electricitatis ope Philadelphiae praeſtita, relatio, d.* 21 *Octobris* 1754 *Societati tradita.* Femina quaedam quadraginta annorum ſine certa aliqua cauſa cognita per decem annos continuos crebrioribus inſultibus conuulſionum, hyſtericis ſimilium, correpta, variis ſed incaſſum utens remediis, tandem fortiſſimae electricitatis adhibitae auxilio prorſus inde liberata fuit. p. 83.

p. 87. *Art.* 12. *De opiſthotono atque tetano commentarius; Auctore* LIONEL CHALMERS, M. D. *ex urbe Charles-Town in Carolina meridionali ad* IOANNEM FOTHERGILL, M. D. *miſſus et ab hoc Societati traditus d.* 31 *Octobris* 1754. Vterque iſte morbus, in regionibus coeli temperatioribus raro obueniens, in calidioribus autem endemius, omnibus quidem anni temporibus, quam maxime autem aeſtate, ab aeris temperie aeſtuoſa, per ſubitaneos ac copioſos imbres in frigidam mutata, indeque a refrigerio feruentibus ſaepe corporibus admiſſo, ut plurimum ducit originem. Quum vero a veteribus medicis non ſatis eum expoſitum, recentioribus autem fere prorſus incognitum et ab ipſo quoque BONTIO, licet pauca tantum de ipſo tradiderit, falſe deſcriptum eſſe putet Cl. Auctor, ea, quae is ipſe de iſto
p. 91. habeat obſeruata, communicare voluit. Omnem vero iſtum morbum tribus abſolui ait periodis, quarum prima ſequentibus ſeſe exſerat ſymptomatibus: Opiſthotonum nimirum lente ut plurimum et mitioribus malis ingredi, rigiditate ſcilicet colli et ſcapularum moleſta ab aegris tum pro rheumatiſmo tantum habita, cum totius corporis languore: ſenſim vero augeri iſta, ut obfirmatum prorſus caput nec anterius neque ad latus flecti queat: accedere nunc maxillae deprimendae atque deglutiendi difficultatem, ſaepiusque ſubitum atque ſpaſticum ſub enſiformi ſterni proceſſu ad dorſi uſque ſpinam perceptum dolorem, ſaepius atque maiore vi redeuntem et ab aucta colli ſcapularumque rigiditate, capite retracto et maxillarum fortiore contractione exceptum: aegrum vero propter doloroſam atque nouos ſpaſmos afficientem deglutitionem alimenti nihil aſſumere: ſpaſmum vero per integram dorſi ſpinam ad extremitates uſque procedere et aegrum, quo lectum petat, nunc cogere. Primam hancce periodum per tres quatuorue interdum dies iam

deſcripto

deſcripto modo creſcere et permanere dicit Auctor, non nunquam vero pauco horarum aliquot ſpatio ita augeri, ut ante tertium ſaepius diem aegri extinguantur: pulſum hoc morbi ſtadio tardum eſſe atque valde durum, aluum obſtipatam, ſanguinem, vero ex vena miſſum, fere nullam ſui mutationem oſtendere.

Alteram morbi periodum iisdem fere, ſed vehementia auctis, ſymptomatibus, ſpaſmoque crebrius redeunte conſpicuam eſſe Cl. Auctor narrat: ſpaſmum enim, ſub ſterni proceſſu enſiformi ſaeuientem, quem ipſius morbi ſignum pathognomicum is dare perhibet, nunc frequentius et ſingulis certe decem vel quindecim horae minutiis excruciare aegrum, illico retractionem capitis et totius corporis efficientem: faciem, modo pallidam, modo rubram atque ſemper melancholicam, et maxillam fieri contractam, quam ſi deprimere velis, ſpaſmi certo ſequi reditum: muſculos, deglutitionis actionem perficientes, fortiſſime contrahi: ſpaſmo autem aliquantum ſe remittente, remanere tamen ſemper aliquam laeſarum partium rigiditatem: pulſum ſemper durum ac ut plurimum tardum, in quibusdam vero aegris naturali celeriorem eſſe: ſanguinem, et nunc e vena miſſum, inflammationis nullum dare ſignum, ſed diſſolutum magis et aquoſum videri. p. 93.

In tertia tandem periodo aegri ſtatus fit miſerrimus, quum is abripiatur in cruciatum vix non perpetuum, nec ullam fere percipiat ſpaſmorum remiſſionem; quin immo iſti et anteriores corporis muſculos occupant, poſterioribus tamen maiore tantaque vi contractis, ut ſpina dorſi arcus in modum reflectatur, et aeger in occipitis tantum calcisque regionibus decumbat. Accedunt ſudores copioſi, pulſus celerrimus, paruus et inordinatus cum calore vehementer aucto, delirium ſummaque anxietas ſaepiusque, uniuerſali ſuperueniente con- p. 97.

 uulſione,

uulſione, triſtiſſimo morbo ſimulque vitae imponitur exoptatus finis.

p. 99. Multa quidem cum tetano iam deſcriptus morbus habet communia; muſculi tamen corporis anteriores cum poſterioribus ab initio tetani ſtatim contrahuntur: abdomen ſemper durum atque planum eſt; id quod in opiſthotono ſub finem tandem accidit: deglutitio paulo liberior eſt; ſpaſmus autem ſub ſterno perceptus et hic quoque locum habet.

Quum per tam violentos ſpaſmos, omnes corporis actiones perturbantes, ſecretiones quoque impediantur, facile patet, nullum a natura auxilium per criſin quandam, ſed illud omne ab arte tantum expectandum eſſe, ita tamen, ut remedia calida et acria, veſicatoria in primis, ſedulo euitentur. Neque a mitioribus euacuantibus, diaphoreticis atque emeticis, aliquid boni prouenire, ob-
p. 101. ſeruatio docuit. Interim in calidorum balneorum et opii largiore uſu, uti et interdum in aegris plethoricis in venaeſectione, ad iuuandam horum remediorum actionem, ab initio ſecundae potiſſimum periodi adhibenda, unicam curationis ſpem collocandam eſſe Cl. Auctor perhibet; balneorum tamen calorem pro aeris varia temperie et minore aut maiore in aegro deprehenſo calore, diuerſum eſſe debere, ad 96 vel 102 gradum thermometri Fahrenheitiani temperandum: aegri, dum balneo ad caput uſque inſideat, collum, pectus atque dorſum leniter fricandum, eum ipſum vero tamdiu in illo detinendum eſſe, donec pulſus mollior atque plenior euadat: opii vero ſolito multum largiores doſes toties ipſi debere propinari, quoties prioris doſis exhibitae actio finita eſſe videatur in eiusque repetito uſu continuari, donec iſte ſpaſmus ſub ſterni proceſſu xyphoideo euaneſcat et reliquae conuulſiones ſe remittant: clyſteres quoque emollientes, antiſpas-

tiſpasmodicos, iniiciendos et regioni ſcrobiculi cordis veſicam aqua calida repletam imponendam, rigidis vero partibus oleoſa mucilaginoſa calide infricanda, tandem vero, aliquot diebus poſt ſublatum ſpaſmum elapſis, lene, aliquod remedium aluum ducens praeſcribendum eſſe. Quoties ex balneorum uſu deglutitionis actio paululum liberior facta fuerit, decoctum theiforme emolliens, vel ſerum lactis acidiuſculum, pro nutritione vero decoctum auenae excorticatae vel aliud ſimile, aegrum cantharuli ope ſorbillare iubet Cl. Auctor.

Art. 13. *De caecitate periodica commentarius Auctore* SAMVELE PYE, M. D. *Societati d.* 4 *Nouembris* 1754 *praelectus.* Vir quidam quadraginta annorum, quum ſuis vacarat laboribus, paulo ante, quam ſol occideret, ſubito ac ſine aliqua praegreſſa cauſa, artuum oculorumque uſu priuabatur, caeteroquin nullo de dolore alioue malo conqueſtus, ſed caecus tantum per totam noctem permanens. Ingruente ſubſequentis diei luce, et artuum et oculorum uſus redibat, ſub crepuſculo autem eiusdem diei denuo peribat viſus, ſed reliquorum corporis membrorum actio manebat nunc intacta, hiſce tantum accedentibus ſymptomatis, quod leuis dolor regionem ſupra oculum et ſuſurrus auditus organon afficeret, pupilla vero tertiam ſui partem amplior redderetur. Eo iam deſcripto modo per duos menſes perdurabat malum, poſt illos autem modo reuertebatur, modo non comparebat. Anno autem fere elapſo, interdum redibat iſte morbus, ſingula tamen vice per unam tantum noctem praeſens, donec ultima vice per aliquot dies permaneret, ita ut nunc corticem chinae contra illum adhiberet Cl. Auctor. Paulo quidem poſt euaneſcebat iſte; num vero ab uſu huius corticis, an ſua ſponte, uti olim acciderat, dubium eſſe videtur. p. 111

Interim tamen ſub ipſo huius remedii uſu diarrhoea cum febre continua correptus aeger intra paucos dies ab hac extinguebatur. Breuem ſubiungit Cl. Auctor commentarium, quo veterum de hoc morbo ſententias atque diſſenſus exponit.

p. 126. *Art.* 14. *Super origine alicuius pulueris, contra arthritidem commendati, commentarius, Auctore* IOANNE CLEPHANE, M. D. *et Reg. Scient. Soc. Socio, Societati praelectus d.* 4 *Nouembris* 1754. Ab aliquo tempore puluis quidam antarthriticus dictus a nomine ducis Vindelis (*Portland*) cognominatus, magnam quidem famam in Anglia acquiſiuit, cuius compoſitio ita ſe habet: Recipe radicum ariſtolochiae rotundae, gentianae, ſummitatum chamaedryos, chamaepityos et centaurii minoris aequalem quantitatem; fiat omnium mixtarum puluis ſubtiliſſimus, cuius drachmam in conuenienti vehiculo ſumat aeger ſingulo mane per plures menſes. Pulueris huius primum auctorem atque fata ſedulo inueſtigat Cl. Auctor, a GALENI tempore ad noſtrum uſque aeuum, quo a medicis Pariſinis in ipſorum *Codicem medicamentorum* ſub titulo *pulueris arthritici amari* receptus fuit.

p. 146. *Art.* 15. *Epitome litterarum a* MACKENZIE, M. D. *Conſtantinopoli ad* IOANNEM CLEPHANE, M. D. *d.* 1 *Februarii* 1755 *datarum.* Feminae cuidam 57 annorum robuſti et ſiccioris corporis habitus poſt dolorem colicum in hydropem aſciten incidenti aquae ſtagnantes intra 21 menſium ſpatium per 22 vices paracenteſeos ope detractae fuerunt, aquis emiſſis 231 *Ogues*, quarum ſingula 400 drachmas aequat, ideoque 722 libras ponderantibus. Semper bene ſatis ſeſe habuit tandemque apoplectico inſultu periit.

Art.

Art. 16. *Sarſaparillae radicis contra luem vene reame vires experiundi tentamen; Auctore* GVILIELMO FORDYCE, *Regiae cohortis chirurgo caſtrenſi; die* 24 *Martii* 1755 *Societati praelectum.* Omni attentione digna ſunt, quae de viribus huius radicis obſeruata habet Cl. Auctor et per tredecim caſus fuſe hic enarratos confirmat: eam ſcilicet dolores capitis venereos atque nocturnos breui tempore uſuque continuato prorſus tollere: in corporibus ex cauſa venerea emaciatis appetitum, nutritionis augmentum floridumque faciei colorem prae aliis remediis optime reſtituere: in iis caſibus, ubi ſquamoſa oſſa in primis laeſa ſunt, ſi mercurius antea frictionis ope fuerit adhibitus, ſatis longo uſu curationem efficere: in ſcabie venerea vel talibus quoque ulceribus, mercurio ſimul in auxilium vocato, iuuare immo perficere curationem: in ulceribus cancroſis parum quidem praeſtare, ad bubones vero vel reſoluendos vel, ſi conſolidationem reſpuant, curandos, poſt unguenti mercurialis uſum, optime conuenire: in caſibus, ubi nec unguentum mercuriale, neque decocta guaiaci ſaturata profuerint, optime et cito iuuare ſine accurato ab aegris obſeruato regimine: in illis porro tantum aegris, qui mercurio quidem, ſed ſine ſucceſſu uſi fuerint, vel qui eum ſub ipſo huius decocti uſu infricandum curent, exoptatum efficere euentum, ita ut ei ſoli fidere nequeamus: mercurium denique ſolum quidem datum plurima ſublaturum ſymptomata venerea, ſarſaparillam vero deinde ea, quae mercurii viribus repugnauerint, prorſus curaturam eſſe, ita ut in utroque hoc remedio ſimul adhibito contra quemlibet morbum venereum certa cura quaeri debeat. His expoſitis, multus nunc eſt Cl. Auctor, ut demonſtret, quaenam radix commendata vera ſit? unde ad nos apportetur? quamnam fidem ab initio habuerit numque ea fidis quoque obſeruatio-

p. 149. p. 169. p. 172.

nibus ſuperſtructa fuerit? cur ea deinde imminuta
p. 181. ſit? et quo modo in uſum vocari debeat: Tribus nimirum unciis radicis recentis nec ullo modo corruptae eiusque potiſſimum parti molliori, ſucculentae, quam Cl. ASTRVC flagella nominat, tres menſuras (*quarts*) aquae fluuiatilis infundere et in vaſe aperto ad remanentiam duarum librarum (*pints*), addita interdum ſub finem aliqua radicis liquiritiae copia, decoquere iubet Cl. Auctor, qui hanc menſuram intra 24 horas per duas tresue vices vel calide, vel frigide, bibendam aegro dare ſolet, abſtinentiam in primis a vino ipſi commendans.

p. 184. *Art.* 17. *Relatio de quibusdam corticis peruuiani virtutibus nec ſatis cognitis neque deſcriptis, in caſibus praeſertim ſcrophuloſis, a* IOANNE FORDYCE, *M. D. facta et per* IOANNEM CLEPHANE, *M. D. cum Societate communicata die* 24 *Febrarii* 1755. Ad duros glandularum tumores reſoluendos cum ſucceſſu peruuianum corticem ſe adhibuiſſe non perhibet ſolum Cl. Auctor, ſed variis etiam, quos enarrat, caſibus confirmat. Quum illis morbis ſanguinem tenuem cum inſigni partium ſolidarum laxitate maximam ſuppeditare conſtet cauſam, exoptatum ideo a cortice illo, ut roborantium remediorum primo, expectari poſſe quilibet rerum medicarum gnarus facile intelliget.

p. 201. *Art.* 18. *De lepra in principatu Maritimae Coloniae in Prouincia* (Canton of Martigues in Provence) *ſaeuiente relatio ex litteris a* IOANNIS, *M. D. Aquis ſextiis* (Aix) *conſtituto phyſico ad* CLEPHANE, *M. D. d.* 15 *Octobris* 1755 *datis extracta.* Martigii, quae urbs iam dicti tractus eiusdem eſt nominis, noſodochium ab antiquiſſimis iam temporibus fundatum et a S. LAZARO nominatum eſt, in quod miſerri-

miſerrimi iſti aegri diro hoc leprae morbo, ibi endemio facto, correpti recipiuntur, donec triſtem vitam finiant. Legitur hic ampla morbi iſtius haereditarii deſcriptio, contra quem huc uſque nulla reperta fuit medicina.

Art. 19. *Litterarum, quas* CADWALLADER COLDEN, *Eques, ex prouincia Eboracenſi noua dicta* (New-York) *ad Dr.* FOTHERGILL *de angina gangraenoſa dedit, epitome, Societati d.* 24 *Decembris* 1753 *praelecta.* Morbum iſtum ſatis iam cognitum eſſe arbitramur; notamus tantum, corticem peruuianum a non nullis medicis contra iſtum ſine ſucceſſu datum fuiſſe, quum in eo tamen omnes corporis ſuccos ad putredinem inclinare, eaue potius, iam corruptos eſſe, ſymptomata teſtentur; diapnoen vero, non vi, ſed leniori regimine et infuſo herbae ſaluiae vel radicis ſerpentariae, paululum auctam optime conueniſſe. Cl. DOVGLAS, Medicus Boſtonienſis, mercurium dulcem cum camphora mixtum feliciter adhibuiſſe dicitur. p. 211.

Art. 20. *De inſolitis neruorum ſymptomatibus in puella tredecim annorum obſeruatis, relatio a* GEORGIO MACAVLAY, M. D. *die* 19 *Aprilis* 1756 *praelecta.* Puella menſtruum fluxum nondum experta hactenus tamen ſana, una alteraque vice faucium ſpaſmo corporisque languore correpta, paulo poſt, cum bubulam carnem frigidam atque cucumerem comediſſet, ſuperhauſta frigida, de vertigine ac nauſea querebatur, ab aſſumto tamen emetico non leuata. Poſt biduum dextra manus ſingulari quodam motu conuulſiuo ita affligebatur, ut prehenſa dextra, ſiniſtram occuparet ſpaſmus praecedente leui lipothymia, hacque firmata, in priorem reuerteretur, utraque vero firme retenta, extremitates inferiores, hisque captis et comprehenſis, in- p. 230.

 tegrum

tegrum corpus affligeret. Tandem in veram viſam epilepſiam mutatus morbus cum rarioribus omnino ſymptomatis, lente ac difficulter, attamen feliciter, tollebatur.

p. 240. *Art.* 21. *De ipecacuanhae parciſſimis doſibus exhibitae viribus commentarius a* SAMVELE PYE, *die* 3 *Maii* 1756 *praelectus.* Ipecacuanham, ut vires eius experiretur, ab uno grano aut duobus ad ſex uſque in permultis aegris variae aetatis et variis quoque morbis, dummodo emeticorum uſum indicarent, affectis exhibuit Cl. Auctor ſuasque ſuper hac radice factas obſeruationes et in tabulis inſignem aegrorum multitudinem cum illorum aetate, data doſi atque effectibus, breuiter comprehendentibus, et in aliquot morborum hiſtoriis fuſius expoſitis, hic loci recenſet, firmo ſatis documento, remedium hoc non eſſe ſolum tutiſſimum, ſed longe parciore copia, ac quis crediderit, cum ſucceſſu ac ſine virium aegri diſpendio, propinari poſſe.

p. 280. *Art.* 22. *De femina extra fidem fere veternoſa ad Hanoniae Montes degente, relatio a* TERENTIO BRADY, *M. D. Ser. Lotharingiae Principis,* CAROLI, *archiatro, Societati tradita die* 3 *Maii* 1756. Non ea propter ſolum memoratu digniſſimus eſt nunc indicatus caſus, quod inexpugnabili longum capiendi ſomnum neceſſitate per plures annos oppreſſa fuerit miſera haec aegra, adeo ut ſinguli diei tres quartas partes ſomno profundiſſimo, ex quo nulla ratione expergiſci potuerit, prorſus quaſi ſepulta eſſet, ſed etiam, quod omnia corporis membra ſomni tempore rigida fierent et omnis ſenſus expertia. De capitis tantum grauitate ante, quam veternus ipſam occuparet, querebatur, anno 1753, cum Auctor ipſam inuiſeret, adhuc viuens in ſtatu hoc triſtiſſimo.

Art.

Art. 23. *De pertinaciſſimo cruris ulcere ſcorbutico, valde diu perdurato et aquae calcis viuae auxilio tandem curato, relatio ab ipſo aegro ad* IACOBVM GRAHAM *data et a doctore* MACAVLAY, *die* 1 *Iunii* 1756 *praelecta.* In ſura ſiniſtri cruris papula ſponte oborta in dolorificum ulcus viginti duobus tandem foraminibus conſpicuum tranſiens cum inſigni totius illius membri tumore, omnibus contra illud adhibitis remediis atque thermis per plures annos pertinaciſſime reſiſtebat, donec per plures menſes aquam calcis viuae eiusque ſingulo die tres libras (*pints*) non biberet ſolum aeger, ſed fomenta quoque inde parata laeſae parti applicaret. Quam expers virium, certe quam innoxius ſit aethiopis mineralis uſus, ex hac morbi hiſtoria patet, quum permultis eius libris cochleari menſura per longum ſatis tempus aeger uſus fuerit absque aliquo, qui in ſenſus incideret, effectu. p. 286.

Art. 24. *Relatio de duobus caſibus paralyticis in litteris* ALEXANDRI RVSSELL, *M. D. Alepo ad* IOANNEM FOTHERGILL, *M. D. datis facta et ab hoc Societati praelecta die* 1 *Nouembris* 1756. Prior caſus ideo notari meretur, quod apoplexia ſaepius in uno aegro rediens paralyſin ab ultimo paroxyſmo ut plurimum relictam ſuſtulerit: alter vero, quod paralyſis hemiplegia a forti praegreſſa apoplexia completa remanens poſt quatuordecim dies ſenſim ſenſimque et hoc modo fuerit curata, ut ſenſus atque mouendi facultas in affecto brachio primum in digitos, carpum deinde, tandemque totum brachium, inuerſa autem ratione quoad extremitates inferiores, in femur nimirum, tum vero in crus, tandemque in pedem extremum redirent. p. 296.

Art. 25. *De corticis peruuiani uſu in morbis ſcrophuloſis commentarius; Auctore* IOANNE FOTHERGILL, p. 303.

GILL, M. D. *d.* 29 *Nouembris* 1756 *praelectus.* Multum is cum illo ſupra iam ſub articulo 17 commemorato conuenit. Non nullis enim, quae hic enarratae leguntur, morborum hiſtoriis, egregias decocti illius corticis vires comprobat Cl. Auctor: inueteratas nimirum ophthalmias illi ut plurimum cedere; glandularum tum colli, tum parotidis, cum aliarum, tumores a ſui initio illius ope ſaepius reſolutos vel certe ipſorum incrementum cohibitum; labia tumefacta cum exanthematibus et ulceribus cutis a ſimili cauſa ortis curata, ſanguinisque totius maſſae deprauatam indolem inſigniter inde emendatam fuiſſe. Qua ratione autem iſtis morbis mederi queat unus fere chinae cortex, docte atque perſpicue exponit, quum vix non omnibus ſic dictis alterantibus et reſoluentibus remediis parum fidei haberi poſſe demonſtret, utpote talibus, quorum actio, num praeſenti humorum indoli ſaepius adhuc latenti, vere conueniat immutandae, non ſatis cognita ſit; de quibus porro non conſtet, quomodo a digeſtionis viribus ante, quam ſecundas vias ingredi poſſint, mutentur: quum inſuper in iis potiſſimum morbis, quorum cauſa proxima viſcoſitas ſanguinis humorumque et ſolidorum laxitas putatur, adhuc dubium ſit, priusne fluidas, an ſolidas corporis partes affecerit morbus? numne his, an illis prius mederi debeamus? numne, ſolidis mutatis vel confirmatis, fluida quoque corrigantur? quum denique ii, qui morbos vel maxime in remotiſſimis partibus haerentes tollere ſatagant, ſaepius optime agere videantur, ſi primam corporis officinam, ventriculum puta, reſpiciant eiusque ut actionem iuuent reddantque ſatis efficacem et bonam, omni ſtudio enitantur. Corticis itaque peruuiani, ut remedii non amari ſolum, ſed leniter quoque adſtringentis, virtutes praemultis aliis remediis in plurimis quoque morbis conſpicuas eſſe debere Cl.

Auctor

Auctor euincit. Satis larga tamen et ſufficienti doſi ſatisque continuato uſu illum exhibendum eſſe probat aegris, hacque a SYDENHAMIO neglecta re- p. 317. gula, factum eſſe ait, ut egregias illius vires magnus ille vir non ſatis cognouerit. Idem quoque aſſerit de BOERHAAVIO cortici non iuſtas laudes tribuenti, licet in tanti viri excuſationem illud etiam moneat, quod corticis in Belgio venditi bonitas non illa eſſe obſeruetur, qualem Angli ſeligere ſciant. Quum puluerem corticis ut plurimum recuſent aegri uti nauſeoſum, extracti autem vires multum imminutae videantur, utrique praefert Cl. Auctor decoctum eius aquoſum, cui ſub coctionis finem glycyrrhizae radicis particulam, aut uuas corinthiacas, aut gummi arabicum addere iubet, ut medicamentum non fiat ſolum minus ingratum, ſed potius ut decoctum ſpiſſius inde redditum, tenuiores corticis partes eo maiore in copia ſuſcipere et retinere poſſit.

Art. 26. *Hiſtoria aneuryſmatis in aorta oborti,* p. 323. *cum quibusdam annotationibus ſuper aneuryſmatibus in genere; Auctore* GVILIELMO HVNTER, M. D. Vir quidam 39 annorum, thoracibus, quibus feminae elegantiae ſtudioſiores indui ſe patiuntur, conficiendis occupatus, (*a ſtay-maker;*) ab iſto labore ſatis graui, quo baculos nimirum ex balaenae coſtis praeparatos omni adhibita vi dextrae manus ope adigunt artifices iſti, veriſimiliter ex hac cauſa in hunc morbum inciderat. Aortae enim arcus in grandis valde aneuryſmatis tumorem ſenſim ſenſimque adeo dilatatus fuerat, ut is intra ſecundae tertiaeque coſtarum cartilagines ad duos pollices promineret, ſolitis caeteroquin ſui ſignis conſpicuus. Per tres annos morbum huncce aeger tulerat, tumore tandem exterius diſrupto, ſanguine et vita ſemel citoque exhauſtus. Cadaueris incidendi occa-

ſionem

ſionem Cl. Auctor nactus, et ipſius tumoris et partium vicinarum, quam inuenerit, rationem, ample ſatis non exponit ſolum, ſed, additis duabus ta-
p. 336. bulis aeneis, ſtudioſe delineat. Explicitae deinde morbi hiſtoriae ſubiungit animaduerſiones ſuper eo generatim conſiderato quarum aliquas repetere nunc iuuabit. Aneuryſmata in tria diſpeſcit genera, quorum unum a dilatatione ſola ortum, *verum*, alterum a vulnere vel dilaceratione exceptum, *ſpurium*, tertium denique ab utraque hac cauſa laedente ſimul concurrente productum, *mixtum* dici poſſet; ſpurium autem in duo rurſus alia genera diuidit, quorum unum *diffuſum*, alterum vero *circumſcriptum* appellat; iſtud, emphyſemati aut anaſarcae non abſimile, quando ſanguis ex arteria ſauciata per contextum celluloſum in vicinarum partium interſtitia excurrit, cito increſcens debilique tantum pulſatione conſpicuum; hoc autem, quando ſanguis emiſſus in ſacco quaſi peculiari, a cellulari membrana arteriam circumcingente duriore facta vel etiam forte a ſuperiacente membrana aponeurotica confecto haeret, verum ideo aneuryſma valde ſimulans, et per cauſas praegreſſas potiſſimum ab
p. 340. hoc diſtinguendum. Num forte, vena penitus pertuſa, arteria quoque, ſi immediate ſub ea iecerit, laedi tumque cum illa coaleſcere poſſit ita, ut quaedam per anaſtomoſin facta communio inter utramque maneat? Cl. Auctor quaerit. Vidit certe caſum, qui alio modo vix explicari potuit. Duos iam ante annos baſilica ſecta fuerat, ſequentibus deinde obſeruatis ſymptomatibus: Brachio ligato, venae et in primis baſilica valde intumeſcebant ad duos pollices infra et ſupra cubitum: Vena compreſſa, ſimul ac cederet compreſſio, ſanguine erat illico repleta, licet infra illum locum fortis applicata eſſet ligatura. Arteriae loco fortiter compreſſo, venae arctiores et collapſae videbantur, ligatu-

ra antea ſiue applicata, ſiue demta fuerit. Omnis iſta regio ad tractum arteriae erat tumida, huiusque ipſius pulſus naturali obſeruabatur multo fortior. In ipſa tandem ſecta vena, in primis in laeſionis loco, tremulus aliquis et inordinatus motus aderat, paulo ſupra et infra non detegendus. In aortae p. 344.
aneuryſmatibus ſaepius iam quidem obſeruatum fuit, vicinas quoque vertebras fuiſſe corruptas, ideoque inter ſe diſputarunt chirurgi, num haec oſſium corruptio vel cauſa vel demum effectus fuerit aneuryſmatis. In praeſenti caſu et vertebrarum, quas attigerat iſte ſaccus, corpora et ſterni partem eroſa quidem et ſacci adhaerentem ibi partem prorſus corruptam, ſed eroſionem a carie ſolita diuerſam et a ſanguine alluente potius ortam deprehendit Cl. Auctor, uti lapides ab aquarum guttulis delabentibus excauari obſeruamus. Similem hac occaſione is enarrat caſum tumoris temporum oſſi inhaerentis, nihil, niſi merum ſanguinem continentis, quo inciſo, ſubiacens oſſis temporum pars prorſus obliterata viſa fuerit, teſtimonio os illud ab ipſo ſanguine fuiſſe ſolutum. In noſtro interim caſu id notatu dignum eſſe videtur, quod, non mollioribus ſolum, ſed durioribus quoque partibus, oſſibus puta, arroſis, cartilagines tamen coſtarum e loco quidem ſuo motae, tamen non corruptae fuerint.

Art. 27. *Epiſtola* IOANNIS FOTHERGILL, p. 358.
M. D. *ad Societatem data de adſtringente quodam gummi ex Africa allato.* Gummi illud non dum ſatis cognitum, multum tamen boni in praxi medica promittens, a Cl. Auctore deſcribitur, quod durum ſit, diffringi facile poſſit, profunde rubrum nec pellucidum, praeter minutiſſima granula rubra et pellucida viſa, inodorum, in ore facile ſolubile et ſaporis valde, ſed non ingrate adſtringentis

cum

eum grato aliquo mucilaginis ſenſu, quod porro groſſo modo tritum facile in aqua maximam ſui partem ſoluatur eique profunde rubrum colorem et adſtringentem ſaporem conciliet. Quum itaque in aqua ſoluatur, a ſanguine draconis, et quum facile frangatur, a communi gummi Senegalico dicto, ab utroque autem vi inſigniter adſtringente differt. Si externam eius faciem tantum reſpicias, cum vero ſanguine draconis facillime confundes ideoque etiam ſub hoc nomine apud mercatores interdum reperies. Ex iſta potiſſimum regione, quam flumen Gambia dictum alluit, huc uſque allatum fuit ideoque *gummi rubrum adſtringens Gambienſe* nominari poterit. In Cl. MOORE itineribus in interiores Africae partes eius mentio fit (*Travels into the inland parts of Africa* p. 113. Ed. 2.)

p. 365. *Art. 28. De luis venereae curatione mercurii corroſiui ſublimati ope praeſtita, relatio cuidam Societatis medicae ſocio communicata ab* ABRAHAMO GORDON, *Regiae legionis Howartianae chirurgo primo, in literis die* 18 *Februarii* 1757 *Plimutho datis.* Egregio illi medico, tum obſeruationibus ſuis de morbis inter milites in caſtris obuenientibus tum experimentis de inueſtiganda putredinis indole multo cum ſtudio captis, inter viros doctos claro, Cl. PRINGLE ſumma ſanitatis cura apud Regios exercitus demandata fuerat. Hic vero chirurgis apud ſingulas legiones merentibus id quoque imperauerat, ut mercurii ſublimati ſolutionem ab Ill. VAN SWIETEN quam maxime commendatam venereis in exercitu obuiis aegris propinarent, notarent effectus et quaecunque demum obſeruauerint, ad ipſum referrent. En igitur copioſae et amplae relationes, quas hic loci inſertas deprehendes, ex quibus patet, in plurimis omnino aegris expectatam opem egregie

egregie tuliſſe iam ſatis decantatum iſtud remedium.

Art. 29. *Experimenta de artificio olea, reſinas et* p. 412. *pingues ſubſtantias cum aqua miſcendi ope mucilaginis cuiusdam vegetabilis, in literis* IACOBI BOGLE FRENCH, *pharmacopaeo Londinenſi ad* IOANNEM FOTHERGILL, M. D. *datis tradita, cum huius additis animaduerſionibus.* Cum quatuor unciis gummi arabici puri in octo unciis aquae fluuiatilis ſolutis et mucilaginem ſyrupi inſtar efficientibus, varia Auctor ille facit tentamina, dum illam mucilaginem cum variis rebus oleoſis et pinguibus miſceret cum per ſolam agitationem in phiola factam, cum per trituram oleoſis nimirum corporibus cum puluere gummi arabici in mortario vitreo aut marmoreo antea trito permixtis et humidis dein, quae addi pro re nata debent, ſuperaffuſis, quae vero cuncta hic loci repetere nimis longum foret. Illud tantum patere inde dixiſſe ſufficiat, quod illius ope oleoſa et ſimilia cum aqua facile miſceri queant loco vitelli ouorum, huc uſque in hunc finem adhiberi ſoliti, id quod tamen non ſemper tam tuto praeſcribi poteſt, ac illa mucilago, quae medici praeſcribentis raro contrariatur indicationi, nec facile in rancidam abit corruptionem, neque magni pretii eſt. Quid? quod longe facilius, ac omnia alia ideo tentata, remedia mixtionem adeo diuerſorum corporum iuuet, praeſertim ſi quis additus fuerit ſyrupus. Vt interim regulam habeant formulas praeſcripturi, ſequentem commendat Cl. FOTHERGILL. *Recipe* nimirum *aquae ſimplicis unci-* p. 431. *am unam ſemis, ſpiritus drachmas duas, balſami ſcrupulum unum, mucilaginis gummi arabici drachmam ſemis, ſyrupi ſimplicis drachmam unam; vel recipe aquae ſimplicis unciam unam, olei amygdalarum unciam ſemis, ſyrupi et aquae ſpirituoſae ana drachmam unam; pulue-*

ris

ris gummi arabici ſcrupulum unum vel mucilaginis gummi arabici drachmam ſemis, M. agitando. Ille porro inde prouenire uſus perhibetur, quod ingratus quorundam remediorum ſapor corrigatur, nec ipſa ſolum corruptioni non facile ſit obnoxia, neque miſcenda corpora iſti ſubiiciat; quod camphoram, moſchum, atque ceram fluida ſub forma et in iuſta doſi exhibendi ſuppeditet auxilium; et quod denique addita acida hanc mixtionem haud turbant ideoque hac ratione ſuo tempore dari poſſint; quum e contrario volatilia alcalica mixtionem impediant, quibus vero, uti non ſemper conuenientibus, ad miſcenda iſta corpora aliena, ſubſtitui poteſt iam deſcripta mucilago.

XII.

De Saporibus et Guſtu, Diſſert. inauguralis a PETR. LVCHTMANS, Leidenſi. Lugd. Bat. 1758. 4. plag 11. tab. aen. 3.

Etſi multa inſunt in libello hoc, magna ſedulitate accurationeque confecto, quae vix patiuntur, ut ſub uno quaſi adſpectu ratione et diſtributione ponerentur, ab utilitate tamen non ſumus arbitrati alienum, ea in primis tradere, quae vel ad ſummam rei pertinent, vel ob nouitatem rerum mirifice oblectantium notatu digna videntur. Duabus autem partibus continetur, quarum prima de ſaporibus, altera de guſtus inſtrumentis atque ſenſatione ipſa exponit. Per ſaporem intelligunt vel ideam aliquam, vel facultatem plurimarum rerum corporearum, qua praeditae ſunt ad ſaporum ideas
p. 4. excitandas. Hac altera poſita ſignificatione vocis, ſaporem definit BOYLEVS ſic, ut ſit qualitas illa corporum, vi cuius ea, quam guſtando percipimus ſenſationem, produci poteſt. Cum permultae res occur-

occurrant, quarum ſapor habet inter ſe affinitatem
aliquam maiorem minoremue, exorta ſunt varia
rerum ſapidarum genera. Nulla tamen de ſapori-
bus diuiſio tam ampla eſt, quam ea, qua ſapores
omnes in ſimplices et in compoſitos diſtribuuntur.
De numero ſimplicium inter omnes non conſtat,
aliter ARISTOTELES, aliter THEOPHRASTVS,
PLINIVS aliter ſapores enumerabant. Multi re-
centioris aeui praeter inſipidum octo eſſe ſaporum
genera ſibi perſuaſerunt; cum alii pauciora, ut
CLERICVS, alii ſatis multa admodum ſubtiliter de- p. 5.
fenderent, ut GREWIVS, qui in puluiſculum po-
tius res ſuas ita diuiſit, ut recte quaerere poteris,
cuinam bono? Verum Cl. Auctor mediam, plerum-
que optimam, ſibi elegit viam, atque uniuerſos
ſapores ſimplices commode diuidi poſſe arbitratur
in acres, amaros, ſalſos, auſteros, acerbos, aci-
dos, dulces, unctuoſos, vinoſos, alkalinos, et in-
ſipidos.

Cum iam tot ſapores diuerſi ſint, inueſtigan- p. 6.
dum eſt, quidnam illud ſit in rebus ſapidis, a qui-
bus tantae ſenſationum varietates pendeant. Magna
eſt philoſophorum diſſenſio. BELLINVS ſententias
omnes, valde inter ſe diſcrepantes, in duas contrahit
claſſes. Prima continet illorum, qui ſaporem eſſe
dicant qualitatem aliquam rerum compoſitarum ex
elementorum miſtione reſultantem. Hanc ab ARI-
STOTELE excogitatam ſententiam tam auide amplexi
ſunt ferme omnes, qui ab eius parte ſteterunt, ut
in terreo quodam principio cum calido coniuncto,
tanquam mouendarum particularum cauſſa, veram
ſaporis originem quaererent.

At quam erronea falſaque ſit haec efficiendi ſa- p. 8.
poris cauſa docet Cl. Auctor nec feliciori ingenio
alii, qui cum animaduerterent, magnis difficulta-
tibus, quam modo vituperauimus, opinionem eſſe
inuolutam, de ſapore dicerent, aptam arctiſſimamque

eſſe inter ideas et obiectas res ſimilitudinem, quae ſententia, tam longo a veritate diſtat interuallo, tamque abſurda eſt, ut facili modo eam reuellere
p. 10. poteris. Sequitur altera claſſis philoſophorum, qui omnes ſapidarum rerum cauſas vel a ſola figura, vel quod magis placet, a figura, magnitudine, particularum motu cet. ducant. Doctrina haec de ſaporibus primo adſpectu ob facilitatem ſimplicitatemque ſe ita commendat, ut eam valde probabilem eſſe dixeris. Profecto probabilis eſt, et aſſenſu digna, ſi eam, quam primum in mente figuraſti, rationem et modum experientia duce ſenſuumque ope
p. 12. confirmes et quaſi demonſtres. Quod hactenus quidem factum a nemine eſt, niſi a BELLINO, quamquam pauca admodum ſunt, quae tentauit. Quare Auctor corpora quaedam explorare coepit, et in ſingulis ſaporum generibus tentamina inſtituit. Sed primum definiendum eſt, quidnam illud potiſſimum ſit in ſapidis, ad quod attendere animo quis oporteat, utrum ad ſalia tantum, an ad alias quoque res. Chemici vi ignis uniuerſa corpora reſolui tradunt in quatuor principia, phlegma ſcil. phlogiſticon, terram, quae inſipida deprehenderent, et unicum ſalem ſupereſſe, qui linguae applicatus, guſtus ſenſationem afficeret. Verum praeter quatuor illa principia, veteres Alchimiſtae inuenerunt aliquod quintum, quod ob maximam ſubtilitatem, efficaciſſimamque volatilitatem ſpiritum rectorum vocarunt, quo corpus ab omnibus aliis diſtinguatur et in quo concentratum ſit illud, quod guſtu ac olfactu percipiatur. In omnibus non aeque volatilis, in aliis leuiori etiam calore auolat et tunc olfactui potius obiectum praebere videtur, in aliis autem multo conſtantior eſt et particulis pertinacius inhaeret, quo caſu guſtum potius excitat. Ex dictis patet ſpiritum hunc rectorem in primis eſſe, cuius in declarandis ſaporum cauſis habenda foret

ratio;

ratio; ſed ob immenſam eius ſubtilitatem in ulteriori examine opera omnis perditur. Itaque ſola ſuperſunt ſalia, quorum examen inſtituendum eſt. Hoc animo Auctor ſingulas ſaporum claſſes, ea, qua opus erat, cautione ac circumſpectione in contemplandis rebus phyſicis percurrit, ex quouis genere plura explorauit elegitque tales res, in qui- p. 14.
bus ſapores manifeſtiores exquiſitioresque eſſent, fluida examinauit integra, reliqua autem, ut examini adaptaret, in aqua ſoluit pluuiatili deſtillata, omnis ſaporis experte, ex his guttulis aliquot vitreis impoſuit lamellis, quae facillime ante microſcopium poni poterant, nonnullas, ſi opus erat, ſpontaneae reliquit euaporationi, alias variis expoſuit ignis gradibus, dein microſcopio ſubiecit. Quae vidit, fideliter annotauit et ſumma cum cura delineauit. Saepe etiam, priusquam detectae res in aere ducerentur, ipſi monſtrauit artifici. Comitem et ducem hac in re laudat Cl. MVSSCHENBROEKIVM auunculum ſuum. Duplici microſcopiorum uſus p. 15.
eſt genere, quorum alterum ex mente WILSONI angli conditum erat et adaptatum habebat ſpeculum concauum reflectens; alterum, quod tribus inſtructum erat lentibus, quale primus parauit IOH. CVFF. Saepe quidem, quodnam potiſſimum microſcopium in examine inſtituendo adhibuit, accurate commemorat, ſed non ſemper.

Verum ad ea, quae obſeruata ſunt, veniamus, nam operae pretium eſt, cognoſcere ſapidarum rerum naturam indolemque. Ad acria quod attinet, quorum ab examine Cl. Auctor incepit, ex eis examinanda ſelegit euphorbium, piper rotundum, cubebas, nicotianam, pyrethrum, cantharides, arſenicum album, mercurium ſublimatum corroſiuum. Atque inuenit, quae alii ſuper hac re aſſe- p. 20.
ruerint, ab eo, quod experientia docet, valde diſtare, nec WILLISIO eſſe fidem habendam, qui,

cum de ſaporibus diſputaret, acredinis cauſam in ſola particularum figura, perperam tamen, quaereret, nam teretes eas eſſe atque aculeatas ſimili ratione, ut urticarum aculei, ſomniauit. At praeter arſenicum nullum ſapidum acre inueniri poterat, cuius particulae eiusmodi aculeis obſitae fuiſſent.
p. 21. Eſt quidem particularum quaedam conuenientia ut in pipere, cubebis, nicotiana, pyrethro, arſenico, in quibus adſpectabiles erant partes triangulares, quadratae, parallelogrammae, oblongae, in quibusdam quoque teretes, ſed in harum particularum ſola figura acredinis cauſa profecto quaeri haud poterit; opus eſt aliis, nimirum ſalium concretione cum aliis particulis, earumque magnitudine, rigiditate. Saepe a motu praecipua cauſa petenda eſt, ſic in pyrethri infuſo aqueo nullus obſeruatus eſt motus, nec mirum, debilis admodum erat acredo, ſed in infuſo ſpirituoſo non item, quippe ita vehemens motus, ut armato oculo non ſine iucunditate videretur, intenſior etiam acredo atque penetrantior. Denique ad grauitatem ac denſitatem quandoque attendendum eſt, nam ut grauiores res profundius penetrant, ita et acredinem magis augent, veluti res, ad minerale regnum pertinentes, arſenicum, mercurius ſublimatus et id genus aliae. Haec de acribus.

Ex amararum rerum claſſe examinauit carduum benedictum, abſynthium, colocynthidem, aloën,
p. 25. opium, bilem, lunae cryſtallos. Ob tantam in particulis ſalinis figurae inconſtantiam, vix aliquid erat colligendum; nam globuli conſpicui quidem, ſed valde ſubtiles, et particulae ſalinae cum oleoſis ſic copulatae, ut ſingularis earum figura conſpici nequeat; quae figurarum inconſtantia etiam in reliquis rebus deprehenſa fuit; in pluribus tamen rebus amaris diuerſae apparebant partes; hinc ſine omni dubitatione, qui illis proprius ineſt ſapor, de-

riuan-

riuandus eſt. Recens infuſio aquea cardui benedicti particulas monſtrabat longas, tenues, ſaepe acuminatas, poſt triduum numero minores conſpiciebantur, ſed quam plurimum quadratae, pyramidales. In abſynthio pleraeque particulae ventricoſae erant conſpicuae utrinque in acutiorem deſinentes angulum. Cryſtalli lunae regulares nullas, ut plurimi ſales, induebant formas, ſed diuerſimode haſtarum quaſi forma excutiebantur. Ergo amaris unica figura tribui vix poteſt, ut idem WILLISIVS et alii paullulum ſubtilius ſtatuerunt. Ad ſalſa quod attinet, ex hac claſſe pauca tantum, quum plura ad manus non eſſent, Cl. Auctor examinare potuit; quae vero examini ſubiecit, haec ſunt: ſal marinus, ſal gemmae, nitrum. Salis marini, foſſilis et fontani figurae quidem conueniunt, ſimiles etiam in nitro inueniuntur, in quo leuior quoque ſalſedo detegitur; nondum tamen certo conſtat, utrum illae pro veris nitri cryſtallis habendae ſint, an vero intermixto debeantur ſali communi. Plura ergo hic, priusquam certi quid ſtatui poſſet, inſtituenda forent tentamina. Verum an in ſalſis rebus partes magis angulatae, ac in acribus amarisque ſint, quae WILLISIO arridet ſententia, non ita verum eſt, ut non poſſis dubitare, certe ex obſeruatis nihil patet. p. 27. p. 29.

Ex auſteris rebus ſelegit, flores balauſtiorum, gallas, corticem tamariſci, folia theae, alumen, vitriolum ferri et cupri; quae in his adſtringentibus tentauit, paruo quidem ſucceſſu fuerunt, hoc tamen obſeruatu dignum videbatur, quod in alumine et vitriolo ferri partes quaedam inueniantur figura valde ſimiles, in ſingulis enim cryſtalli octohedrae. Ex vegitabili tamen regno, quae conſiderata ſunt oculis, cum partes ita tenues et ſubtiles fuerint, ut in adſpectum haud venirent, nihil de particularum figura aſſerere licuit. Nec feliciori ſucceſſu p. 32. p. 33.

ceſſu acerbarum rerum examen inſtitutum eſt; particulae, ex quibus conſtabant, inſignis admodum erant tenuitatis. Sumpſit quidem, immatura pyra, poma, mala armeniaca et cydonia, ſed in cunctis hisce nihil ferme ſingulare obſeruauit; in omnibus tamen ingentem minimarum ſphaerularum vidit copiam, nec non particulas quasdam inordinatim poſitas, quibus tamen definita aliqua figura adſcribi vix poterat. Acidarum vero rerum magna detecta fuit affinitas.

In acidis vegetabilibus conſpicuae erant particulae ſalinae ventricoſae, plerumque ex utraque parte acutae, ut in ſucco citri, in infuſo tamarindorum, in vini aceto et cereuiſiae. Aderant tamen et aliae inter ſe figura diſcrepantes.

In acidis quoque foſſibilibus quaedam figurae conuenientia obtinere videbatur, ita tamen, ut ab iis, quae in vegetabilibus cernerentur, quodammodo differrent, quippe, quae obtuſiori angulo apparerent, cum ex vegatibibus partes gauderent acutiori forma. Quae rerum apparentia quemque in admirationem rapiet, cum ſatis conſtet, multo intenſiorem eſſe in foſſilibus aciditatem, ſed mirari deſinet, ſi praeter figuram partium, earum magnitudinem, motum, denſitatem, rigiditatem aliasque cauſas in auxilium vocauerit.

p. 37. Ad claſſem dulcium, quae pertinent, examinauit ſaccharum, mannam, caſſiam, mel, ſaccharum
p. 39. ſaturni; ex paucis hisce, quae inſtituit tentamina, nihil ferme, quod legitima conſecutione deduci videtur, colligi potuit. In caſſia et melle fere nihil vidit. In aliis dulcium rebus cryſtallorum figurae notabiliter differrebant. Saccharum ſapore quidem conuenit cum manna, cryſtalli tamen mirum in modum diuerſiſſimae. Ergo particularum ſola figura dulcedinem non conficit, magna tamen affinitas inter mannae particulas et ſacchari ſaturni detecta fuit,

fuit, quare dubitari poſſet, utrum ſalium figura penitus foret excludenda.

Vnctuoſarum rerum ſequentes examinatae ſunt: terebinthina veneta, oleum oliuarum, oleum lini, raparum, amygdalarum dulcium, caryophyllorum aromaticorum, pinguedo vitulina, ſperma ceti, petroleum, pleraeque in unctuoſis particulae p. 41. ſphaericae apparebant; tenaces has oleoſas eſſe partes, facile experientia duce cognoſcitur, ita enim libenter cum corporibus, tum ſibi ipſae adhaerent, ut difficulter ab inuicem poſſint ſeparari. Si iam hanc particularum figuram conſideremus et tenacitatem, qua tarde admodum mouentur, nec non minorem plerorumque unctuoſorum denſitatem, quia pleraque aqua leuiora ſunt, intelligitur, ſaporem, a ſimplicibus unctuoſis excitatum, obſcuriorem eſſe debere; in eis, quae explorata ſunt, manifeſtus quidem aderat ſapor, verum non ab ipſo oleo, ſed intermixtis aliis pendebat. Itaque unctuoſus ſapor medius quaſi inter inſipidum et dulcem, quamuis alterius ſit generis.

Saporem alcalicum explorauit in ſale abſynthii, p. 42. ſale cardui benedicti, oleo tartari per deliquium, lixiuio cinerum clauellatorum, nitri fixi liquore. Ex tentaminibus, quae inſtituerat, concludit, ſo- p. 44. lam ſingulari excitando ſapori imparem eſſe particularum figuram; vix ulla enim poterat obſeruari figurarum conuenientia in particulis. Videntur ſalia haec alkalina fixa longe rigidiſſima et fortiſſima, quippe ignis actioni reſiſtunt et quod magis eſt, ſemper acriora redduntur. In hisce praeterea obtinere videtur ingens motus et attractio, quia ori ingeſta vehementer agitantur, guſtumque accerrimum excitant, atque in aere poſita, ſemper fere deliqueſcunt.

In vinoſo ſaporis genere pauciſſima inſtituit tentamina, quum mox videret, quam parum fidei illis

 haben-

habendum foret; quare laudat LEEVWENHOE-KIVM, qui, cum qualiacunque vina obſeruaret, inuenerit, quod omnibus magna figurarum ventricoſarum copia ineſſet, utrinque acuminatarum, deinde cryſtallos ſalinas quoque detexerit, quae ad ſingulorum proprium ſaporem producendum conferre
p. 45. videantur. Sed tenendum eſt, quod ſola ſalium figura, niſi ad motum, aliasque partes, quibus intermixta ſint, attendas, tantantopere in vinis diſcrepantium ſaporum vera cauſa eſſe haud poſſit.

Superſunt inſipida, quae vel nullum plane ſenſum excitant, vel ſaltem vix ſenſibilem ſaporis perceptionem. Huius rei vero ratio varia eſſe poteſt, v. g. ſi particulae nimis magnae ſint, vel ſaliua vix ſolubiles, vel paruo cientur motu, vel tali figura, ut guſtus inſtrumenta haud valide afficiant, vel par-
p. 46. ua adſint copia, et largiori innatent vehiculo cet. Harum inſipidarum rerum unicum tantum albumen oui gallinacei recens, crudumque explorauit ac inuenit ſphaerulas aliquot maiores et alias innumeras tenuiſſimas; quae ad ſphaericam figuram videbantur accedere.

Iam his traditis ſummatim ſaporum ſimplicium tentaminibus, dicendum eſt, quae ex eis in uniuerſum colligi poſſint. Non omnino excludendam, eſſe ſalium figuram, ex dictis quodammodo perſpicitur, certe tamen falluntur, qui omnem ſaporum vim atque diſcrepantiam a figura eorum pendere ſibi perſuadeant. Sunt enim ſapida, quae ſimilem quidem producant ſenſationem, ſed figura valde diſſimiles v. c. in amaris carduus benedictus, abſynthium, bilis cet. deinde occurrunt alia, quorum particulae non ita aptae videntur, ut tam vehementem et intenſum efficerent ſaporem. Denique obſeruantur particulae ſalinae eiusdem ad amuſſim figurae, quanquam corpora ex his conſtantia, ſi guſtando exploraueris, diuerſi ſint ſaporis. Ergo

in

in eruendis ſaporum cauſſis ad plures ſimul attendamus neceſſe eſt. Eiusmodi ſunt variae particularum rigiditates, magnitudo, ſalium denſitas ſiue varia grauitas ſpecifica, motuum gradus, attractio, diuerſa partium ſalinarum, et natura earum rerum, quibus connexa ſunt.

Sapores ſimplices diuerſa ratione mutantur, p. 50.
componuntur, deſtruuntur, quo pacto immenſa oritur ſaporum varietas, nam plurima ſapida vel ſibi commiſſa, ut fructus horaei, vel operationibus chemicis ſubiecta, v. g. ſpiritus acido auſterus ingratiſſimus ex ſaccharo, vel ſimpliciter aliis admixtae innumerabiles ſubeunt ſaporum mutationes. Quare, ut ex ſimplici ſaporum miſtura eo melius cognoſceret Cl. Auctor, quot quantus ſit compoſitorum ſaporum numerus, ex quibusdam ſimplicium claſſibus unum pluraue ſumſit corpora eaque vel cum aqua pluuiatili deſtillata vel cum ſpir. vini gallici infudit. Atque his ſolutis rebus ſapida adiecit in primis ſalina, dein guſtauit, ea, qua opus erat, cautione. Hac lege tentamina inſtituit ſuper pyrethro, carduo benedicto, abſynthio, floribus balauſtiorum, fructu tamarindorum, et manna calabrina. Ex pluribus inter ſe comparatis genera- p. 56.
les quasdam leges praeceptionesque condere facile quis poſſet, quae, cum arti medicae, tum gulae ſuauiter afficiendae utilitatem aliquam ſint allaturae. Haec generatim de rebus ſapidis.

Altera pars libelli huius de guſtus inſtrumentis p. 57.
eſt atque ſenſatione. Guſtatus ore continetur. Vtrum ſoli linguae cibi et potionis iudicium ſit, an aliae etiam oris partes res ſapidas dignoſcere valeant, de eo inter omnes non ſatis conuenit. Sunt, qui ſoli linguae percipiendi ſaporis facultatem tribuant, quarum facile principes BOERHAAVIVS et HALLERVS; cum alii, guſtum non modo lin-

guae, ſed aliis oris interni partibus competere affir-
p. 58. ment, quam alteram ſententiam tanquam natura et arte probatam Cl. Auctor ipſe amplexus eſt, eamque multis rationibus confirmauit. Infuſum aqueum abſynthii vulgaris ſumpſit tepidum poſt inediam aliquot horarum, lingua ſpatulae ope argenteae depreſſa, atque penicillum, hoc infuſo imbutum, admouit palato, gurgiti, tonſillis, buccis, labiis. Ex quibus rite inſtitutis tentaminibus, ſenſit, non ſolam eſſe guſtus inſtrumentum linguam, quippe in aliis, quas modo diximus, partibus percipi poterat
p. 59. euidens ſaporis ſenſus. Accedit et hoc, quod agloſſi ingeſtorum ſapores rite diſtinguere potuerint; nec eſt, quod mireris, quia, quae in partibus percipiendi guſtus praecipuae ſunt, in aliis quoque oris partibus papillae reperiuntur. Quae dicta ſunt cum iis, quae in ſacris litteris de guſtu leguntur, mirum in modum conſentiunt, quippe in omnibus ferme locis, paucis exceptis, palato guſtus tribuitur. Largiendum tamen eſt, linguam longe praecipuum eſſe guſtandi inſtrumentum.

p. 60. Anatomice nunc diſquirit Cl. Auctor linguam ſingulasque eius partes, fabricam earum, uſumque ſatis copioſe et magna cura deſcribit. Quo facto deinde quaeſtio mouetur, in quanam potius parte guſtus ſedem ſuam habeat? Variae quidem et tam diuerſae ſunt doctorum hominum ſententiae, ſed profecto nulla tam firmis nititur argumentis, quam quae papillas eſſe ſolas guſtandi inſtrumenta, affirmet. At cum papillae iſtae non modo figura, ſed magnitudine etiam valde diſcrepent, inſitne omnibus ſingulisque eadem percipiendi ſaporis vis, recte quaeritur. Eſt certe inter illas diſcrimen aliquod, quale ſit, docet Cl. Auctor §. 30. His explicatis totam oris interni cauitatem deſcribit §. 31. 32 quodque in primis labiis, buccis, velo palatino, aliisque tenuiſſimae prominentes partes, denſiſſima

ſerie

ſerie ſibi iunctae inuenirentur, quae papillaris indolis eſſent, copioſe tradit, denique quot, qualesque ſint glandulae a natura ſoluendi diluendi, manducandi etc. cauſa datae paucis oſtendit. Verum quidnam illud eſt, quod potiſſimum lingua percipimus? lingua diſtinguimus corporum qualites; hoc parum eſt; lingua ciborum, potionumque qualitates diiudicamus, his tamen adiunctionibus, ſi corpora exploranda ſalem contineant, ſi vehiculo quodam ſoluta ingerantur et poſt ingeſtionem factam in ore ſoluantur, ſi ingeſta diutius in ore retineantur, ſi ſapidae res ad ipſas penetrent papillas. Hac lege liquores ingeſti ſapidi ut et ſaliua particulis ſapidis impraegnata ad nudas deducuntur papillas neruosque, in his diſpoſitos afficiunt, in motus cient et pro varia ſua indole diuerſam producent ſenſationem, quae cum mente noſtra communicata ſaporis ideam producit. Hoc quanam fiat ratione ignoramus, nec mirum, cum ignoremus naturam corporis et animae, ſuperſunt quaeſtiones, quae cum intelligi ſatis ex ante dictis poſſint, a Cl. Auctore propoſitae ſunt et ſolutae eo, quo pollet, iudicii acumine. p. 76.

XIII.

IOHANN FRIEDRICH GLASERS, *Med. Doct. und adiungirten Stadt- und Amts-Phyſici zu Suhl, Beſchreibung ſeiner neuerfundenen Blutwaage und Blutmeſsgeſchirrs: womit man beym Hand- und Fuſsaderlaſſen das Blut, ob es ſchon unter das dabey gebräuchliche Waſſer läuft, dennoch ſo bald von Loth zu Loth richtig und ſehr nützlich wägen und meſſen, auch ſonſt durch einen angewiſenen Vortheil unter dem Waſſer abgeſondert allein auffangen kann. Hildburghauſen, verlegts Ioh. Gottfr. Haniſch.* 1758. 8. 15 pl. prooem. 5 pl. tab. aen. 1.

h. e.

IOANNIS FRIDERICI GLASERI deſcriptio a ſe inuentae ſtaterae et vaſis, ad ponderandam menſurandamque ſanguinis, ſub ipſo, poſt venae inciſionem, effluxu, quantitatem idonei, nec non alius inſtrumenti, cuius ope in ipſa venaeſectione vel in manu, vel in pede inſtituta ſanguis, etiamſi aquae, quam adhibere ſolent, ſe immiſceat, accurate menſurari et praeterea etiam ille, ſub aqua ſeparatus, ſeruari poteſt.

Et medico et chirurgo varia circa venaeſectionem ſuboriri ſolent dubia, quae huc uſque ſoluerit vix quisquam, quae tamen multum ad exiſtimationem utriuſque faciunt, magnique omnino ſunt momenti ad medelam aegrotorum. Ex his duo diſquirenda et, quoad fieri poſſit, dirimenda ſibi ſumſit Auctor. Alterum ſpectat ad medicum conſiliis, alterum ad chirurgum manu medentem. Scilicet quaeritur, ad quamnam normam iuſta et conueniens

niens cruoris ex venis emittendi poſſit definiri copia et quo modo quibusque auxiliis nunc ſanguis in ipſa operatione ad definitam quantitatem queat educi. Argumenta ſunt tam difficilis ſolutionis, quam ad medicinam clinicam utilia et neceſſaria, quae quomodo Cl. Auctor extricauerit nunc indicabimus libelli ordinem ſecuturi.

Praefationem libello praemiſit, in qua primarias cauſas contemtus in artem medicam, et cur haec prae caeteris artibus ſcientiisque maximam eorum hominum experiatur copiam, qui artem contra ius fasque exercent, conquirit. Primariam, ut alias praetergrediamur, in eo eſſe poſitam credit Noſter, quod medici a magiſtratus honoribus eſſent excluſi, adeoque poteſtate deſtituantur, ſi in rebus, quae ad artem medicam et medicos ipſos pertinent, iniuſti quid atque illiciti contigat, ſeuerius puniendi ulciſcendique, cum iuris periti, quibus rerum publicarum regimen conferri, et theologi, qui proprium et ſingularem non raro ſenatus ordinem efficere ſolent, de aliena re quaſi minus ſolliciti, et de praeſtantia artis medicae non perſuaſi medicaſtrosque ipſi in auxilium vocantes, quicquid in re publica contra medici auctoritatem et in artis diſpendium committatur, vel impune tranſire ſinant, vel leuius tantum puniant, acriori e contrario eos afficientes poena, qui in ſuam, quam ipſi profitentur, ſcientiam, opprobrii quid agant.

Ab initio ipſius libelli Auctor diſquirit neceſſitatem venaeſectionis, quam tamen uniuerſalem non eſſe debere, licet per ſe pateat, ex variis tamen, animo fictis, vitae generibus, quae apte et breui- p. 5.
ter depingit, clarius luculentiusque oſtendit. Poſtea varia adducit argumenta, quibus innixi et veteres et recentiores medici ſanguinis emittendi quantitatem definiuerunt, quae vero ita comparata ſunt, ut vel ſine aegrotorum detrimento non admitti,

admitti, vel nimis generaliori ſenſu ſumta, omnibus morbis omnibusque hominibus ſatisfacere non
p. 39. poſſint. Veteres venaeſectionem ad lipothimiam uſque praecipiebant. Sed quanta inde exſurgere poſſent incommoda. Multi prius omni liquido exhaurirentur, quam animus illos linqueret, cum alii e contrario, vena vix aperta, mox animi patiantur deliquium. Recentiorum non nulli, praeprimis Galli, una vice paruam quantitatem effluere et, ſperatum ſi eo nondum obtingant effectum, eandem altera, tertia, imo pluribus vicibus emittunt uſque dum per venaeſectionem eueniat id, quod in animo habuerant. Rem acu hi tetigiſſe videntur, ſed innumera incidunt tempora, in quibus, prudens hoc viſum conſilium non ſufficit, cum interdum, ſi in ſaluo aegrum ſeruare velis, uno temporis momento larga inſtituatur, neceſſe eſt venaeſectio, qua in aliquot horas dilata, aegrotus morti forte daretur. Alii ab unciis duabus ad duodecim uſque adſcendunt, a quorum utrorumque partibus Auctor ſtare videtur, licet bene moneat, habitum aegroti, aetatem, viuendi genus et morbum ſimul in cenſum eſſe vocandum, ex quibus omnibus probe inter ſe collatis demum copiam determinare, et pro ratione morbi interdum multo longius in indi-
p. 46. cato numero progredi conueniat. Nec aliquot libras non nunquam emittere dubitat. IOANNES WHITE copiam ex differentia ponderis totius corporis et ex- et ſecretionum, GVIL. COCKBVRN ex comparatione hominis ſani et aegroti, pulſuum, caloris interni, ope thermometri inquirendi, de-
p. 50. terminarunt, quam, COCKBVRNII, ſententiam recoxit LAVATTERVS in diſſertatione: *de rite determinanda quantitate ſanguinis ſub venaeſectione emittendi*, ſub praeſidio Cl. BÜCHNERI, Halae habita et illam ex pulſu molli, ſub ipſo ſanguinis effluxu demum oriundo, et tranſpiratione aucta, per ſudorem circa

nares

nares obſeruanda, diiudicandam eſſe cenſet. Sed cum cuiuslibet regula in paucis modo exemplis applicari liceat, rationem Cl. Auctor habere videtur, cur ab iis diſſentiat, quam multis argumentis ſuffultam copioſe recenſet. Alii alias, aeque ac priores, dubias, nec ſufficientes, quid? quod falſas ſibi ponunt regulas, itidem ab Auctore vel penitus reiectas, vel parui habitas, e. g. credunt non nulli, p. 60. ſatis effluxiſſe ſanguinis, ſi ille, e vena emiſſus, et in aqua agitatus, fibroſus apparet; ſi ater primum e vena proſiliens nunc grate ruber prouenire videtur; ſi eius copia ex temporis ſpatio, ope horologii dimetiendo aeſtimatur ita, ut eodem temporis momento eandem ſanguinis quantitatem credatur eſſe effluxuram, etc.

Magis, ſi id morbi ratio permittit, nec neceſſitas unicam tantum largamque poſcit ſanguinis miſſionem, arridet Auctori, licet non, ut ſupra dictum fuit, perfecte, modus, quo ſanguinis copia non una, ſed reiteratis vicibus emittitur ſic, ut poſt quamlibet emiſſionem effectus, utrum exoptati eueniant, nec ne, expectentur. Cum vero et hic multis laboret difficultatibus nec omnibus, qui contingere poſſunt, caſibus reſpondeat, alium quidem praeſtantioremque ut offerre poſſit, optat Auctor, ingenue tamen meliorem ipſe, licet multum ea de re meditatus, ſe ignorare fatetur. Viam tamen pandere ſtudet, in qua forte ad optatum hac in re ancipiti certitudinis ſcopum olim peruenire, licitum fuerit. Suadet nimirum, ut SANCTORII ars p. 69. denuo in uſum reuocetur, corporumque, tum viuorum, cum mortuorum, pondus ſaepius ſtatera exploretur, deinde a medico, examina haec inſtituente, tabula quaedam conficiatur, in quam ea, quae obſeruauerit, reponat, eaque inter ſe inuicem conferat. Neutiquam tamen ſufficit pondera tantum in illa indicaſſe, exigitur quoque ut tabulae

iſti

iſti addatur cuiuslibet, ſtatera explorati, ſtatura, reliquus externus habitus, vitae genus, aetas atque valetudo; deinde probe attendat medicus, quales effectus in hoc vel illo, ex hac tabula deſumto, corpore poſt certam quandam ſanguinis emiſſi copiam ſint ſecuti; hos itidem in tabulam iſtam coniiciat; ex copia denique eiusmodi obſeruationum poterit claſſes conſtituere, hominesque ſub eas reponere et definire, quibus haec vel illa ſanguinis copia, ut in morbo hoc vel illo aut praecauendo aut profligando emittatur, conducat. Ponderis corporum haec per ſtateram exploratio innumeris abundaret in commodum aliarum artis noſtrae diſciplinarum uſibus: ſic, ut quidam ex iis, praeter eos, quos SANCTORIVS iam oſtenderat, proferantur, reperire liceret vel ex decreſcente, vel ex aucto corporis pondere, quanta per venaeſectionem emiſſa ſit ſanguinis copia; quantum infantibus ſit augmentum; quomodo ſub variis anni tempeſtatibus corporis pondus imminuatur augeaturue;
p. 76. quantum phthiſicus et hydropicus quotidie, vel per hebdomadem amittat vel recipiat, quanto foetus in utero materno increſcat augmento; quantum de corpore per ſudores vel haemorrhagias critice prouenientes deperditum ſit; quantum lactis infans ex matris mammis vel una vice vel per diem exſugat; quomodo ieiunium ſimulatum detegi poſſit, et centena alia, quae in uſum artis medicae cedere poſſint.

Sed cum Auctor ipſe, datum a paucis ita acceptum iri conſilium credit, ut illud ſunt ſecuturi medici, monet, ut certe ſanguinis, per venaeſectionem emiſſi, copiam in poſterum magis attendant, illamque menſura aut eius pondus ſtatera explorent, ex his deinde cum ſecutis phaenomenis collatis argumenta deducant firma. Sanguis vero ut plurimum non libere effluere ſolet, niſi membrum, in

quo

quo vena ſecta fuit, aquae immittatur tepidae, fieri igitur non poteſt, ut ſanguis in lancem recipi queat. Cl. Auctori ideo iam dudum in mentem venerat, p. 93. vas aliquod conſtruere, in quo vel ex adſcenſu fluidorum ad latera eius, vel per effluxum ex oſtio quodam eiusedm, cui cannula affixa eſſet, copia ſanguinis, e vena egreſſi, et cum aqua, iam antea ſumma cura ad menſuram et aequilibrium redacta, commixti menſurari poſſet. Omnia tamen hunc in finem inſtituta experimenta fuerant irrita, nec licuerat Ipſi modum quendam reperire, quo in menſuranda quantitate ad certitudinem quandam peruenire poſſet; aliam igitur ingreſſus eſt viam et ſanguinis copiam pondere explorare ſuſcepit. Hac via feliciori progreſſus eſt pede et tam felici Ipſi eſſe contigit, ut ſtateram ad hunc uſum omnino aptam inueniret.

Eſt ea vero ſtatera ſic dicta romana, cuius bra- p. 99. chia vel ſcapi inaequalis ſunt longitudinis, quorum longior lineis transuerſis ſiue notis diſtinctus eſt, quae indicant pondus, ſi aequipondium, per ſcapum vagans, iis inſederit; ex breuiori vero, mediantibus anſa et unco catenisque duabus dependet vas quoddam, in ipſa venaeſectionis operatione aqua replendum. Scapi hi praeterea, quo ſpatii habeatur ratio et ſine moleſtiis inque compendio quaſi portari queat ſtatera, ita ſunt conſtructi, ut in aliquot partes dirimi, ſibique inuicem denuo immitti poſſint. Eadem ex cauſa quoque examen mobile eſt, quod ad lineam horizontalem reflecti, adque alterius ſcapi latus applicari, et, ubi in uſum vocatur, uncinuli ope, denuo in ſitu recto firmari poteſt. Aginae crura coniungguntur ſub axi fibula quadam, ex qua catena dependet. Ad hanc catenam verſus inferiora aliae tres catenulae colliguntur, quibus infimo in loco ſcabellum quoddam, in forma plantae pedis ex laminis ferreis ſtanno obdu-

ctis factum, affixum eſt, quod itidem ope ginglymorum complicari poteſt. Huic imponitur pes et utrumque immittitur in aquam, quam vas modo deſcriptum continet, ita tamen, ut nec fundum vaſis, nec latera eius attingat. Hac cautione opus eſt, ne aequilibrium ſtaterae, aut per impulſum ad latera, aut per depreſſionem ad fundum turbetur. Eum in finem quoque alterutri cruri aginae affixus eſt uncus, quo mediante ſcapi figi poſſunt, quando vel per chirurgi operationem, vel alio motu nimis moueretur ſtatera. Ne etiam pes inſiſtens ſcabello pendulo et libero, aut eius culpa, cui vena aperitur, aut caſu in latera impingat, a latere ſcabelli exit catenula quaedam, qua vel is ipſe, cuius vena ſecatur, vel alius pedem regere et a lateribus vaſis arcere poteſt. Cum tamen hoc ſcabellum vix unquam adhiberi poteſt, quin ſimul, ſumma licet adhibita cautela, ſtatera in motum librationis nimium cieatur eiusque aequilibrium aliquo certe modo turbetur ponderationique difficultatem creet, aliud ſcabellum conficiendum curauit, quod iis quidem difficultatibus in ipſa operatione ponderationeque omnino caret, cuius tamen non ubique uſus eſſe poteſt, propterea quidem, quod amplior et ſpatioſior eius forma impedit, quo minus id chirurgus ubiuis ſecum portare poſſit, licet et hoc incommodum tolli poſſet, quodſi in eo conſtruendo impenſis non parceretur idque ope ginglymorum componeretur. Id vero, quod Auctor deſcribit, absque gin-
p. 124. glymis conſtructum eſt. Perticae enim ferreae duae ita flectuntur in arcus duos oppoſitos, ut furcas quaſi repreſentent, quarum crura exteriora, interioribus longiora, inferius diuiſa in alias minores furcas deſinunt, quibus tota machina firmiter inſiſtit; crura vero interiora ſibi inuicem connexa et accuſa ſunt per lineam transuerſam, cui, in forma plantae pedis facta lamina quaedam imponitur pedis

dis in operatione fulcimentum. Machinae vero huius is eſt uſus: ſuperponitur ea vaſi, aqua repleto et a ſcapo breuiore ſtaterae pendenti ita, ut crura utriuſque arcus interiora aquae, in vaſe contentae, immergantur et tamen, nec fundum, nec latera attingant, exteriora vero extra vas ſint poſita. Quo maiores ergo arcus, eo maius vaſis librationi, ad accuratam et exquiſitam ponderationem neceſſariae, relinquitur ſpatium; quoinde huius ſcabelli praeſtantia prae altero facile perſpicitur. Pondera etiam varia ad hanc ſtateram requiruntur, alia, quae libras pondo aequant, quibus aequipondium aquae, in vaſe contentae, inuenitur, et alia ſemuncialia, quae copiae ſanguinis emiſſi indices ſunt. Cum Cl. Auctor ſtateram hanc ponderationi aliarum quoque rerum domeſticarum accomodare ſtuduit, alia modo dictis ponderibus, addenda ipſi fuerunt, quibus, ut et aliis rebus, quae rerum ciuilium ponderandarum ergo, ſtaterae additae fuere, is, qui primario huius ſtaterae uſu, ponderatione puta ſanguinis, contentus eſt, omnino carere poteſt. Haec pondera ſat copioſe deſcribit Auctor, et neceſſaria, quae obſeruanda in iis ſunt, momenta ſubnectit, quae vero a nobis contrahi breuiterque enarrari non patiuntur. Nunc modum, quo haec ſtatera in uſum p. 132.
vocatur exponit Auctor, quem, cum eius praecipua momenta in ipſa ſtaterae deſcriptione iam dederimus, reliqua vero vel per ſe pateant, vel facillimo negotio reperiri poſſint, recenſere itidem ſuperuacaneum eſſe credimus.

Tota haec, quam poſſidet Cl. Auctor et quam p. 164.
deſcripſimus breuiter, ſtatera cum ſcabello pendulo et ponderibus cunctis vix excedit quinquelibrale pondus, et ſi demis de illa utramque librae lancem et nouem pondera, quae tantum ad ponderationem rerum ciuilium requiruntur, imminuitur grauitas ſtaterae ad tres libras et ſemiſſem.

p. 168. Cum in conſtruenda et perficienda ſtatera modo deſcripta occupatus erat, Cl. Auctor litteris OETINGERI poliatri *Vracenſis* excitatus conſilium cepit, denuo eundem laborem, quem tunc temporis, cum primum ſuſceperat, nec ille ex voto ceſſerat, iam ſemel abiecerat, repetendi et inquirendi, num fieri poſſet, ut vas quoddam conficiatur, cuius ope ſanguis ſub ipſa emiſſione exacte et ſine magna a vera menſura aberratione menſurari poſſet. Nec nunc in irritum cecidit eius labor, quippe peluim quandam ex cupro conficiendam curauit inſiſtentem tribus pedibus, qui ope ginglymorum mobiles ad fundum eius poſſunt reflecti, ne peluis illa extra eius uſum nimis amplum poſcat ſpatium commodiusque poſſit portari. Peluis, cuius diameter duodecim, plures pollices aequat, quo profundior, eo aptior eſt uſui deſtinato, ſic pes vel leuiter tantum, vel, ubi ſanguis libere effluere renuens id poſcat, profundius aquae immergi poteſt. Ad minimum altitudo eius ſit quinque pollicum. Ad fundum a latere apertura eſt, cui immittitur tubulus quidam incuruus et mobilis ſine epiſtomio, ex quo abundans in pelui contentum fluidum effluit eadem ratione, ac eius copia creſcit. Tubulus, ſurſum deorſumque moueri poteſt, ut eius apertura et ſuperficies aquae in pelui contentae in eodem conſtitui poſſit plano horizontali; non enim ad quamlibet venaeſectionem una eademque requiritur aquae quantitas, adeoque ſuperficies eius admodum diuerſa tubuli mox depreſſionem mox elationem requirit. Si nunc aequilibrium ſuperficiei inuentum eſt, epitonio tubulus firmatur. Maximam in primo tentamine, quod absque ſperato euentu Cl. Auctor inſtituerat, difficultatem in eo poſitam inuenerat, quod aqua, licet ſuperficies eius cum margine vaſis ſummo perfecte aequale horizontale efficiat planum, nihilo tamen minus, etſi noua affundatur

datur aquae copia, non ſtatim effundatur ſuper marginem, ſed effulta in eum quaſi in medio coaceruari et aſcendere. Quo itaque hoc incommodum tolleret et fluctuationem, a qua nulla aquae ſuperficies ſi vel leniſſime tantum attingitur, libera eſt, impediret, varias inuenit machinulas ex laminis compoſitas, quas cameras dicere poteris. Hae camerae ſuperimponuntur ſuperficiei aquae et firmantur per varios uncos ad latera peluis. Ne tamen omnem obtegant ſuperficiem, ſed in medio tantum relinquant ſpatium, quantum requiritur, ut pes libere in aquam immitti poſſit; nec nimis profunde deſcendant illae in peluim, quod quidem impediri poteſt eo, ſi illarum altitudo non excedat tres pollices. Quodſi nunc haec peluis in uſum vocatur, primum camerae iſtae immittuntur in eam, et arcte ad latera firmantur, deinde infunditur aqua calida, (camerae ſimul impleantur vel vacuae maneant, perinde eſt,) poſtea immittitur pes, quo in aqua calida venae turgeſcant, tum inter aquae ſuperficiem et tubulum conſtituitur aequilibrium et ſub orificium tubuli ponitur cyathus, in quo ſignis et notulis unciae indicantur, quo facto, et ubi venae ſatis turgent, pes ex aqua extrahitur, imponitur cameris modo deſcriptis venaque inciditur, qua inciſa mox in aquam immittitur, quo ſanguis libere effluat, poſtremo attenditur, quantum per tubulum exierit in cyathum. Si tantum effluxit fluidi, quantum ſanguinis emittendi animus fuerat, vena comprimitur ſolitoque modo ligatur.

Sub finem libelli promiſſum perſoluere ſtudet Cl. Auctor, quod in Promtuario Hamburgenſi fecerat. Promiſerat enim deſcriptionem modi alicuius, quo ſanguis in venaeſectione, vel in pede, vel in brachio inſtituta etſi utrumque in aquam poni neceſſe ſit, ab aqua ſeparatus poſſit ſeruari. Requiritur ad hunc uſum inteſtinum quoddam tenue ex ſue de- p. 213.

 ſumtum

ſumtum et a foecibus adhaerenteque viſcido purgatum, cuius alterum orificium praeligatur, alterum vero ſuper machinulam quandam, ex ligno paratam et orificium repraeſentantem tubae, quod ori applicatur (*Trompeten-Mundſtück*) expanditur et exſiccatur ita, ut margo quidam fiat et in medio orificium maneat. Hoc orificium ſuper hunc marginem, parum latum, alio latiori ex lamella ſiccata veſicae urinariae cingitur et ad alterum emplaſtro tenaci adglutinatur. Inteſtini ſic praeparati applicatio et uſus is eſt: vel inteſtinum recens eſt nec nimis exſiccatum, vel prorſus exſiccatum; hoc in caſu illud, praeter marginem, qui quo ſiccior, eo praeſtantior eſt, in aqua tepida vel lacte madefaciendum et emolliendum eſt, quo ſanguini irruenti nullum opponatur obſtaculum, margines vero orificii emplaſtro valde tenaci et adhaerente ſuperducantur. Si vena nunc inciſa eſt, digito ea occluditur, partes adiacentes caute et ſumma cura deterguntur deſiccanturque, mox applicatur margo, emplaſtro obductus, circa orificium venae ſectae et digitus, qui illud comprimebat, quam citiſſime retrahitur, omnisque margo circumcirca apprimitur et pes vel brachium aequae immittitur; ſic ſanguis e vena proſiliens in inteſtino illo progreditur, praeterquam, quod aquae ſe immiſceat. Si metus eſſet, ne calida aqua emplaſtrum vel marginem, eo obductum, cito ſolueret, et ſuper eum quoque, pedi iam applicatum, nouum emplaſtrum poni poteſt. Optimum ad hunc uſum Cl. Auctor laudat *emplaſtrum ad hernias*.

Multa praeterea ſunt, quae non ſolum in inteſtino hoc, ad hunc uſum praeparando applicandoque, ſed etiam circa praecedentia inuenta, circa ſtateram nimirum, parteſque, quae ad eam pertinent, et circa vas, ad menſurandam ſanguinis copiam idoneum, copioſe monet Auctor, quae omni-

no

no haud exigui ſunt momenti; et ad applicationem proſperam quam maxime neceſſaria, quae tamen nos libenter ſilentio praeterimus propterea, ne totum ad verba deſcribamus libellum et quod credamus, quemlibet iſtorum, qui tentamina iſta repetere illaque inſtrumenta ſibi comparare vellet, facillimo negotio et per ſe ad varias cautelas ductum iri quae vel in conſtruendis iis inſtrumentis, ut obſeruentur, neceſſe putamus; id tantum, quod ad hiſtoriam huius inuenti pertinet, nos adiiciamus: ſtateram hanc iam anno 1747 Cl. Auctorem inueniſſe, deſcriptionemque et latine et germanice confeciſſe, eam etiam in lucem publicam edendi conſilium cepiſſe, cum in repentino et funeſtiſſimo incendio, quod *Suhlam* anno 1753 vaſtauerat, ea ſimul cum ipſis machinis conflagraſſet, poſtea variis negotiis diſtractum diu de ea ne cogitare quidem potuiſſe, uſque dum variorum ſuaſu laborem hunc repetierit libellumque hunc confecerit.

Si qui eſſent, qui deſcriptas machinas ſibi comparandi cupidine tenerentur, iis operam ſuam Auctor offert, et ſpondet, ſe eſſe curaturum, ut eae aptae conficiantur. Cuiuslibet machinae pretium ſub finem prooemii adiecit.

XIII.

IOANNIS IACOBI BAIERI monumenta rerum petrificatarum praecipua, Oryctographiae Noricae ſupplementi loco iungenda, interprete filio FERDINANDO IACOBO BAIERO. Cum tabulis aeneis quindecim. Noribergae, 1757. fol. pl. 5.

et

IOANNIS IACOBI BAIERI oryctographia Norica ſiue rerum foſſilium et ad minerale re-

gnum pertinentium, in territorio Norimbergenſi eiusque vicinia obſeruatarum, ſuccincta deſcriptio. Cum Supplementis 1730 editis. Recuſa Noribergae, 1758. fol. pl. 17. tab. aen. 8.

Prodiit iam anno huius ſeculi octauo b. BAIERI oryctographia Norica, qua Cl. Auctor et ob figurarum adiectarum elegantiam et ob additas ſolidas et pro aeui ſui genio aeſtimandas explicationes et commentariolos magnum lithophylorum plauſum ſibi promeruit. Cum igitur haud ingratam eſſe viderit ſuam operam eruditis, anno trigeſimo prouulgauit indefeſſus hic naturae indagator ſciagraphiam muſei ſui, cui accedebant ſupplementa oryctographiae noricae. Quaeuis haec ſcripta in forma quarta comparuere nitidiſſimis iconibus ornata. Poſterius quoque eorum exſtat typis impreſſum in Act. Acad. Caeſ. Nat. Cur. Vol. II. app. n. IV. p. 65. Super erant multae poſt eius obitum tabulae aeneae, quae quamquam rara ſatis ac mira obiecta lithologica continebant, deficiente tamen figurarum explicatione, multum utilitatis ſuae perdebant. Hoc tamen non obſtante dignus eiusmodi patre filius has tabulas ante quatuor iam luſtra ſculptas publici iuris facere non dubitauit, ſatiusque duxit nomenclatorem agere, quam prorſus ſilere. In ipſa horum ſupplementorum diſpoſitione eundem ſeruare ſtuduit ordinem, quem in oryctographia obſeruauit parens, ut ſeries rerum omnes aptae colligataeque cernantur, et ſpecies commode ad ſua genera reuocari queant. Merito conqueritur Cl. Auctor de motis a Cl. ARGENVILLE et DENSO dubiis, quibus euincere ſtuduerunt varia obiecta in parentis ſyntagmate delineata vere non exiſtere, affirmatque in Sereniſſimorum ac Illuſtrium quorundam Virorum Phyſiotameis aſſeruari genuina

genuina haec ruderum diluuianorum exempla, quibus veritas contra quamlibet calliditatem poſſit defendi.

Ipſius tamen operis nunc breuem adumbrationem addere ita, ut, quae in ſingula tabula occurrant, et quae inter ea ſint notatu digniora, recenſeamus, operae pretium ducimus. Tab. I. pertinet ad Caput V. Oryctogr. et continet nitidos ſatis *dendritas* ex epiſcopatu Aichſtadienſi et comitatu Pappenheimenſi in marmore albo fiſſili depictos. Tab. II. ad Caput VI. *Fungos* et *alcyonia* varia paſſim in aruis circa arcem dirutam Heimburg ditionis Bauaricae reperta offert, ex quibus prae ceteris *Alcyonium reticulatum* fig. 17. expreſſum ſeſe commendat. Tab. III ſiſtit ſpecimen perfectum cadaueris piſcis *Cyprini lati* ſiue *Bramae* integumentis omnibus adhuc conſpicuis. Tab. IV exuuias piſcium in marmore albo expreſſas exhibet. Tab. V eiusdem rei varia nitida habet exempla additis *ichtyoſpondylorum* quibusdam figuris. Tab. VI pinnas aliasque piſcium partes, et vermiculitas ſiſtit, Tab. VII exhibet raras ſtellarum marinarum impreſſas lapidi calcareo imagines, Tab. VIII vero *malacoſtraca* rariſſima, locuſtas, aſtacos, ſquillas cet.

Ad Cap. VII pertinent Tab. IX. X. XI. XII. XIII, quae petrificata teſtacea uniualuia cornua potiſſimum ammonis exhibent, quorum praeſertim notatu dignus videtur *Nautilites* maximus Tab. X. fig. 1. delineatus, qui et ob inſignem magnitudinem et ob adhaerentem adhuc cruſtam naturalem reliquis praeſtat. Ad Caput VIII. quod teſtacea foſſilia biualuia explicat, duae ultimae XIV et XV tabulae referantur, quae chamitas, oſtracitas, hyſterolithos partim ex pectinibus, partim ex bucardiis deſumtos, terebratulasque depictas offerunt. En igitur breuem figurarum indicem, de quibus ingenue fatendum eſt, eas delineationis elegantia ſeſe, quam maxime commendare.

 Cum

Cum et opuſculorum a parente editorum, ob plauſum virorum doctiſſimorum, penuriam inſignem Cl. Auctor animaduerteret, recudi ea, et in forma folii integri denuo imprimi curauit, ut commode hiſce iungi poſſent ſua, de quibus diximus, ſupplementa.

XIV.

Kalchartiges Bergmehl in einer Steinkluft ohnweit Regenſpurg, entdecket und beſchrieben von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFERN, *evangeliſchen Prediger zu Regenſpurg, der Röm. Kayſerl. Academie der Naturforſcher, der Kayſerl. Königl. Academie zu Roveredo, der Königl. Geſellſchaft der ſchönen Wiſſenſchaften zu Göttingen, und der Königl. Geſellſchaft der Wiſſenſchaften zu Duisburg Mitgliede, wie auch der freyen Künſte zu Leipzig Ehrenmitgliede. Gedruckt bey den Gebrüdern Zunkel. Zu Leipzig in Commiſſion zu haben bey Iohann Chriſtoph Gollnern.* pl. 5.

h. e.

De farina foſſili calcareae indolis prope Ratisbonam effoſſa. Auctore IACOBO CRISTIANO SCHAEFFERO.

Reperit Cl. Auctor caſu fortuito hoc productum naturae, in cauerna quadam ſaxi calcarei prope pagum *Sinzing* in magna ſatis copia. Cum vero de hacce farina foſſili apud varios auctores diuerſimode diſputatum fuerit, cumque a vulgo praeconcepta fuerit aſſumta opinio, qua annonae caritatem hacce terra praenuntiari affirmatur, et iam hanc falſam hypotheſin eodem modo deſtruere allaborat, quo iam pridem dentium vermes a ſemine

alkeken-

alkekengi neutiquam enecari demonſtrauit. Prima igitur Sectione regionem, in qua ſitus eſt mons ille, eiusque vicinias curatius geographice et phyſice deſcribit, variosque ſcriptores adducit, qui farinae foſſilis in Heluetia, Alſatia, Saxonia, Luſatia, Bohemia, Sileſia et Bauaria effoſſae mentionem iniiciunt. Sectione altera diſputat de vera indole huius farinae experimentis variis detecta. Et coloris et conſiſtentiae ratione exacte conuenit cum farina ex cerealibus confecta; Digitos inquinat et tactu ſicca et aſpera deprehenditur: aquam adſperſam auide in ſe ſuſcipit, eiusque ope lac quaſi ſuppeditat; ſaporis eſt ſubdulcis; in paſtam formari, humida quidem poteſt, quae tamen exſiccata dehiſcit; acido cuidam iniecta rubeſcit et molleſcit; grauitatem fere eandem cum farinae triticeae, quibusdam ſpeciebus purioribus habet, reliquas farinas eadem ſuperat. Deſtillatione ſicca ſuppeditat ſpiritum alcalinum. Ex his inſtitutis periculis in tertia Sectione Cl. Auctor, claſſem, ordinem et genus, cui farina haec foſſilis accenſenda ſit, detegere ſtudet. Praemiſſa hinc ab auctoribus adlata huius producti Synonymia, quae ſatis fuſa deprehenditur ac copioſa, monſtrat diſſenſum ſcriptorum de ordine, quem ingredi debeat. *Margis* illam annumerant HENCKELIVS, BRVCKMANNVS, KVNDMANNVS, SCHEVCHZERVS, BVTTNERVS: *argillis* LVDWIGIVS, WOLTERSDORFIVS, CRAMERVS: *cretae* WALLERIVS: *gypſo* denique POTTIVS, qui ſimul eam a lacte lunae et nihilo albo natiuo ſiue foſſili ſummo ſtudio diſtinguit. Comparatis inter ſe hisce auctorum ſententiis tandem contendit Cl. SCHAEFFERVS hanc ſuam farinam calcaream ad morochtum verum POTTII et LVDWIGII et farinam foſſilem WALLERII eſſe referendam. Quarta Sectio exponit huius farinae ortum ac geneſin; ubi praemiſſae aliorum auctorum BVFFONIS, LVDWIGII,

p. 8. p. 14. p. 20.

WIGII, SCHEVCHZERI et LANGII hac de re ſententiae adſentitur, et ab aquis per ſaxa calcarea tranſtillantibus abripi particulas ſubtiliſſimas affirmat, quae demum, euaporata aqua, in puluerulenta hac forma remanent et fiſſuras ac commiſſuras ſaxorum repleant, hinc veram petram paraſiticam generent. Omnibus hisce euincere ſtudet et optime commonſtrat naturale hoc productum non poſſe pro prodigio haberi, corruere hinc omnia de
p. 30. hoc ſuperſtitioſe prouulgata commenta. Vltima tandem Sectio diſputat de uſu huius farinae, quem variis experimentis exiguum ſane vel prorſus nullum confirmat in oeconomicis, et noxium eundem eſſe in re medica et HENCKELII et POTTII auctoritate comprobat. Appendicis loco pauca adfert, de granis cerealibus, quae *Sorauiae* reperta, vulgus ex aere delapſa credidit.

XV.
Noua phyſico-medica.

Praeclare de ſcientiis agitur, ubi principes eas amant, illarumque incrementum curae ipſis eſt cordique. Illas enim inde maximum non ſolum capere incrementum, ſed haud parum quoque ad regnorum felicitatem conferre adiumenti, innumeris, ſi in priſcae aetatis memoriam regredi liceret, demonſtrari poſſet documentis. Nec noſtram aetatem eadem deſtitui felicitate, eſt, quod laetemur. Neminem enim ſumma, qua nunc fruitur Danicum regnum, latet felicitas orta ex Sapientiſſimis Regis FRIDERICI V. conſiliis, qui tanto in litteras ſcientiasque fertur ſtudio, ut de incremento illarum non minus, ac de felicitate ſubiectorum ipſius imperio populorum cogitet, quos tamen maximo et vere paterno ipſum amplecti amore conſtat. Optimus hic princeps et in ſcientias propenſiſſimus,

ſiſſimus, poſtquam variis, iisque eximiis orbem litterarum ditauit ſingularis gratiae ſpeciminibus, eorum nunc nouum meditatur. Iuſſit nimirum Cl. MICHAELEM, Profeſſorem Gottingenſem Cl. itineris cuiusdam in *Arabiam* ſic dictam *felicem* ſuſcipiendi rationem deſcribere, et viros commendare, qui id cum fructu facere poſſent. Elegit itaque Cl. MICHAELIS tres viros, de quibus nullum eſt dubium, quin voluntati Sereniſſimi Principis et expectationi eruditorum facturi ſint ſatis, eoque magis, quod illi iam inde ab aliquot annis iuſſu Regis tantis ſubleuati fuerint ſumtibus, quanti requirebantur, ut quouis modo ſe ad peregrinationem hanc aptos reddere poſſint. Priuatiſſimis quoque ea de cauſa inſtitutionibus uſi fuere. Primus, cui vel maxime demandatum id eſt, ut mores populorum eorumque eruditionem inquirat omniaque diligenter colligat, quae ad feliciorem ſacrarum litterarum explicationem omnemque rem philologicam ullo modo pertinere videantur, eſt FRIDERICVS CHRISTIANVS VON HAVEN, *Hafnienſis*, qui nunc *Romae* viuit ibidemque ſumtibus Regis nutritur. Secundus PETRVS FORSKAEL, Prof. ex *Suecia* oriundus, qui, cum Gottingae commoraretur, linguas orientales maximo addidicit ſtudio, omne quidquid in hiſtoria naturali, cuius iam antea indefeſſus fuit cultor, ipſi notatu dignum viſum fuerit, ſedulo annotabit. Iure quodam ab hoc aptam rerum earum, quae ipſi obuenerint, expectare videmur deſcriptionem, cum in hiſtoria naturali iam dudum hoſpes atque peregrinus eſſe deſierit, et nunc ea felicitate fruatur, ut conſuetudine et conſiliis Ill. LINNAEI, quocum viuit, ſcientiam ſuam amplificet et ipſe quaſi ad iter hoc cum fructu ſuſcipiendum et ad res, quae ipſi commiſſae ſunt, praeclare agendas praeparetur, cumque praeterea eas calleat linguas, quarum cognitionis defectus

maxima

maxima iis, qui itinera in remotiores ſuſceperunt prouincias fuit difficultas et quae plurimos impediuit, quo minus certas ſufficientesque vel deſcriptiones vel relationes exhibere potuerint. Nomina enim rerum naturalium, quibus in illis prouinciis appellantur, et noſſe et iisdem, qui his populis ſolemnes ſunt, characteribus ea deſcribere, res maximi eſt momenti, quae cognitioni hiſtoriae naturalis non parum adferre poſſet utilitatis. Rerum vero mathematicarum tertius Cl. NIEBVRG, *Fremenſis* habebit curam. Ingredientur viri hi peregrinationem menſe octobri anni 1760 et illam conuertent primum in prouinciam, *Tranquebar* dictam, exinde in *Arabiam felicem*, quae ideo prae caeteris electa fuit, quod rerum in ea obuiarum nondum ſatis certa exſtat hiſtoria et quod illa ditior naturae opibus et tutior proficiſcentibus habetur, quam *Arabia deſerta* et *petraea*. Omnem itaque viri dirigent attentionem ad hiſtoriam naturalem, oeconomiam, morbos, mores, leges, architecturam, geographiam matheſi ſuperſtructam, rerum politicarum, ſectarum et eruditionis hiſtoriam et linguam populorum iſtorum, quos ſunt adituri. Libros, ſi quos inuenerint, qui uſui fore videbuntur et quos in Europam deportare operae pretium erit, ement et earum rerum, quae ex deſcriptione ſola vix cognoſci poſſunt, icones; ſi vero res ipſas, de quibus non timendum eſt, ne longo itinere corrumpantur, aſſequi potuerint, ſecum reducent, quam maxime vero id elaborabunt, ut omnium rerum propria in ea lingua comperiant nomina. Si qui forte eruditi ſint, qui illis viris quaeſtiones rem litterariam attinentes proponere cuperent, illi ſciant, eos omnem nauaturos eſſe operam, ut tum, cum ex itinere reduces facti fuerint, ad eas appoſite reſpondere valeant. Hae quaeſtiones mittantur ad Cl. MICHAELEM, qui, gratiſſimum quoque ſibi

fore

fore promittit, ſi eruditi conſilia ſecum communicare velint, qua ratione ſumtus optime impendi poſſint, verbo, quomodo iter hoc optime et ita inſtitui poſſit, ut optimi Principis voluntas impleatur inque orbem eruditum maxima redundare poſſit utilitas. Optat tamen, ut conſilia illa circa feſtum Paſchale anni ſubſequentis 1760 accipiat, quo quippe tempore totius itineris ratio delineabitur.

Medicorum et chirurgorum Societas, quae ſub auſpiciis Sereniſſimi Principis Hiſpanienſis LVDOVICI floret *Madriti*, duas propoſuit quaeſtiones, quarum altera ex medicina, altera ex chirurgia eſt depromta. Illa, quae ad medicinam pertinet, inueſtigationem remediorum ſic dictorum ſpecificorum reſpicit: *num* ſcilicet *vera dentur remedia ſpecifica, et quodſi dentur, quaenam ſit illorum natura agendique modus?* per hanc, chirurgicam puta, leges conſtituere ſtudet Societas, ex quibus trepanationis neceſſitas determinari poſſit: quaerit nimirum, *quinam ſint caſus, in quibus trepanatio pro unico et optimo ſit habenda remedio?* Elaborationes reſponſioneſque ad propoſitas quaeſtiones ſe ſub finem anni ſequentis 1760 diſquiſituram, optimaſque ex iis praemio condecoraturam eſſe, ait, ita tamen, ut ea conſtitutum praemium in duas ſit diuiſura partes, quarum alteram is, qui de medico, alteram, qui de chirurgico themate optime commentatus fuerit, accipiet. Ab ISIODORE RODRIGVEZ, qui ſocietati eſt ab epiſtolis, recipientur diſſertationes, quae vero ante primum menſis decembris diem 1760 ad illum ſunt mittendae.

Academiam *Burdigalenſem* quolibet anno praemium quoddam phyſici a ſe propoſiti thematis optimae elaborationi promittere et exhibere ſolere ſaepius iam enarrauimus. Cum vero praecedenti anno

no deſtituta eſſet occaſione * illud exhibendi, ne unicam quippe acceperat propoſiti argumenti diſquiſitionem et illud adeo in hunc, quem agimus annum, reſeruaſſet, duo erant hoc anno 1759 diſtribuenda praemia. Alterum promiſerat ei, qui *optimam vineae deputandae rationem* oſtenderet, *tum quoad diuerſa vitis genera, tum quoad diuerſum, in quo ea colitur, ſolum.* Super hoc argumento commentarios nec hoc quidem anno, quos praecedentibus iam fruſtra expectauerat, accepit. Idem illud itaque ad annum 1762 differendum cenſet Academia et ſperat, fore, ut intra hoc temporis ſpatium ab eruditis illud diſquiratur.

Alterum vero, quod optimae elaborationi illius quaeſtionis : *quaenam optima ſit ratio quercuum arbores ſerendi, pangendi, traducendi reſtituendique,* ſe adiudicaturam eſſe, Academia dixerat, accepit Cl. CHRISTOPHORVS GODOFREDVS IACOBI, A. M. Societatis Regiae Gottingenſis Socius, qui *Wernigerodae* viuit et bibliothecae Comitis DE STOLBERG curam gerit.

De argumento anno 1760 praefixo et de tribus iis, ad quorum commentarios diiudicandos praemioque ornandos annus 1761 conſtituitur, nihil eſt, quod moneamus, cum Academiae voluntatem ſuper his ſupra ** cum lectoribus noſtris communicauerimus.

Eadem Academia nouum haud ita pridem propoſuit argumentum, cuius diſquiſitiones ab eruditis ante primum menſis maii diem 1762 expectat: *utrum* nimirum *operationes electricae in morbis corporis humani utiles, an noxiae eſſe poſſint?*

Manent de caetero, quoad hoc et reliqua argumenta, eaedem leges, quas ſaepius nos recenſere meminimus et quas ideo, ut repetamus, non neceſſe eſt. Id tamen lectoribus noſtris in memoriam reuocare

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. III. p. 542.

** vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. II. p. 363 ſeq.

reuocare conſultum ducimus, Academiam de iis commentariis, qui alio, quam latino galliçoue ſermone ſint conſcripti et qui Auctorem ſuum prodant, non iudicaturam, et eos, qui ad has leges ſe componere recuſent, prorſus facultate praemium acquirendi eſſe priuaturam.

Lugdunenſis Academia ſcientiarum, elegantiorum litterarum et artium, quaeſtionem propoſuit, cuius optimae reſponſioni praemium, quod numisma eſt aureum, trecentorum pondo gallicorum pretii, adiudicabit. Quaerit nimirum Academia: *quales ſint cauſae, quae vinum corrumpant? et qualia ſint auxilia, quibus huic malo partim occurratur, partim quae ipſi medeantur, absque metu, ne vini naturae inferatur noxa.* Eruditorum cuilibet, exceptis iis, qui Academiae huius ſunt Socii *Lugdunique* viuunt, Academia copiam fecit de praemio hoc certandi, hac tamen lege, ut commentarii ſermone vel latino vel gallico conſcribantur et in eorum fronte adiiciatur ſententia, quam etiam ut et nomen auctoris ſchedula ſigillo obſignata contineat, quae commentationi cuilibet eſt addenda. Ex his ſchedulis ea tantum, quae cum diſſertatione, quam Academia praemio dignum cenſuerit, fuit transmiſſa, aperietur. Ea vero diſſertatio, cuius Auctor prius, quam de omnibus iudicium latum fuerit, ſe ipſum vel directe prodat, vel indirecte faciat, ut eius nomen facile coniici poſſit, ex voluntate Academiae deſtituitur facultate, ut ſuper eam iudicium feratur. Mittantur elaborationes ante primum menſis aprilis diem anni 1761 *Lugdunum Gallorum* ad Cl. BOVLLIOVD-MERMET, qui Academiae perpetuo eſt ab epiſtolis, vel ad Ill. DE FLEVRY, Praeſidem eius, vel ad AIME DE LA ROCHE Typographum.

 A So-

A Societate *Londinenſi*, in perficiendis artibus, opificiis et commercio occupata, hoc ipſo anno 1759, praemio ſtatuto condecoratus fuit Cl. IOANNES GOTTLOB LEHMANN, qui in aula regia Berolinenſi a conſiliis rerum metallicarum, Regiae Berolinenſis Academiae ſcientiarum elegantiorumque litterarum, ut et Academiae Electoralis Moguntinae ſcientiarum utilium ſocius eſt, vir in foſſilium cognitione et hiſtorica et phyſica verſatiſſimus. Problema enim a Societate modo dicta iam anno 1756 propoſitum *, ex eius ſententia optime explicauerat. Poſtulauerat Societas, ut *cobalti hiſtoria* exhiberetur, *quae exquiſitam diuerſorum generum cobalti minerarum deſcriptionem eorumque notas diſtinctiuas ſuppeditaret, ſimulque doceret, cum quibus mineralibus et in quibus matricibus occurrat, qua ratione experimentis docimaſticis ſit ſubiiciendum, qua methodo exinde zaffera et ſmaltum praeparari poſſit, quibusque ſpeciebus arenae ſiue quarzi ad hunc uſum opus ſit?* Singularem quoque ſuum aſſenſum Cl. LEHMANNO dicta Societas eo ſignificauit, ut communi ſuffragio ipſum, quamuis extraneum in ſocietatem reciperent. Ipſa eius diſſertatio anglico ſermone propediem Londini impreſſa prodibit.

Iacturam, quam fecerat *Argentoratenſis* Academia obitu utriuſque BOECLERI virorum optime de arte ſalutari meritorum, quorum obitum indicauimus **, nunc demum reſartam eſſe, eo maiori cum voluptate accepimus, quo certius eſt, utrumque virum, qui in denatorum ſucceſſerunt locum, iam dudum eruditione in orbe litterario inclaruiſſe. Botanicam, chemiam materiamque medicam publice docendi munus, quo antea functus fuerat IOANNES BOECLERVS, demandatum nunc eſt

IACOBO

* vid. Commentar. noſtr. Vol. V. P. II. p. 365.
** vid. Commentar. noſtr. Vol. VII. P. IV. p. 724.

IACOBO REINBOLDO SPIELMANN, M. D. Profeſſori huc uſque eadem in Academia Poeſeos Ordinario et Medicinae Extraordinario. Alterius BOECLERI, PHILIPPI HENRICI, Anatomiae et Chirurgiae Profeſſoris Publici Ord. locum nunc occupat IOANNES PFEFFINGER, M. D.

In meritorum gloriam et ex ſingulari gratia Sereniſſimum Daniae Regem, IACOBO CHRISTIANO SCHAEFFER, ſacrorum curam *Ratisbonae* habenti, Academiarum Caeſareae Naturae Curioſorum, Caeſareae ac Regiae Rouerodenſis, Regiae Gottingenſis et Berolinenſis atque Electoralis Moguntinae cet. ſocio, viro de hiſtoria naturali meritiſſimo et plurimis pereximiisque ſcriptis clariſſimo diploma mittendum curaſſe, legimus, cuius vi Conſiliarii Regii Danici et in Gymnaſio Academico Altonauienſi Profeſſoris Philoſophiae Honorarii titulo ac honoribus exornatus fuit.

Qui multis ſcriptis, partim ad rem oeconomicam, partim ad foſſilium hiſtoriam pertinentibus, quorum plurima in *Promtuario Hamburgenſi* edita exſtant, eruditi nomen ſibi conciliauerat, IOANNEM FRIDERICVM HOFFMANNVM, Iuris Vtriuſque Doctorem, rerum metallicarum Iudicem Conſtitutum et Conſulem Sangerhuſianum hoc anno 1759 e viuis exceſſiſſe eo magis dolemus, quo praeſtantior viri huius in his rebus erat peritia.

Nuper demum * hiſtoriam breuemque epitomen ſplendidiſſimi illius ſumtibus auguſtiſſimi Regis Daniae ſuſtenti et ab artificioſiſſimo REGENFVS ad tantam perfectionem perducti operis de *cochleis et conchis* dedimus. Illis, quae tunc diximus, nunc addere poſſumus, quod nunc cuilibet, qui opus il-

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. IV. p. 681.

lud ſibi comparandi cupidine teneatur, copia illius acquirendi facta fuerit. Haud ingratum itaque lectoribus noſtris fore arbitramur, ſi conditiones enarramus, ſub quibus illud quilibet aſſequi poterit. Inchoatum illud iam plures ante annos fuerat et cum dexterrimus REGENFVS non tantis praeditus eſſet opibus, ut illud ſuis ſumtibus ad finem perducere poſſet, ſingulae plagulae tunc temporis pretio quodam in anteceſſum ſoluendo iis, qui nomina ſua ideo dederant, tradebantur. Sed cum ne hoc quidem modo ille neceſſarias acquiſiuiſſet impenſas, opus illud imperfectum, certe non abſolutum, relinquere et a propoſito abſtinere coactus fuiſſet, niſi a Rege hoc optimo ſubleuatus fuiſſet. Quo factum eſt, ut priores plagulae multorum ſint in manibus. Ne itaque ii, qui opus hoc poſſident imperfectum, totum emere iterum neceſſe habeant, artifex ille reliquas, quae ipſis deficiant, plagulas exhibendi conſilium cepit, ea lege, ut, qui undecim plagulas iam poſſident, pro ultima et tota illarum deſcriptione 16 thaleros, quales in commercio Danico in uſu ſunt, vel 28⅔ florenos imperiales eo monetae genere, quod argenteam Gallicam Ludouiſianam melioris notae appellant, ſoluere velint. Quibus vero plures deficiant plagulae, illi praeter pretium modo indicatum pro qualibet tabula 2 thaleros vel 3⅗ flor. imperial. et qui totum cupiant opus, 38 thaleros vel 68⅗ flor. imperial. modo dicto pecuniae genere ſoluant. Praeter haec indicata pretia iis etiam illud erit ſoluendum, quod ex via *Hamburgo Norimbergam* curſus publici nomine requiritur. Non ultra enim, quam *Hamburgum* exempla mittentur impenſis Auctoris. Quibus conditiones hae placuerint, illi nomina ſua apud *Georgium Iacobum Kiesling*, mercatorem Norimbergenſem, profiteantur et indicent, quot plagulae ipſis deficiant. Rogantur vero iidem, ut

id

id propediem efficiant, ne reliqui aliorum culpa et nimis diu protracta expectatione offendantur. Nec plura, ac deſiderata fuerint, operis exemplaria ſe miſſurum eſſe Auctor ait. Poſt ſpatium ſex menſium (numerabis a primo menſis martii die anni 1760) pretium totius operis augebitur, nec minore, quam 48 thalerorum vel 86 flor. imperial. eodem pecuniae, ac ſuperius deſcriptum fuit, genere ſoluendorum, pretio venibit.

Phyſicae rationis periti, cum nunquam defatigata induſtria in rerum cauſas, proprietates et effectus inquirant, exoptato tandem euentu, quae maioribus vel plane incognita erant, vel non ſatis perſpecta, ita eruunt et quaſi reuelant, ut phyſicae res inde mirabile capiant augmentum. Quis mortalium ſibi perſuaſiſſet, hydrargyrum ſummo frigore correptum adeo denſari, ut naturam fluidam ad tempus quoddam exueret; nam in uniuerſum fere omnes, cum de frigore diſputarent, hoc argenti viui corpus ex fluidis rebus ſolum ſupereſſe ſtatuebant, quod nec frigori naturali, neque eo, ab arte aliqua producto, poſſet affici, ſed manere ſemper fluidum atque mobile. Quare, quae ſub finem ſuperioris et initium huius anni a celeberrimis quibusdam naturae indagatoribus *Petropoli* ſuper hac re ſunt detecta, valde digna ſunt, quae cum lectore beneuolo communicentur. Iniecta quidem eſt huius rei mentio nuper in ephemeridibus publicis, generalis tamen, nec ita comparata, ut haeſitanti lectori omni ex parte perſuadeat, vel quo pacto quis ſimilem euentum experiri poſſit.

De fide tradendarum rerum non eſt, ut quis dubitet, an eis habenda ſit, quia, quam communicamus obſeruationum narrationem ab ipſa illuſtriſſima Academia Petropolitana originem habet.

In animum induxerat Prof. ZEIHERVS, vir in arte phyſica celeberrimus, experientia duce explorare, num maiores frigoris gradus, illo adminiculo, quod FAHRENHEITIVS docuerat, et poſt eum praeſtantiſſimi phyſici alii confirmauerant, brumali tempore producere poſſit; ſed, quod dolendum erat, corporis imbecillitate impediebatur, quo minus tentamina inſtitueret.

Die 14 Decembr. ſtili veteris praeſentis anni ita vehemens et ſaeua fuit hiems, ut thermometrum ad rationem Delilianam confectum ad gradum 205 ſubſideret. Quare Cl. BRAVNIVS, quae ſaepe fecerat experimenta, de nouo repetiit. Spiritum nitri affudit et niui et reſolutae glaciei, huicque maſſae immerſit thermometrum. Duplex nata eſt euentus mirabilitas, primum mercurius praeter omnem ſpem et opinionem deſcendit ad 470 gradum, deinde, quod magis mirandum eſt, immobilis perſtitit. Haec inexpectata mercurii mutatio ad quartam ferme horae partem durauit, nec prius deſiit, donec Cl. BRAVNIVS inſtrumentum hoc ex libero aere in calefactum conclaue inferret. Hac miranda re impulſus idem experimentum paullo poſt inſtituit cum hoc atque alio thermometro, et, quas ante obſeruauerat ſpectabiles mutationes, iterum ſimiles easdemque deprehendit. Quae cum ita eſſent, probabili coniectura concluſit, hanc immobilitatem a conglaciato mercurio proficiſci. Nolebat tamen tubulos vitreos, hydrargyrum continentes, frangere, quod ſi ſtatim feciſſet, facili modo ad rei certitudinem peruenire potuiſſet.

Die 17 Dec. frigus vehementer acutum fuit, ut ei, quod 14 die obſeruatum fuit, parum cederet; at praeteriit dies, nec tentamen ullum confirmandae rei cauſa ſuſcipiebatur.

Verum die 25 Dec. horis matutinis a 9 ad 10mam cum frigoris vis in thermometro notaretur gradu

199,

199, non modo Cl. BRAVNIVS, ſed Cl. AEPINVS etiam, quod ſupra diximus experimentum, inſtituerunt. Ille, cum mercurium in thermometro immobilem cerneret, globulum confregit, inuenitque mercurium ex parte in corpus durum mutatum, in medio tamen loco quodam modo fluidum. Alter vero, quod celerrimam mercurii deſcenſionem ad 500 uſque gradum admiraretur, ex inſtanti fregit cylindrum, uniuerſamque mercurii maſſam conglaciatam reperit. Atque in eo ambo conueniunt, quod hydrargyrum ex frigore acutiſſimo coaleſcens, non modo ad incudem malleo explanari, ſed duci quoque poſſit; verum haec inopinata mutatio libero aere deprehenſa per aliquot temporis tantum articulos fuit obſeruata, quibus praeterlapſis, ſuam naturam fluidam mercurius denuo induit. Poſtea Cl. AEPINVS magna cupidine ductus, quaenam ſit natura indolesque mercurii conglaciati explorauit. Atque propterea tubulum infra clauſum ſuperiori tamen parte apertum unciam unam latum, unciam et dimidiam altum repleuit mercurio, illumque ut thermometrum in miſturam niuis et ſpiritus nitri fumantis ſaepius nominatam immiſit. His rite obſeruatis cognouit Cl. AEPINVS mercurium ſimili ratione ac reliqua metalla a frigore condenſari et ſolideſcere. Deinde hunc ad cylindri formam redactum mercurium alii mercurio, qui fluidus erat, immerſit, eumque vidit metallorum more, ferro quidem excepto, fundum petere.

Die 29 Dec. mane ab hora 9 ad 10 ita vehemens fuit frigus, ut quem FAHRENHEITIVS olim definiuerat ſummi frigoris artificialis gradum ſuperaret, quippe ad 211 gradum in thermometro mercurius fuit compreſſus. Sciendum enim eſt, gradum 40 infra 0 ad modum Fahrenheitianum et 210 gradum, ad numerandi rationem, quam Cl.

DELILIVS praeſcripſit, eandem frigoris ſignificare efficientiam. Illo tempore et Cl. BRAVNIVS et Cl. LOMONOSOVIVS eodem ſucceſſu tentamina fecerunt; in primis alter, qui, cum intingeret thermometrum in vitrum niue una cum infuſo vitrioli oleo repletum, vidit mercurium tanta velocitate deſcendere, ut ad gradum 1260 ſubſideret. Profecto ſtupenda haec altitudinis imminutio, ſed, tantum abeſt, ut haec ſoli frigori, ut potius fracto ther mometri globulo ſit tribuenda. Hunc frigore ſtipatum mercurium atque condenſatum malleo cudit et cudendo ſimili ratione velut plumbum nigrum expandit. Sed non ita diu durauit haec mercurii conſtrictio, nam poſt interuallum 20 minut. ſub dio etiam ad naturam fluidam rediit. Quae modo commemorauimus experimenta ab aliis quoque Cl. academiae ſodalibus inſtituta ſunt atque probata, ſcilicet a Cl. KRVSEO, ZEIHERO et MODELIO; quare, ob tot, tamque egregios teſtes nemini vel minima ſuſpicio ſupereſſe poteſt. Quamquam phaenomena haec maxima fide digna ſunt, certe tamen definiri nec duritiei gradus mercurii a frigore mutati poterat, neque frigoris gradus ad producendam hydrargyri condenſationem neceſſarius. Duritiem, quod attinet, mox maior ea, quae plumbo nigro ineſſe ſolet, mox minor videbatur. Neque ſatis definitus eſt frigoris gradus, qui mercurii conglaciationem efficit. Ex obſeruationibus quidem, quas Cl. AEPINVS inſtituit, quodammodo patet, 500 graduum frigus ad minimum requiri; quanta vero frigoris vis illa fuit, qua natura cum arte coniuncta tantas mutationes produxit, plane incertum eſt; nec mirum tamen, quoniam thermometrum ob hydrargyri immobilitatem ita ineptum redditur, ut frigoris gradum amplius indicare non valeat.

His

His traditis de frigoris vi experimentis, non iniucundum erit dicere de ratione et modo, quo ab aliis quoque eiusmodi tentamina fieri poſſint. Cl. BRAVNIVS valde expeditam eamque facillimam excogitauit methodum, ab ea paullulum diuerſam, quam olim FAHRENHEITIVS et poſt eum phyſici optimi ſecuti ſunt, quam paucis nunc indicabimus.

Mercurius, quocum eiusmodi tentamen inſtituendi animus eſt, primum eſto vel deſtillatione vel ex ſublimatis reſuſcitatus h. e. quantum fieri poſſit, puriſſimus. Deinde ſumatur ſpiritus nitri, quem fumantem appellant, cui, cum ſub dio ſatis refrigeratus ſit, tantae niuis copiae immiſceatur, ut pultis liquidioris ſpiſſitudini aſſimiletur. Denique huic maſſae immergatur thermometrum mercuriale; quibus rite ſeruatis omnibus tam celeriter frigoris ille gradus ad conſtringendum hydrargyrum neceſſarius exorietur, ut contemplantem quemque in admirationem ſit rapturus. Tenendum tamen eſt, hanc mercurii condenſationem non omni tempore, nec quolibet frigoris naturalis gradu contingere; opus enim eſt vehementiſſimo frigore naturali, tali prope, ut ſupra iam monuimus, atque experimenta docuerunt, quae ſuper hac re Cl. AEPINVS indefeſſo ſtudio ceperat. Eundem efficiendi tanti frigoris modum ſecuti ſunt Cl. KRVSEVS, ZEIHERVS et MODELIVS, teſtantes omnes, ſi ulla re, ſane hac potiſſimum poſſe commode quidem eiusmodi experimentum inſtitui.

Memoria IACOBI THEODORI KLEINII Senatus Gedanenſis rerum publicarum actoris primarii, imperialis academiae ſcientiarum Petropolitanae, regiae ſocietatis ſcientiarum Londinenſis et inſtituti Bononienſis ſodalis,

Societatis teutonicae Ienenſis et naturae indagatorum Gedanenſis Membri.

Quum ea ſit ſtudii, corporum naturalium diſquiſitioni deſtinati, quod hiſtoriam naturalem vulgo vocant, ratio, ut, quem illecebris ſuis allexerit, eum ſenſim ſic irretiat, ut pluribus ſemper detectis perfectionis veſtigiis tandem totum ſibi deuinciat, et, qui primarius perueſtigationis ſcopus eſſe debet, euidentioribus continuo exemplis ſummam optimi creatoris ſapientiam prodat: eos etiam viros maximopere commendandos eſſe exiſtimamus, qui utrumque animo ſuo praefigentes finem, aſſiduo ſtudio ſibi aliisque inſeruire conati ſunt. Hinc iuſtiſſimas memoriae conſeruandae cauſas nos habere videbimur, dum B. KLEINII in hanc ſtudiorum partem, merita plenius exponere ſuſcipimus. Etſi enim in gerendis ille officiis publicis, perferendisque haud leuibus oneribus talem ſeſe praeſtiterit, ut penes ſuos perpetuam memoriam excitauerit, atque ea propter boni ciuis piique viri partes fuerit tuitus: in iis tamen, quae nobis illum cariſſimum deſideratiſſimumque fecerunt, doctrinis tantum quoque praeſtiterit, ut poſt fata eius recordatio ſit diuturna futura*.

Natus autem ille eſt in celebri illa regni Pruſſici urbe, Regiomonti, anno praecedentis ſeculi octuage-

* Praecipua vitae Cl. huius viri momenta deſumſimus ex vitae actae recenſione, quam propria manu conſcriptam reliquerat B. KLEINIVS, quamque typis expreſſam additam legimus ſermoni funebri, in honorem illius recitato a Cl. M. NATHAN. FRID. KAVTZ, Gedani edito: nec non ex elogio, quod ſocietati naturae indagatorum germanica lingua expoſuit Cl. D. CHRISTIAN. SENDEL, Med. et Phyſic. Prof. Publ. Societatis Direct. Gedani, typis Schreiberianis, 1759. 4. pl. 5.

oʃtuageſimo quinto, die decimo quinto menſis auguſti, ex ſtirpe, variis in religionem et rempublicam meritis nobilitata, oriundus. Pater enim noſtri IACOBVS KLEINIVS, ſenatorio munere functus in urbe patria, ad alia poſtmodum maiora officia vocatus, in tribunali a ſecretis, venationis et in iudicio prouocationum ſummo conſiliarius, nec non mater DOROTHEA, CHRISTOPHORI MANKENBECKII templi regiomontani, quod in antiqua ſic dicta urbe eſt, praefecti filia, a teneris iamiam unguiculis, quicquid ad formandum eius ingenium ideoneumque illud reddendum, ut ſibi aliisque utilibus futuris ſcientiis imbueretur, pertinebat omne, ſingulari ſtudio et opera ſumma contulerunt. Tantam autem alacre eius capaxque ingenium ex illis inſtitutionibus percepit utilitatem breui, ut decimo ſexto iamiam ſuae aetatis anno inter academicos regiomontanae uniuerſitatis ciues potuerit recipi. Aſſidua quoque ad ſtudia applicatio in doctrina legum, hiſtoria atque matheſi laudandos eius progreſſus ſemper auxerunt, et quo animum a ſeuerioribus perueſtigationibus abducendo, quodammodo reficeret, poeticam muſicamque artem tractauit, rebusque phyſicis et hiſtoriae naturali, cuius iam tunc tenebatur amore, temporis partem tribuit, nec inutiliter quidem, cum in hiſce poſtea ſtudiis, laborum ſuorum grauium et moleſtorum dulce lenimen inuenerit. In otio itaque verſari viſus ea peregit feliciter, quae alios ſolent perpetuo labore diſtinere et occupare. Bene tamen perſpiciens, quae domi cognita ſunt et e longinquo viſa, melius accuratiusque dignoſci ſi in propinquo poſita intuemur, ad confirmandas doctrinas et augendos ſcientiae theſauros in exteras regiones ſeſe recepit, varias Germaniae Belgiique academias viſitauit, Angliam peragrauit, multorumque tum principum, tum aliorum doctorum virorum

rum gratiam iniit, et ſuarum iam aliunde conquiſitarum ſcientiarum perfectionem continuo locupletauit, ſingulari, quam demiſiſſime ſuſpiciebat, diuina gratia adiutus. Quum ergo ad propoſitam ſibi deueniſſet metam, poſt luſtrum peractum rediit in patriam, ob patris vero cariſſimi breui ante tempore factum obitum, nec in ea perſtitit, ſed primo Gedanum venit, facto deinde in Sueciam itinere, poſt reditum ad peregrina iterum loca tendebat animus, quo ampliſſimo ſuo fieret deſiderio ſatis. Nihil autem in hominum voluntate quum ſit, quod ſummi numinis imperio non ſubſit, noſter etiam KLEINIVS eius nutu ſupprimebat ardorem exteras viſendi regiones, quippe quum Senatus Gedanenſis, annum aetatis viceſimum octauum agenti, munus ſecretarii, quem vocant, offerret. A quo tempore per integros quadraginta et duos annos ita huic praefuit muneri, ut non ſolum ad ardua negotia eaque publica peragenda adhiberetur, ſed alias ſimul dignitates obtineret, quae eius induſtriam in publicum commodum directam incitarent, aeque ac gloriam penes exteros ſuosque immortalem conciliarent. Tacemus de iis prudentiae ſingularis et ciuilis doctrinis: loquitur eas ſenatus populusque Gedanenſis, ſancte perpetuam eius recolens memoriam, quam inde maiorem reddidit, quod detrectaret officia, quae ipſi offerebantur publica, ne omne eruditioni et ſtudiis proſequendis detrahatur tempus. Quantum autem eruditus orbis huic eius humanitati debeat, declarant varii argumenti relicta ſcripta, ad finem a nobis addita. Nullo nempe tempore, quod publica ſupereſſe ſinebant negotia, ab amiciſſimis ſibi ſtudiis receſſit, in varietate ſtudii naturalis, licet perpetuam illud requirat attentionem, eiusque peruestigatione gratam inueniens viciſſitudinem. Cum exteris ea propter totius pene eruditi orbis celeberri-

mis

mis viris literarum commercio uſus eſt, inque iis haud raro de magni momenti rebus diſſeruit.

Largiſſimus naturae campus cuicunque ingredienti patet, ſed ſterilis quaſi et minus fructuoſus illi videtur, qui minus attentus rerum occurrentium dignoſcit variam naturam: hinc Noſter, quo poſſit contemplari atque digerere naturae corpora, inſtruxit hortum, vegetabilium exoticorum aeque ac indigenorum copia refertiſſimum, nec non muſea naturalium corporum reliquorum ſenſim condidit, adornauit, inque peculari, ad hortum poſita domo repoſuit, tantae celebritatis facta, ut nemo exterorum, etiam dignitate maximorum virorum Gedano diſceſſerit, quin Kleiniani horti et muſei conſpectu fuerit uſi. Quae in horto collecta extiterint, ex indice eius cognoſcuntur, quae vero muſea in ſe comprehenderint, euidentia in permultis ſcriptis obuia teſtantur exempla. Erat autem, quem ipſe miſerum iudicabat, non ſpectator tantum naturae, ſed eius etiam indagator, hinc, quod plantas ſpectat, in eorum generibus definiendis et culturae ratione laborabat ſolerter, Tithymaloiden extricabat, quae a ſummo noſtri temporis botanico Cl. LINNAEO in honorem Noſtri Kleiniae nomine adhuc ſuperbit, coffeae culturam multis impenſis inſtituebat, marinas plantas in ordinem redigere tentabat, de quibus etiam inter relicta nec edita ſcripta hortum pelagi ſupereſſe conſtat.

Veruntamen, quamuis haec ſtudii naturalis pars ſuum ſibi poſcit virum, reliquas tamen hiſtoriae naturalis diſciplinas omnes percurrit, et in ſingulis fere noua detexit. Adeo quidem nota ſunt, quae in publice emiſſis ſuper diuerſa hiſtoriae naturalis capita libris docuit Noſter, ut facile hic ſuperſedere poſſemus: aſt, quum eo maior in eius vix imitandam induſtriam laus redundet, quod aliorum magnorum virorum, in hiſce doctrinis laborantium,

tium, exemplo naturae penetralia ſolum perſcrutari non potuerit, ſed aliis preſſus grauibus officiorum publicorum impedimentis temporis relicti ſpatium debuerit applicare tantum, quaedam ſubiungere licebit ſpecimina. In animalium itaque hiſtoria et diſpoſitione b. KLEINIVM ita videmus occupatum, ut quadrupedum claſſes digeſſerit et non ſolum contra meritiſſimum LINNAEVM dubitationes quasdam modeſte mouerit, ſed anonymo ſyſtematis regni animalis Auctori * aliisque illi praeferri deberi fuerit viſus, immo ſpeciales quasdam deſcriptiones dederit, ut muris alpini, aliorumque animantium. Quam ampla ſit piſcium familia, quam difficilis mobilium horum aquae incolarum perueſtigatio per ſe patet, et ſummo ARTEDI ex labore facile dignoſcitur, taedioſum tamen in ſe ſuſcipit onus Noſter, undiquaque colligens, diſquirens, in perpetuam rei memoriam artificioſe exſiccans, conſeruans, in ordinem redigens, et quinque ſic dictis miſſibus, nitidis iconibus exornans, exquiſitisque deſcriptionibus illuſtrans piſcium exemplaria. Profitentur id omnes, qui et in muſeo viderunt ea, et cum quibus communicauit illa; ſiquidem non externae tantum ſuperficiei notis contentus fuerit, ſed internae quoque fabricae mechaniſmum perſcrutatus fuerit, inter alia, quid de ſono et auditu piſcium iudicandum ſit, ex oſſiculorum capi-

* Prodiit nimirum *Syſteme naturel du regne animal.* a Paris, 1754. To. II. 8. in cuius primo tomo quadrupedes, aues et amphibia ſecundum Cl. KLEINII methodum diſponuntur, reliqua ex mente Cl. LINNAEI digeruntur. Auctor operis eſt ALEXANDER DE LA CHENAYE DE BOIS, qui varia etiam Kleiniana Scripta ex latino in gallicum tranſtulit ſermonem. Deinde quadrupedum methodum aſſumſit IOANNES SAMVEL HALLER *in der Naturgeſchichte der Thiere in ſyſtematiſcher Ordnung. Berlin*, 1757. 8. vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. I. p. 15.

capitis conſtructione euincens. Superat porro in rebus hiſce adhibitam ſolertiam auium indagatio, quarum in prodromo, deinde in pleniori deſcriptione ſiue hiſtoria, tandem in ſtemmatibus ea data eſt expoſitio et delineatio, ut methodus ex roſtris, pedum digitorumque natura deſumta, vix non reliquis perfectior fuerit reddita, cuius uberiorem in his commentariis ſuo loco dedimus explanationem. Haec autem animalia, quod hominum ſeſe conſpectui non ſubtrahunt, ſaepiusque occurrunt, aliqua ex parte facilius diſquiruntur ac alia, quae vel in herbis latitant, vel ſub aquis deliteſcunt, aut quorum ſuperſtites ruinae, in terra reconditae, eruuntur. Neque tamen haec neglexit aut intacta reliquit Noſter, licet omnem eorum campum nondum ſit emenſus. Quis neſcit echinodermatum ab eo datam expoſitionem, factamque naturalem eorum diſpoſitionem, ubi de celebribus echinorum aculeis acute diſputauit: quis oſtracologiae non perſcrutatus eſt ſtudioſe cum aliis naturalis hiſtoriae ſcriptoribus inſtitutam comparationem nouamque dilucidationem? ſerpentum deinde anguiumque explicationem quis non vidit?

Librum certe conſcriberemus, ſi pro rei dignitate rerum pertractandarum facienda eſſet memoria, nec ni verendum eſſet, ut cognita omnibus naturae amicis rudi tantum adumbraremus penicillo. In foſſilium tandem indagatione eminet figuratorum lapidum curioſe conquiſitus nomenclator, et quam auctoris ſui vita vix attigit, ſubterranea, de lapidibus macrocoſmi proprie talibus, lucubratiuncula prior, lithologiae breuem exhibens ſciagraphiam, quam duae aliae, nondum editae, niſi inuita fortuna eum abſtuliſſet, proxime eſſent inſecutae.

Parua itaque haec, quippe quae tota viribus noſtris maior eſt, meritorum Kleinianorum relatio

id

id ſaltim ſi efficere valeat, ut omnibus naturalium corporum indagatoribus ſanctam reddat eius recordationem, nos certe noſtro putabimus officio feciſſe ſatis. Tanti ſane aeſtimata fuerunt haecce ab aliis ſapientibus viris, ut variis, ſcientiarum ſcrutinio dicatis, ſocietatibus ille ſponte fuerit adſcriptus. Anno etenim huius ſeculi viceſimo nono ab regia ſcientiarum Londinenſi academia inter ſuos relatus fuit, quumque eum in ſtudiorum feruore ſtrenue occupatum videret Bononienſis inſtituti ſocietas, anno quadrageſimo octauo pariter eum adſciuit, nec quin ſuus diceretur, paſſa eſt imperialis ſcientiarum petropolitana academia, a qua anno demum quadrageſimo ſexto recipiebatur. Gedanenſis, cui per plures annos interfuerat, naturae indagatorum ſocietas, cuique oraculi loco extitit, quod in rebus difficilibus et obſcuris perpetuo conſulebant, acerbum eius luget obitum merito, et Ienenſis quoque teutonica ſocietas, anno huius ſeculi quinquageſimo quinto eum ſuſcipiens, ob ſingularem in germanicam linguam poeſinque amorem aegerrime tulit caſum tanti viri.

Quid mirum, dum ſeculi huius anno quinquageſimo nono, die menſis februarii viceſimo ſeptimo, anno aetatis ſuae ſeptuageſimo quarto licet, e viuis eriperetur, praematuram factam fuiſſe iacturam. Diu namque et indefeſſo laborans opere, noua ſemper addebat, ſuique renouabat deſiderium. Ingens porro in diuinam prouidentiam fiducia, in vitae ſocios humanitas atque comitas, in rebus aduerſis animi conſtantia, in ſecundis *αὐταρκεία*, Deo hominibusque eum faciebant acceptum.

Matrimonium ter iniit, primum anno huius ſeculi decimo ſeptimo, cum ANNA CATHARINA ex clara Reygeriana gente, quod tamen breue et luctuoſum extitit, quum ſubſequente iam anno illa e viuis ſecederet: alterum cum vidua DOROTHEA

GER-

GERLACHIA, ex gente Schützia, quae vero anno viceſimo quarto huius ſeculi eum deſeruit obituque ſuo grauiter affecit: tertium tandem cum MARIA ELISABETHA, ex gente Langwaltiana, anno huius ſeculi triceſimo ſecundo, quae pariter a ſene noſtro, anno huius ſeculi quinquageſimo ſeptimo moriens aufugit. Non infoecunda fuerunt haec matrimonia, ſed, quae varia erant, ex ſummi numinis voluntate, Noſtri infortunia, quotquot ſuſceperat ex illis liberos, abſtulerunt omnes, una tantum ſuperſtite, paternarum virtutum herede, filia, Cl. GRALATHO, cuius et nos alibi meminimus, in connubium data.

Index ſcriptorum a b. KLEINIO editorum:

An Tithymaloides; fruteſcens, foliis Nerii PLVM. T. 654? BOERH. I. Alt. l. 259 nec Cacalia, nec Cacaliaſtrum. Gedani, 1730, 4. c. f.

Deſcriptiones tubulorum marinorum; in quorum cenſum relati lapides caudae cancri GESNERI et his ſimiles; belemnitae; eorumque alueoli ſecundum diſpoſitionem muſaei *Kleiniani.* Addita eſt diſſertatio epiſtolaris de pilis marinis. ibid. 1731, 4. c. f.

Naturalis diſpoſitio echinodermatum. Acceſſit lucubratiuncula de aculeis echinorum marinorum, cum ſpicilegio de belemnitis. ibid. 1743, 4. c. f.

Idem liber recuſus eſt gallica lingua ſub indice: Ordre naturel des Ourſins de Mer et Foſſil, avec des obſervations ſur les Piquans des Ourſins de Mer et quelques remarques ſur les bélemnites: par M. THEOD. KLEIN, avec figures, augmentées de ſix Planches d'Ourſins, qui ſont dans le Cabinet de M. DE REAVMVR. Ouvrage traduit du Latin, avec le texte de l'Auteur. à Paris, 1754, 8. c. f.

Sciagraphia lithologica curioſa, ſeu lapidum figuratorum nomenclator, olim a celebri IO. IAC. SCHEVCHZERO in gratiam amici conſcriptus; poſtmodo auctus et illuſtratus a IAC. THEOD. KLEIN, praemiſſa epiſtola Dn. MAVR. ANT. CAPELLER de ſtudio lithographico; de entrochis et belemnitis; cum additionibus et figuris. Gedani, 1740. 4.

Summa dubiorum circa claſſes quadrupedum et amphibiorum in Cel. CAR. LINNAEI ſyſtemate naturae: ſiue naturalis quadrupedum hiſtoriae promouendae prodromus cum praeludio de cruſtatis; adiecti diſcurſus: 1) de ruminantibus; 2) de periodo vitae humanae collato cum brutis. Gedani et Lipſ. 1743. 4.

Gallice idem prodiit : Doutes ou Obſeruations de Mr. KLEIN ſur la revûe des animaux, faite par le premier Homme ſur quelques animaux de Claſſes de Quadrupedes et Amphibies du Syſtême de la Nature de Mr. LINNAEVS; et de remarques ſur les Cruſtacés, ſur les Animaux, qui ruminent et ſur la vie de l'Homme, comparée avec celle des Animaux, avec figures. Ouvrage traduit du Latin. a Paris 1754. 8.

Hiſtoriae piſcium naturalis promouendae Miſſus I. de lapillis eorumque numero in craniis piſcium, cum praefatione: de piſcium auditu. Acceſſerunt 1) anatome turſionum 2) obſeruata in capite raiae. Gedani. 1740. 4. c. f.

— — — Miſſus II. de piſcibus per pulmones ſpirantibus ad iuſtum numerum et ordinem redigendis. Acceſſerunt ſingularia de 1) dentibus balaenarum et elephantinis 2) lapide manati et tiburonis ibid. 1741. 4. c. f.

— — — Miſſus III. de piſcibus per branchias occultas ſpirantibus ad iuſtum numerum et ordinem redigendis. Cum obſeruationibus circa

partes

partes genitales raiae maris et ouarium galei. ibid. 1742. 4. c. f.

— — — Miſſus IV. de piſcibus per branchias apertas ſpirantibus ad iuſtum num. et ordin. redigendis. Horum ſeries prima cum additamento ad miſſum III. Gedani, et Lipſiae 1744. 4. c. f.

— — — Miſſus V. et ultimus de piſcibus per branchias apertas ſpirantibus etc. Horum ſeries ſecunda cum additionibus ad miſſus II. III. et IV. et epiſtola: de cornu piſcis carinae nauis impacto. Gedani, 1749. 4. c. f.

Mantiſſa ichtyologica de ſono et auditu piſcium ſ. Disquiſitio rationum, quibus Auctor epiſtolae in bibliotheca gallica de auditu piſcium, omnes piſces mutos ſurdosque eſſe contendit. Lipſiae, 1746. 4.

(*Idem argumentum a Noſtro disquiſitum inuenies infra in tentaminibus et commentariis ſocietatis naturae indagatorum Gedanenſis.*)

Hiſtoriae auium prodromus cum praefatione de ordine animalium in genere. Acceſſit hiſtoria muris Alpini et vetus vocabulum animalium Mſcpt. Lubecae, 1750. 4. c. f. *

(*Idem liber, latine tamen redditus duplex haud ita pridem, ſub anno* 1760 *prodiit, alter in forma 8va Lubecae, alter forma 4ta Gedani. Hic ab ipſo b. Auctore in linguam latinam fuit verſus multisque in locis partim emendatus, partim auctus. Deficiunt tamen in eo hiſtoria muris Alpini et, editioni priori latinae adiectae, tabulae aeneae. Ille vero parum mutatus et auctus, ſolummodo linguae germanicae datus eſſe videtur, cui vero tabulae iſtae aeneae, quibus prior germanica editio caret, et hiſtoria muris Alpini denuo ſunt additae. Vterque liber ſic inſcribitur:*)

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. p. 49.

IO. TH. KLEINS *Vorbereitung zu einer vollſtändigen Vögelhiſtorie, nebſt einer Vorrede, von der Ordnung der Thiere überhaupt, und einen Zuſatz der Hiſtorie des Murmelthiers, wie auch eines alten Wörterbuchs der Thiere. Aus dem Lateiniſchen überſetzt, durch D. H. B. Leipzig und Lübeck,* 1760. 8. *m. K.*

IO. TH. KLEINS *verbeſſerte und vollſtändigere Hiſtorie der Vögel, herausgegeben von* GOTTFRIED REYGER. *Danzig,* 1760. 4.

Quadrupedum diſpoſitio breuisque hiſtoria naturalis. Lipſiae, 1751. 4. c. f. *

Eundem hunc librum germanice redditum quam pridem in lucem edet F. D. BEHN *Lubecae.*

Tentamen methodi oſtracologicae ſiue diſpoſitio naturalis cochlidum et concharum in ſuas claſſes, genera et ſpecies, iconibus ſingulorum generum aeri inciſis illuſtrata. Accedit lucubratiuncula de formatione, cremento et coloribus teſtarum, quae ſunt cochlidum et concharum; tum commentariolum in locum PLINII Hiſtor. natur. Lib. IX. Cap. XXXIII. de concharum differentiis; denique ſciagraphia methodi ad genus ſerpentium ordinate digerendum. Lugdun. Batav. 1753. 4. c. f. **

Tentamen herpetologiae; cum perpetuo commentario. Acceſſit I. A. VNZERI obſeruatio de taeniis, latine reddita cum dubiis circa eandem. Leidae et Gottingae, 1755. 4. c. f. ***

Lucubratiuncula ſubterranea prior de lapidibus macrocoſmi proprie talibus. Petropoli, 1758. 4. ****

Stem-

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. III. p. 461 ſeqq.

** vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. II. p. 274 ſeq.

*** vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. III. p. 462 ſeqq.

**** vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. P. I. p. 174.

Stemmata auium quadraginta tabulis aeneis ornata; accedunt nomenclatores Polono-Latinus et Latino-Polonus: *Geſchlechtstafeln der Vögel mit 40 Kupfern erläutert. Leipzig*, 1759. 4. c. f.

Ex anglica lingua in latinam transtulit ſequentem libellum: HANS SLOANE *Nachricht eines bewährten Mittels vor Schmerzen, Blödigkeit und mancherley andere Krankheiten der Augen, nebſt einen Anhang wider den Biſs eines tollen Hundes. Danzig*, 1745. 8.

In Transactionibus philoſophicis Anglicanis ſequentia exſtant ſchediasmata.

An Anatomical Deſcription of Worms, found in the Kidneys of Wolves in a Letter to Sir HANS SLOANE. Vol. XXXVI. Numb. 413. p. 269.

A Letter to Sir HANS SLOANE, ſerving to accompany the Pictures of a very extraordinary foſſile Skull of an Ox with the Cores of the Horns; of the *Plica Polonica* mentioned in Transact. Numb. 417. and of a very large Tumor of the Eye. Translated from the Latin by T. S. Vol. XXXVII. Numb. 426. p. 427.

Diſſertatio de Sciuro volante, ſiue muro Pontico aut Scythico GESNERI, et veſpertilione admirabili BONTII per H. SLOANE communicata. Vol. XXXVIII. Numb. 427. p. 32. c. f.

Inſectum aquaticum antea non deſcriptum cum icone et deſcriptione ad Ill. H. SLOANE miſſa. Vol. XL. Numb. 447. p. 150.

An Account of Lettres found in the Middle of a Beech by I. Th. KLEIN communicated to the Royal Society by Sir H. SLOANE. Translated from the Latin by T. S. Vol. XLI. P. I. Numb. 454. p. 231.

Oſſis bregmatis Giganteae magnitudinis icon; cum problemate de Gigantis ſtatura determinanda ſecundum regulas artis delineatoriae ad Ill. Reg. Societ. Praeſ. H. SLOANE transmiſſo. Vol. XLI. P. I. Numb. 456. p. 308.

Ex veterum Pruſſorum re antiquaria Schediaſma cum D. H. SLOANE communicatum. Vol. XLI. P. I. Numb. 457. p. 384.

Relatio CORNELII LE BRVYN de oſtreis petrefactis illuſtrata. Vol. XLI. P. II. Numb. 459. p. 568.

Breuis hiſtoria naturalis, ſiue de vita, genere moribusque muris Alpini communicata per PETRVM COLLINSONVM Vol. XLV. Numb. 486. p. 180.

Upon the Sounds and Hearing of Fishes by I. Th. KLEIN. Some Account of a Treatiſe, intitled; An Inquiry in to the Reaſons why the Author of an Epiſtle concerning the Hearing of Fiſhes endeavours to prove they are all mute. and deaf; by RICHARD BROCKLESBY. Vol. XLV. Numb. 486. p. 233.

In tentaminibus et commentariis ſocietatis naturae indagatorum Gedanenſis ſequentes inſerti ſunt commentarii.

In Tomo primo.

N. II. *Unterſuchung des Verſuchs Herrn. L. Ph. Thümmigs von Verwahrung der Blumen etliche Jahre über.* p. 76-105.

N. IV. *Das Fiſche weder ſtumm noch taub ſind, aus Gelegenheit eines Briefes in der franzöſiſchen Bibliotheck (XXXVII Band II Theil p. 273. etc.) vom Gehör der Fiſche; wornach ein ungenandter Autor behaupten wollen: dieſe Fiſche wären alle taub, nachdem ſie alle ſtumm ſind. p.* 106-143.

N. IX.

N. IX. *Zufällige Gedanken über ein obhandenes Syſtem, vor die bisherige ſteinartige Seegewächſe; nebſt einem Abriß, wie ſelbige in begreifliche Ordnung zu bringen. p.* 346-357.

N. XII. *Was irrende, oder Streich- und was Zugvögel ſind, auch wo die meiſten Vögel, beſonders Schwalben und Störche überwintern? (dieſe Abhandlung iſt der* 3*te Theil von der natürlichen Hiſtorie der Vögel) p.* 407-506.

In Tomo ſecundo.

N. I. *Vom Bau, dem Wachsthum und der Schilderung der Schneckenſchalen. p.* 1-68.

N. II. Cancer quaſimodogenitus, *oder Nackter Taſchenkrebs aus der Inſul Wight. p.* 187-208.

N. IX. *Erörterung: ob Ribbenfleiſch eines Thieres durch die Länge der Zeit könne verbeinert, oder gleich denen Ribben in Knochen verwandelt werden? p.* 252-262.

N. XII. Echinites Teſdorpfii. p. 292-294.

N. XV. *Von Schaalthieren,* Conchae anatiferae; *Entenmuſcheln, und beyläufig von Pholaden oder Steinmuſcheln. p.* 349-354.

In Tomo tertio.

N. II. *Von der erdichteten Thierpflanze Borametz und* Agnus vegetabilis Scythicus *genandt. p.* 219-225.

N. VIII. *Natürliche Hiſtorie des Caffebaums und deſſen Anbau in Danzig aus eigner Erfahrung. p.* 424-442.

In ſcriniis huius ſocietatis etiam latent ſequentes nondum editi commentarii.

Anmerkungen über die Springkölbchen. 1745.

Methode, wie die Haut der Fiſche auszutrocknen.

Vom Nashorn. 1748.

Von den Dingen, die in der Erde befindlich. 1749.

Von Verwandlung der Cörper in Achat.
Anmerkungen über die Beſchreibung eines Meerrochen. 1751.
Schreiben an den Herrn Bergrath EILENBVRG, *wegen der Laubfröſche.* 1752.

In promptuario Hamburgenſi reperitur.

Unterſuchung unterſchiedlicher Meinungen vom Herkommen und Fortpflanzung der im menſchlichen Körper befindlichen Würmer. Band 18. *St.* 1. *p.* 19.

In elogio ſuperius indicato indicem quoque ſcriptorum nondum editorum inuenimus, ad quae b. Vir, ante obitum, vltimam admouit manum.

Ordnung und vermehrte Hiſtorie der vierfüßigen Thiere. Hic liber proxime in lucem prodibit Auctore REYHERO.
Tentamen plantas marinas in ordinem redigendi.
Ouarium Pruſſicum magnitudine naturali viuisque coloribus.
Salis Polonici hiſtoria phyſica, oeconomica et politica.
Petrificata Gedanenſia ad uſum lithologicum.
Dubia quaedam circa plantas marinas.
Lucubratiuncula ſubterranea poſterior, de lapidibus idiomorphis.
Lucubratiuncula ſubterranea ulterior, de terris et mineralibus.

Reliquit b. Kleinius et alia ſchediaſmata, quae indicata inuenies L. B. in praefatione, quam Cl. TITIVS ſtemmatibus auium praemiſit.

XVII.

Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1758. prodierunt.

Commentarii noui Academiae ſcientarum Imperialis Petropolitanae. Tomus IIII. ad annum 1752 et 1753. Petropoli, 4. mai. c. f.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences. Année 1750, avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique, pour la même Année, tirés des Regiſtres de cette Académie. à Amſterdam, 12. avec. fig.

Auserleſene mediciniſche, anatomiſche, chymiſche und botaniſche Abhandlungen der Römiſch-Kayſerlichen Academie der Wiſſenſchaften; aus dem Lateiniſchen überſetzt. Fünfter Theil. Nürnberg, 4. m. K.

Medical Obſeruations and Inquiries by a Society of Phyſicians in London, Vol. I. The ſecond Edition corrected. London, 8. mai. c. f.

Nuoua Raccolta di opuſcoli ſcientifici e filologici. Tom. IV. Venezia, 8.

Kongl. Suenska Vetenskaps Academiens Handlingar för Aor. 1758. Vol. XIX. Stokholm, 8 m. c. f.

Acta Heluetica phyſico-mathematico-anatomico-botanico-medica, figuris aeneis illuſtrata, et in uſus publicos exarata. Vol. III. Baſileae, 4. c. f.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences et Belles Lettres. Année MDCCLVI. a Berlin, 4. avec. fig.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappye der Weetenſchappen te Haarlem. Vierde Deel. Te Harlem, 8. mai. c. f.

Abhandlungen der Holländiſchen Geſellſchaft der Wiſſenſchaften zu Harlem. Gröſtentheils überſetzt, und mit einigen Anmerkungeu verſehen, von ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER. *Erſter Theil. Altenburg 8. m. K.*

Hiſtoire naturelle, generale et particuliére, avec la deſcription du Cabinet du Roi. Tome ſeptiéme. a Paris, 4. mai. avec. fig.

Eiusd libri Tomus IX. X. XI. XII. et XIII. ibid. 12. Voll. 5.

Allgemeine Hiſtorie der Reiſen zu Waſſer und zu Lande, oder Sammlung aller Reiſebeſchreibungen mit vielen ſchönen Kupfern und Landcharten. 16*ter Band. Leipzig,* 4. *m.*

Hamburgiſches Magazin der geſammleten Schriften, aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. Des 20*ſten Bandes* 2*tes bis* 6*tes Stück, und der* 21 *Band. Hamburg und Leipzig,* 8. *m. K.*

Bremiſches Magazin zur Ausbreitung der Wiſſenſchaften, Naturlehre, Künſte und Tugend, mehrentheils aus den engliſchen Monathſchriften geſammlet. 2*ten Bandes,* 1, 2, *und* 3*tes Stück. Bremen,* 8.

Fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oekonomie, und den damit verwandten Wiſſenſchaften, 16, 17, 18*tes Stück, (womit der* 3*te Band beſchloſſen)* 19, 20, *und* 21*tes Stück. Nürnberg,* 8.

Leipziger Sammlungen von wirthſchaftlichen-Policey-Cammer- und Finanz Sachen. 13*ter Band, nebſt einer Vorrede und nöthigen Regiſter, von* 145 *bis* 156. *Stück verſehen. Leipzig,* 8.

Oeconomiſch-phyſicaliſche Abhandlungen. 14*ter Theil. Leipzig,* 8.

Oeconomiſche Gedanken zu weitern Nachdenken eröfnet, aus dem Däniſchen überſetzt von C. G. MENGEL. 4*ter Theil. Koppenhagen,* 8.

Phyſicaliſch oeconomiſche Wochenſchrift, als eine Realzeitung der Haushaltungs-Wiſſenſchaft. 2*ter Band. Stuttgard,* 4.

Phyſicaliſch-oeconomiſche Auszüge, aus den neueſten und beſten Schriften, die zur Naturlehre, Haushaltungskunſt, Policey- Cameral- und andern damit verwandten Wiſſenſchaften gehören. 1ſten Bandes 1 *und* 2*tes Stück. Stuttgard,* 8.

Nordiſche Beyträge zum Wachsthum der Naturkunde. 2ten Bandes 1ſter Theil. Altona, 8. *m. K.*

Iournal oeconomique ou Memoires, Notes et Avis ſur les Arts, l'Agriculture, le Commerce et tout ce, qui peut y avoir rapport, pour l'année 1758. Parties XII. a Paris, 8. m. (*Externa menſtruae huius ſcriptionis forma eſt mutata*)

Mercure Danois pour l'année. 1758. Parties XII. a Copenhuag.

Excerptum totius Italicae nec non Helueticae litteraturae pro anno 1758. Tomus Imus. Bernae, 8.

Collection Académique compoſée des Mémoires, Actes ou Iournaux des plus célebres Academies et Sociétés Littéraires Etrangéres, des Extraits des meilleurs ouvrages périodiques, des Traités particuliers et des Piéces fugitives les plus rares, concernant l'Hiſtoire Naturelle et la Botanique la Phyſique Expérimentales et la Chymie, la Médécine et l'Anatomie; traduits en François et mis en ordre par une Société de Gens de Lettres. Tome 5ieme de la partie étrangere, et le ſecond volume de l'Hiſtoire Naturelle ſeparée contenant les obſeruations de IEAN SWAMMERDAM ſur les Inſectes; avec de notes et trente-ſix planches en taille-douce. a Dijon. 4. (*Scripta haec colligit et in lucem edit Cl.* GVENEAV.)

Onomatologia hiſtoriae naturalis completa: *oder vollſtändiges Lexicon, das alle Benennungen, oder Kunſtwörter der Naturgeſchichte, nach ihrem ganzen Umfange erkläret, und eine deutliche Beſchreibung des Nützlichen und Sonderbaren von allen Thieren, Pflan-*

Pflanzen und Mineralien, nach den wichtigſten Urkunden in ſich faſſet. Erſter Theil. Ulm, 8. mai.

Bibliotheque de Phyſique et d'Hiſtoire Naturelle, contenant la Phyſique generale, la Phyſique particuliere, la Mechanique, la Chimie, l'Anatomie, la Botanique, la Médécine, l'Hiſtoire Naturelle des Inſectes, des Animaux et des Coquillages. a Paris, 12. Tomes 5. (*Auctor huius collectionis eſt Cl.* LAMBERT.)

Dictionnaire de Phyſique portatif, orne de planches et de figures, à l'uſage des perſonnes, qui n'ont aucune teinture de Geométrie, dans le quel on explique le Syſteme phyſique de NEWTON, les points les plus intereſſans, les expériences, les plus curieuſes et les termes les plus obſcurs de la Phyſique moderne par un Profeſſeur de Phyſique. a Avignon, 8. (*Auctorem eſſe accepimus P.* PAVLIAN, *e. Soc. Jeſu.*)

Traité des corps ſolides et des fluides du corps humain; avec traité de l'uſage des langues vivantes dans les ſciences particulierement de la françoiſe en Médécine. a Paris, 12.

Electricitas. Norimbergae, 4. (*Carmen, quo Auctor vim electricam et electica phaenomena canit.*)

Mémoire ſur les Tremblemens de Terre, qui a remporte le prix de Phyſique au jugement de l'Academie des Sciences, Belles Lettres et Arts de Rouen le 3 Aout. 1757. a Paris, 8. (*Auctore Cl.* ISNARD.)

Eſſai ſur l'amelioration des Terres. a Paris, 12. (*Auctore M.* PATVLLO.)

Abhandlung von dem Roſte im Getreide, von einigen Rötlen und Carfangel genandt, oder Verſuche über die Urſachen dieſer verderblichen Krankheit, und über die Mittel, wie ſolchen zu wehren. Zürch, 8.

Mémoi-

Mémoire inſtructif ſur la Maniere de raſſembler, de préparer, de conſerver et d'envoyer les diverſes Curioſités d'Hiſtoire Naturelle avec un Avis pour le transport par Mer des Arbres, des Plantes vivaces, des ſemences et de diverſes autres curioſités d'Hiſtoire naturelle. a Lion, 8. mai. c. f.

Anmuthigkeiten des Landlebens, oder ſonderbare Anmerkungen, wie man Landhäuſer und Gärten anlegen, und die Plätze gehörig eintheilen und auszieren könnte, aus dem Holländiſchen und Franzöſiſchen überſetzt. Göttingen, 4. mai.

Wohlbewährte Fiſch-Geheimniſſe, oder deutlicher Unterricht von der groſſen Nutzbarkeit der Fiſcherey. Nürnberg, 8.

Examen des eaux minerales de Verberie. a Paris, 12. (*Auctore M. de* MACHY.)

Otia metallica, *oder Bergmänniſche Nebenſtunden, darinnen verſchiedene Abhandlungen von Bergſachen enthalten ſind. Schneeberg,* 8. (Auctor eſt BEYER.)

Foſök til Mineralogie, eller Mineral Rikets Uppſtälning. Stockholm. (*Auctor Cl.* CRONSTEDT *eſſe dicitur.*)

La Platina, l'Or blanc, ou le huitiéme Metal; Recueil d'Experiences faites dans les Académies Royales de Londres, de Suede etc. ſur une nouvelle ſubſtance métallique tirée des Mines du Perou, qui a le poids et la fixité de l'Or etc. a Paris, 12.

Sammlung auserleſener Wahrnehmungen, aus der Arzneywiſſenſchaft, der Wundarzney- und Apothekerkunſt. 2ter Band. Frankfurth und Leipzig, 8.

Phyſiologia, of Natuurkundige Ontleding van het menſchelyke Lichaam, waarin deszelfs Maakſel, Werking, enz. verklaart wordt. 7. 8. 9 de Stukje. te Amſteldam. 8. mai.

Extrait raiſonné du Traité de l'Homme Phyſique et Moral et des Inſtitutions medicinales: Noſce te ipſum. a Paris, 12.

Beweiſs, daſs der Menſch nur einen einzigen Hauptſinn, nämlich das Gefühl beſitze. *Sorau*, 8.

Kurze Beſchreibung und Heilungsart der Krankheiten, welche am öfterſten in den Feldlagern beobachtet werden. Wien. 8.

Neue, ſichere, kurze und leichte Art, Menſchen, welche von der Wuth befallen ſind, zu heilen. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt, und mit einer neuen Vorrede begleitet. Nürnberg, 8. (Methodus eſt FRIDERICI CLAVDII DVCHOISET, *germanice reddidit nobilis foemina et praefatus eſt Cl.* DELIVS.)

Diſſertation ſur la Petite-Verole, dans la quelle on prouve, que cette maladie n'eſt pas dangereuſe et dans la quelle on donne en même tems les moyens de prévenir les dommages qu'elle fait à la beauté. a Paris, 12. (*Auctore* PAION DE MONCETS.)

Diſſertation en forme de Lettre ſur l'effet des Topiques dans les maladies internes, en particulier ſur celui du Sieur ARNOVLT contre l'Apoplexie, écrite par un Médecin de Paris à un Médecin de Province; Cinquiéme édition augmentée de pluſieurs piéces intéreſſantes. a Paris, 12.

Programma in memoriam Io. Ern. Hebenſtreitii. Lipſiae, 4. (*Auctore* CHRIST. GOTTLIEB LVDWIG: *de finibus officii medentium in morbis contagio nocentibus.*)

Examen d'un Livre, qui a pour titre: T. TRONCHIN, de colica Pictonum, par un Médecin de Paris. a Geneve, 8.

Programma in memoriam RVD. FERD. L. B. DE SILVERSTEIN. Lipſiae, 4. (*de vanis longaeuitatem acquirendi remediis agit* CHR. GOTTL. LVDWIG.)

Del

Del feto morto nell' Utero Diſſ. contra un apologetica del S. COSTARI. (*ſ. l. et a.*) 8. mai.

Lettre d'un Medecin de Province a un Medecin de Paris datée de Chalons. 12.

Sammlung chirurgiſcher Bemerkungen, aus verſchiedenen Sprachen überſetzt. Erſter Theil. Altenburg, 8. m. K.

Spagyriſche Chirurgie oder Wundarzney, worinn von allen Krankheiten der Haut tractiret wird. Schneeberg, 8.

Beantwortung der von einigen Medicis wieder die Chirurgos herausgegebenen Schriften, in einem Sendſchreiben entworfen. Frankfurth und Leipzig. 4.

The Elaboratory laid open, or, the ſecrets of modern chemiſtry and pharmacy revealed, containing many particulars, extremely neceſſary to be known to all Practitioners in Medicine, London, 8. mai.

Codex medicamentarius ſ. Pharmacopoea Pariſienſis. Editio quinta. Pariſiis, 4.

Pharmacopoea Collegii Regii Medicorum Edinburgenſium, ſecundum editionis Edinburgenſis noviſſimae exemplar recuſa in uſum praelectionum academicarum. Bremae et Lipſiae. 8.

Manuel des Dames de Charité : ou Formules de Médicamens faciles â préparer, dreſſées en faveur des perſonnes charitables qui diſtribuent les remedes aux Pauvres dans les Villes et dans les Campagnes avec des remarques utiles pour faciliter la juſte application des remedes qui y ſont contenus, enſemble un Traité abrégé de la Saignée et un extrait de pluſieurs remédes choiſis tirés des Ephémérides d' Allemagne: quatrieme édition, revue et augmentée de la deſcription des maladies. a Paris, 12.

Idem liber italice verſus prodiit Lucae. 8.

Contenta in hac parte.

1. Mémoires de l'academie royale de Chirurgie Tom. III. p. 195.
2. BAYLIES Practical reflexions on the uſes and abuſes of Bath-waters p. 225.
3. SVE Traité d'Oſteologie p. 235.
4. Recherches ſur les differens moyens pour refroidir les liqueurs p. 240.
5. HEFFTERI Muſeum diſputatorium phyſico-medicum tripartitum. Vol. I. Pars 1. 2. 3. p. 242.
6. HILL Exotic Botany p. 249.
7. ALBINI Academicarum annotationum Lib. IV. p. 257.
8. LOVBET Lettres ſur la maladie de la Goutte p. 262.
9. ROEDERERI Elementa artis obſtetriciae aucta et emendata p. 265.
10. FABRICII Enumeratio methodica plantarum horti medici Helmſtadienſis p. 283.
11. Medical Obſervations and Inquiries; by a Society of Phyſicians in London. Vol. I. p. 292.
12. LVCHTMANNI Diſſ. de ſaporibus et guſtu p. 320.
13. GLASERS *Beſchreibung ſeiner neuerfundenen Blutwage und Blutmeſsgeſchirrs* p. 332.
14. BAIERI Monumenta rerum petrificatarum praecipua, et Oryctographia Norica p. 343.
15. SCHAEFFERS *Kalkartiges Bergmehl* p. 346.
16. Noua phyſico-medica p. 348.
17. Index ſcriptorum phyſico-medicorum quae anno 1758. prodierunt p. 377.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS VIII. PARS III.

LIPSIAE. MDCCLIX.

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam

Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud C. G. Seyffert, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Goleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weetenſchappen te Haarlem. Tweede Deel. Te Haarlem by I. Boſch. 1755. 8. pag. 652. Tab. aen. 7.

h. e.

Commentarii Societatis Scientiarum Harlemenſis. Pars II. Accedunt plagulae 9 obſeruationum meteorologicarum.

Securum remedium, quo dolores arthritici leniantur et ſedentur, exhibet B. FVVN. p. 1.
Valde ſimplex eſt et huc redit. Rec. Polypod. Hermodactyli, Rad. Bardan. Salzapar. ana vncias quatuor, Raſ. Lign. Sanct. vncias duas. His conciſis ſuperinfundantur menſurae nouem aquae et tres vini albi. Quieſcat infuſum integra nocte, deinde tribus horis leniter ebulliat, poſtquam refriguit per incerniculum, ex crinibus denſis conſtructum, filtretur, faecibus ſuperinfundantur menſurae ſex aquae, duae vini, ebulliat, donec pars tertia in vapores abierit; liquor decantetur, adfundatur infuſo priori, et ſeruetur in lagena vitrea. Hac potione aeger quotidie vtatur, ita quidem, vt parum vel nihil alius potus ſumat, p. 6.

 quo

quo frequentius enim adhibetur, eo citius effectus optatus obtinetur. Vitandi vero ſunt cibi farinacei, e vinis rhenanum, moſellanum, aliaque materiam acidam generatura; contra veſcatur aeger carne recenter aſſata aliisque cibis pro lubitu, piſcibus etiam recentibus fluuiatilibus et marinis. Externum remedium ſimul adhibendum linimentum eſt, quod vt praeparare doceat, primum balſamo vitae, qui illud ingreditur, conficiendo haec praeſcribit. Rec. Ol. Thereb. vncias tres, Sal. Tart. vnciam vnam ſemis, Sapon. Venet. vncias duas, Aqu. Pluuial. Pintam vnam ſemis. Sal tartari ſoluit in praeſcripta aquae copia ante calefacta, adfundit ol. Thereb. deinde adiicit Saponem ſiccatum et in puluerem comminutum, agitatque mixturam, donec viſcidus liquor membrana veluti obducatur, omnia ſimul indantur lagenae, adfundatur vero Sp. Matrical. vel Iunip. vnciae duae. Quotiescunque vſus eſt huius balſami, bene agitetur. Balſamus dolores arthriticos pellens hic eſt: Rec. Huius Balſami Vitae vnciam vnam, Ol. Coelilaban. guttas quinquaginta. M. Oleum hoc *coelilaban* vel proprie *coeliawang* difficulter genuinum habetur. Relatum vero eſt noſtro, exprimi *Ambonae* in Aſia, ex radicibus arborum, nuces myriſticas et caryophylla aromatica ferentium, vnde valde eſt aromaticum anodynum et confortatiuum, neque ſolitarium adhiberi debet, vtpote nimis calidum, quod epidermidem inflammare poſſit. Genuinum habetur Amſtelodami apud pharmacopolam *Auink* et Haarlemi apud pharmacopolam *Sterk*. Balſamus hic non ſaltim dolores arthriticos vehementiores tollit, ſed rheumatismis omnis generis aliisque doloribus, membris extortis alioque modo laeſis medetur, ſi bene agitatus, bis vel ter quotidie, vola manus partibus aegris illiniatur. Potionis ſcopus eſt, vt materies viſcida arthritica diluatur, quo vrina et tranſpiratione ſecerni

poſſit;

poſſit; adhibenda vero eſt, quamprimum initium morbi ſentitur, quotidie ad minimum vna vel duo lagenae ingerendae ſunt, ſublato morbo corpus purgandum eſt. Linimenta ſola forte materiam arthriticam verſus partes nobiliores interiores pellerent. Si tenacior morbus membro alicui inhaereat, veſicatoria ibi applicat. Haec vero, plurium annorum experientia edoctus Noſter, eo ſecurior ab omni ſuſpicione quaſi lucrum quodpiam captaret, ſuadet, quoniam inde a decem annis medicinam non amplius facit.

2. *Praeparationem, effectum et vſum remediorum* p. 13. *aliquot parum adhuc vſitatorum* docet IOBVS BASTER. Sunt illa *Spiritus* MINDERERI deſcriptus in BOERHAAV. Chem. T. II. proc. 108, a MINDERERO Scoto inprimis in vſum introductus et poſtea in pharmacopoeis Anglis deſcriptus, cuius vſum inſignem Noſter in adfectibus bilioſis expertus eſt. *Vitrum ceratum antimonii;* (Act. Med Edimburg T. V. p. 162.) Noſter vitro antimonii, vt Cl. YOVNG docuit, praeparato et comminuto triplum Sacchari candidiſſimi admiſcet. Pulueris huius grana viginti vsque triginta ſex (grana quinque vsque nouem vitri antimonii continentia) ieiunis praebet, vehiculo vſus conſ. roſ. rubr. vel pulpa pomi aſſati, ita felices ſemper effectus expertus eſt; inprimis dyſenteriam ſemper ſiſtit, interdnm cum, interdum ſine vomitu. Suſpicatur, ſaccharum vim antimonii moderari, effectus autem eo melior, quo recentius erat vitrum ceratum. *Mercurius alcaliſatus* (Quincy pharm. offic. p. 99). *Kermes Minerale* *ſ. puluis carthuſianorum* (Mem de l' Acad. des Sc. 1720). quo Noſter inprimis in morbis pectoris muco viſcido tenacius adhaerente vtitur; tunc Kerm. Min. drachmam vnam, Farin. Liquirit. virid opt. drachmas ſex accurate miſcet, et pulueris inde orti a granis

(margin: p. 22. p. 28. p. 32. p. 36.)

viginti ad viginti quinque ſingulis tribus aut quatuor horis praebet. Lene diaphoreticum eſt, vomitus non adeo vehementer interdum ciens, quibus mucus eiicitur. Puluerem ipſum ter aut quater ab
p. 36. aegro eiectum vidit, effectu tamen ſalutari. *Aqua calcis oſtrearum* (WHYTT Medical Eſſays T. V. V. II. p. 156). Huius virtutem lithonthripticam, vt examinaret Noſter, calculum piſi magnitudine, paululum oblongum aquae calcis indidit, et per octiduum in fornace calida deſtillatoria repoſuit. Poſt calculus paululum magnitudine auctus ipſi apparuit, microſcopium oſtendit illum materia alba velut niue aut pruina obduci, qua lotione ſeparata, rurſus microſcopium adhibuit, tunc vero calculus fovearum plenus ſpongiae admodum apparuit, ponderis vero grana ſeptem perdidit. Similia in aliis calculis vidit, vnde infert, aqua calcis non tam ipſam calculi terream materiam abſorberi, quam gluten veluti illud, quod partes coniungit, diſſolui. Sales autem muriaticos, in ſanguine noſtro haeren-
p. 48. tes, aqua calcis diſſolui BOERHAVII auctoritate probat. Deinde in viro, qui calculum fere fabæ magnitudine eiecerat, aliquot menſibus vero elapſis rurſus omnia calculi ſymptomata, mictum in primis cruentum expertus erat, ſalutarem aquae calcis, absque ſapone, effectum Noſter vidit. Vtilem etiam comperit in adfectibus, ex temperamento acido aut phlegmatico ortis, ipſis infantibus, quibus propter obſtructiones nocent teſtacea.

p. 53. 3. *Vtilitatem poeſeos* laudat H. F. SYBEL.

p. 77. 4. *Parelia* et *Halones* 18 Octobr. 1753. Hagae viſos deſcribit IO. FRANC. DRYFHOVT.

p. 90. 5. DE LA CAILLE *obſeruationes meteorologicae, in capite Bonae Spei inſtitutae*, potiſſimum ad ventos ibi plerumque regnantes pertinent. Sunt autem

autem illi Auſtroeurus (S-O.) et Boreazephyrus (N-W.) reliqui autem parum conſtantes ſunt et veluti tranſitus vnius ventorum praedictorum in alium. Calorem maximum obſeruauit Febr. 17 et p. 107. 22. anni 1752, graduum $33\frac{1}{2}$ et 35 thermometri cuius gradus glaciei et aquae ebullientis ſunt 0 et 50, omnes vero hunc calorem inſuetum pronunciarunt. Hos dies, noctibus frigidis et humidis intermixtos, nebulis itidem matutinis foedos mox ſequutus eſt morbus epidemicus fere vniuerſalis multis ſenibus exitialis. Erat vero catarrhus ex refrigerio, acce- p. 108. dentibus febri, graui dolore capitis et omnimoda deiectione virium. Dierum aeſtiuorum quietorum calor maximus, vt in Europa grad 28, 29; flante vero Auſtroeuro, frigidus eſt aer, id quod calorem ob aequatoris viciniam alias intolerabilem moderatur. Hyeme glacies nulla, thermometrum infra gradum $4\frac{1}{2}$ deſcendere Noſter non vidit. Barometri p. 113. variatio intra 27 dig. $10\frac{1}{2}$ lin. et 28 dig. 8 lin. continetur.

6. *De motu mercurii* commentatur IO. SCHIM, p. 117. HALLEII tabulas vt emendet, inprimis tranſitus planetae per ſolem hus vsque obſeruatos adhibens.

7. Logarithmorum computandorum compendia p. 166. docet GVIL. OTTO REITZ et briggianos ad loca decimalia 18. computatos pro numeris 101-1000. item pro fractionibus quibusdam decimalibus exhibet, vſum ſimul docens.

8. *De ſtypticis et modis ſanguinem ſiſtendi* agit p. 225. TH. SCHWENCKE. Poſtquam omnes fere enume- p. 238. rauerit, eos praefert, quibus vaſa celerrime comprimuntur. Sanguis vero non coagulatur. Id fieri vidit MORANDI, PETITI et aliorum compreſſionibus artificialibus nullo praeterea remedio adhibito,

bito, vel in ipſis artuum amputationibus, multo feliciorem igitur euentum ſpondet, ſi remedia adſtringentia ſimul adhibeantur. Huic rei inprimis idoneum iudicat Lycoperdon, et Agaricum pedis equini facie, quod ex ipſa illorum ſtructura explicat.
p. 240. Conſiſtit enim Lycoperdon ex veſiculis cauis, quae ex tribus lateribus verſus vnum punctum exeunt, vt omnes hae cellulae inter ſe communicent, fila igitur Lycoperdi ſuctione vaſa aperta omnia contrahunt. Hoc vero incommodi habent, quod haec ipſa fila vncis veluti ſuis poros intrent et ſpongia magna vi adhaereat, vix rurſus, etiam emollientibus adhibitis
p. 241. ſeparanda. Agaricus multum tenuioribus et denſius coagmentatis fibrillis etiam cauis conſtat, quarum longitudinales transuerſis iunguntur. Hinc aeque vt lycoperdon aquae, filtri ad modum ex vno vaſe in aliud ducendae, inſeruit. Fruſta agarici et lycoperdi ſingula granor. 9. illud gr. 134; hoc 244 aquae receperunt, vt pateat Lycoperdi cellulas maiores eſſe, et liquoribus craſſioribus recipiendis magis idoneas.

p. 251. 9. *De vulnere thoracis ſanato* refert I. M. HOFMANN, primus chirurgorum in noſocomio prouinciali Namurcenſi. Militi 24. aut 25 annorum, iam ante aſthmatico, gladio vulnus infligebatur in dextro thoracis latere inter coſtam tertiam et quartam in parte ſuperiore, vt craſſisſima pars muſculi thoracis laederetur. Perimetrum tumor occupabat, vt difficulter perueniri poſſet in cauum thoracis ipſaque vulneris conditio ſub initium ignoraretur. Symptomata ſanguinis extrauaſati, diaphragma premen-
p. 254. tis, paracenteſin ſuadebant. Hanc igitur peregit Noſter inter tertiam et quartam coſtam dorſi, initio computandi ab inferiore ſumto, manus transuerſae diſtantia a vertebris dorſi. Leuamen inde ſenſit aeger, plurimum tamen ſitiens, et cum inſignis copia

copia liquoris ex vulnere profluerit, Noſter inueſtigaturus, vnde proficiſcatur, nihil niſi lac bibere aegrum iuſſit, is vero coagulatus ex vulnere egreſſus eſt, vnde conſtitit, oeſophagum laeſum eſſe. Quare ieiunium quatuor aut quinque dierum aegro imperauit, aquam ſolam permittens, qua os elueret, quinta tamen, cum ferre famem amplius non poſſet, pultem farinaceam craſſiorem praebuit, ſexta potum, qui cum amplius e vulnere non exiret, clauſum illud eſſe intulit. Bene vero tunc reſpirauit aeger, et cibos appetiit. Vulnus gladio inflictum quatuor ſeptimanis coiit, alterum vero paracenteſis, ob pus et liquorem tenuem acrem foetentem, quae effluebant, cannula apertum teneri oportuit. Ita contabuit aeger, poſtquam nouem menſes decubuerat, vsque ad mortem cibos appetens, parum febris et tuſſis ſentiens. In cadauere aperto, pars pulmonis, lateri vulnerato adiacens, putredine conſumta erat, thorax interior maculis obſitus, coſta vulneri vicina valde carioſa, alter pulmonis lobus pluribus in locis pleurae adnatus, et pars interior ſcirrhoſa. In oeſophago nihil praeter ſtriam exiguam longitudinalem vidit, quam pro vulneris veſtigia habuit, cetera omnia ſana. Ergo oeſophagi vulnera per ſe non lethalia ſunt, propter ea vero, quae accedunt, periculi pleniſſima.

Aliud thoracis vulnus, quomodo ſanatum ſit, idem p. 259.
HOFMANN enarrat. Id vnicum ex hac relatione adducere nobis liceat, quod aeger, ante vulnus, etiam gladio inflictum, ob hydropem pectoris aſthmaticus, poſtquam vulneris huius cauſſa paracenteſis adhibita p. 267.
fuit, et aqua ex apertura profluxit foetida, rectius valuerit, cuius cauſſam vulneri Noſter tribuit.

10. *Vulnus capitis ſanatum*, *idem* enarrat. Militi p. 269.
dum murorum ſtructori manus auxiliatrices praeſtabat, lapis in frontem incidit, eo loco verſus dex-

 tram,

p. 271. tram, vbi crines enaſcuntur. Trepanatione duorum pollicum ſpatio a ſupercilio, prope ſinum longitudinalem ſuſcepta, ingens copia ſanguinis extravaſati ſupra duram matrem reperta eſt: ipſa dura mater flaccida et nihil fere reſiſtens; ſanguinem, quantum fieri poterat, eduxit. Oſſiculum, quod eximi oportuit, craſſitie tertiam digiti partem aequabat, in eo reperit tria aut quatuor foramina, quorum tria in vnum ouale coierant, erant vero inſuetae magnitudinis. Apparebant illa in caluaria, cuius pars ſuperior reſecta eſt, prope ſinum longitudinalem, dextro latere, vbi vaſa durae matris os intrant. Lapis illa diffregerat, hinc dura mater, quam olim integra vaſa caluariae alligauerant, ſubſidens flauida facta fuerat, ſimul ſanguis exiuerat. Aliquot poſt diebus, vulnere licet ſanato, aeger veluti pondus oculi dextri ſenſit, ſine dubio ob copiam ſanguinis extrauaſati verſus os ethmoides delapſam, quae antequam educi poſſet, ſuppurationem paſſa erat. Ma-
p. 772. ter dura particulatim a lamina ſua ſuperiore ſeparabatur, elaterem recuperabat, et puncta carnea emittebat, manebat tamen ſinus verſus inferiora puris plurimum emittens, donec puncta carnea matris durae cauum oſſis replere incipiebant. Adhuc grauari oculum et conuulſionibus agitari aeger querebatur, tegebat etiam oculum tumor oedematoſus et obiecta omnia duplicia ſpectabat. Cum vero iuberetur capite e lecto propendente decumbere, et puri exitus e vulnere per lamellam plumbeam procuraretur, imminutus paulatim eſt liquoris effluxus, ſinus coiit, et oculi ſymptomata ceſſarunt, itaque ſanus et ſoſpes noſocomium reliquit.

p. 275. II. *Cometa, quem aſtronomi* 1757 *vel* 1758 *exſpectabant*, quibus in coeli locis quaerendus ſit, docet D. KLINKENBERG.

Partis

Partis Secundae Sectio Secunda.

12. *Experimentum de variolarum inoculatione* edit p. 319.
H. D. GAVBIVS. Nouae operationis ſuſcipiendae primam occaſionem habuit Maio 1755; filo vſus iam ante aliquot ſeptimanas pure variolarum benignarum tincto, et in capſula argentea intus deaurata, ab aere externe ſollicite ſeruato. Variolae p. 347.
vero, nullo adhuc, ex quo artem eas inoculandi Bataui exercuere, malignae fuerunt; longaque eſt morbi hiſtoria. Artificiales variolas tunc quinquagies aut ſexagies in variis Batauiae locis productas narrat Noſter, nunquam vt relatum eſt euentu mortifero. Praeſens exemplum, vbi ſumma cura adhibita reſtitutus eſt aeger, omnes monet, ne negligentius circa variolas artificiales verſemur, vnice, quia artificiales ſunt. In ipſo aegri corpore nihil erat, quod p. 350.
malignas futuras variolas ſuaſiſſet, neque tales eo tempore graſſabantur. Igitur a conditionibus corporis adhuc ignotis malignae fieri Noſtro videntur, etſi pus a benignis deſumtum ſit. In corpore igitur praeparando inſignem cautionem adhiberi iubet, ſed tamen non ſufficit ſanguinem adeo refrigerari, circulumque eius debilitari, vt nulla inflammatio aut ſuppuratio a veneno immiſſo oriatur, poſſet enim hoc ipſo effectus veneni adeo infringi, vt materies variolarum omnis non expelleretur, periculumque eſſet morbi redituri, vt iis accidit, qui naturalium variolarum ſpeciem imperfectiorem perpeſſi ſunt. Porro caſus praeſens id docuit Noſtrum, malignas p. 364.
eſſe poſſe variolas, licet longo poſt inſertionem tempore appareant, puta hic Iunii 6. cum operatio peracta eſſet Maii 25. Circa repetitionem inſertionum caute verſari iubet Noſter, neque enim conſtare, an, ſicuti aqua non niſi determinatam ſalis dati copiam ſoluit, corpus etiam noſtrum definitam ſaltim veneni copiam recipiat: cuius ſi contrarium

conti-

contingit, plus, quam conduceret, veneni ingeri corpori poſſet. Docet etiam hoc exemplum variolas artificiales illo loco, vbi vulnus inflictum eſt, non coerceri.

p. 367.

p. 372. 13. *Effectus piſcis cuiusdam Americani dum tangitur*, deſcribit ALLAMAND. Piſcis ad *Symnotos* ARTEDI, *Carapones* MARCGRAFII pertinet, hic vero non deſcribitur, quoniam Cl. GAVBIVS deſcriptionem et iconem nouo tomo operis SEBAE inſeruit. Figura eius nihil communis habet cum torpedine, effectus vero torpedinis effectibus comparat Cl. GRAVESANDE, primarius inſpector coloniae ad fluuium *Iſſequebo*, qui locus piſcis natalis eſt. Scilicet, qui illum tangunt, ictus ſentiunt, electricis Muſſchenbrockianis ſimiles adeo, vt arthriticis doloribus ſanandis etiam profuerint. Scintillae nullae exſiliunt, ſed piſcim paulo maiorem et viuaciorem tangens, ictu corpus omne permeante, in terram proiicitur crepantque articuli nullis tamen malis effectibus reſiduis; haecque omnia vnico momento contingunt. Eſt vero, qui manu prehendat piſcem nihil omnino ſentiens. Rariores ſunt piſces in fluuio, in torrentibus autem omnibus reperiundi. Ad octo aut decem perticas circa eos piſcis nullus natat. Eduli ſunt, et inter delicias Indorum, qui tamen viuos pertimeſcunt. Ceterum de piſce hoc iam loquitur du HAMEL H. Ac. Sc. 1677 referens RICHERVM in inſula *Cayenna* eum vidiſſe.

p. 376.

p. 380. 14. *Nouum Halleſii tentamen aquam marinam potabilem efficiendi* communicat ALLAMAND. Quatuor pintae aquae marinae, cretae vncia addita quatuor quintas ($\frac{4}{5}$) aquae potabilis praebent, ſanitati multo magis conducentis ea, quae calcis ope praeparatur.

p. 383. 15. *Cariem oſſium ſanatam refert* B. FVVN. Laborabat illa puella 9 annorum phlegmatica et cacochymi-

chymica, ceterum ſana, in ſecunda phalanga pollicis dextri et oſſe nauiculari pedes; amborum oſſium tumores diu per cutem exierant. Cum ſaliuatione p. 387.
vti nollent parentes, diaetam praeſcripſit ſollicite obſeruandam, vt vitaret omni modo frigidum aerem, carnes piſcesque ſalſos, acida; permiſit aeſtate fruges et legumina, hieme miliacea, et carnem recentem moderatius, item quod ex farina, lacte, ouis praeparatur: iuſcula carnis reliquis praetulit. Cor- p. 388.
pore leniter purgato, primo menſe binis definitis ſeptimanae diebus, tempus in interualla aequalia diuidentibus, vnice adhibuit granum mercurii praecipitati albi, exiguo ſacchari pulueriſati commixti, ſecundo menſe altero horum dierum vnicum, altero bina grana eiusdem pulueris tertio menſe, bina quouis eorundum dierum hocque modo, non amplius aucta doſi, donec reſtitueretur, continuauit. Quatuor menſibus aeſtiuis addidit decoctum ex Zalza, China, Bardan, etc. ita absque vlla intermiſſione et intacto ceterum corpore, pergendo, tribus annis negotium abſolutum eſt et fragmenta oſſium fere eodem tempore ambobus e locis eiecta; vulnera vero duobus diebus coierunt, quae digeſtiuo obligari et pura teneri fecit. Mercurii praecipitati albi vſum iam ante quadraginta annos RVYSCHIVS p. 394.
ſuaſerat.

16. *Nouum modum olei vitrioli edulcorandi* pro- p. 395.
ponit C. H. SCHVTTE M. D. I. H. filius. HOFFMANNI methodum emendaturus eo animum intendit, vt oleum vitriolicum cum Alcohole vini accuratius vniret, materia cuius grauitas ſpecifica inter vtrumque media eſſet adhibita. Cui fini adhibuit p. 404.
acetum vini, ſunt enim materiarum harum alcoholis vini, aceti deſtillati et olei vitrioli pondera, vt 866, 1030, 1700; Igitur oleum vitrioli fortiſſi- p. 405
mum ſextuplo aceti vini fortiſſimi in cucurbita clauſa

bene

bene permixtum nocte quieſcere ſiuit, altera die deſtillationem, igne primo leniore poſt vehementiore ſuſcepit, donec fere acetum omne tranſiuiſſet, quod quidem aquoſum erat et ſine guſtu, nam acidae eius partes oleo vitrioli ſe vniuerant. Huic reſiduo oleo vitrioli rurſus ſuperfudit ſextuplum aceti, deſtillationem rurſus vt ante peragens, idem tertia vice repetiit. Poſt ſextuplum alcoholis vini oleo vitrioli reſiduo ſuperfudit, ita vtriusque commixtio conquaſſatione facta eſt, nulla notabili efferueſcentia. Quieuit mixtura horis viginti quatuor in vitro clauſo, poſt deſtillatio alcoholis vini igne leniſſimo facta eſt, quod in cucurbita vel retorta fieri poteſt. Ita liquor odorem gratum aromaticum obtinuerat. Rurſus ſextuplum alcoholis vini oleo vitrioli reſiduo ſuperfudit, et ſecunda vice deſtillauit, ideoque opus tertia vice repetiit. Liquorem, qui tribus his deſtillationibus tranſierat, confudit, ita egregium ſpiritum vitrioli dulcem ſiue liquorem anodynum HOF-
p. 407. MANNI obtinens. Omnes tres materias, quam maxime fieri poteſt, dephlegmatas poſtulat. Aceto oleum vitrioli tum dulcius fit, tum leuius et volatilius.

p. 413. 17. *De ventis ad litora Iauae, inprimis Batauiae regnantibus* agit M. SEMEYNS.

18. *Idem refractiones aſtronomicas, in inſula ad*
p. 419. *ſeptentrionem Batauiae ſita* obſeruauit.

p. 422. 19. *De hernia inteſtinali ſanata* refert L. STEN-
p. 429. HVIS. Hernia erat inteſtinalis, ex abdomine propendens, cui, cum operatio conſueta adhiberetur, animaduerſum eſt, partem omenti et ilei, coecum vero integrum vna cum appendice vermiformi, magnam etiam coli partem fuſca et nigra eſſe et emortua et aere inſigniter expanſa; vnde partes ſanas

tardius,

tardius, quam alias decebat, per vulnus in annulum abdominalem retruſit, vt vero conciderent expanſa, partem coli emortuam incidit, partibusque ſanis in locum ſuum repoſitis, filum, quo omentum ligabatur, inteſtinumque mortuum in vulnere reliquit. Ita vero coecum integrum cum appendice p. 431.
vermiformi, ilei pars inferior, coli portio longitudine vlnae batauae dimidiae, cum parte meſenterii, vna cum ſacco herniae et tunica vaginali ſuppuratione a ſanis receſſerunt, vt commode paulatim tolli potuerint. Sanae, nudae in vulnere iacentes, p. 432.
et vix, quales eſſent, agnoſcendae in maſſam vnicam, omentum, meſenterium, extrema inteſtinorum reſiduorum, et vulnerum labia vnientem coierunt, manente duplici excrementorum exitu, inferiore maximo. Qui vt vſui eſſe poſſet, ſimul tamen partes abdominis debiliores fulcirentur, bracherium ſingulare excogitandum fuit, quod hic deſcriptum et de- p. 439.
pictum ſiſtitur.

20. *Problema ad architecturam militarem pertinens* p. 444.
ſoluit P. DE LAVANY.

21. *Qui globo pulmones traiectus fuerat, quomodo* p. 467.
ſanatus ſit refert PET. SANNIE. Vt pulmonem vulneratum a gangraena ſeruaret, omnem vehementiorem impetum ſanguinis cauendum cenſuit; igitur quamprimum velocior ire pulſus et reſpiratio difficilior fieri coepit, venam ſcindi iuſſit, octo vicibus, p. 769.
primis duabus aut tribus 24 horis. Diaetam praeſcripſit, fluida corruptioni et efferueſcentiae promtae non adeo obnoxia, ſolida facilis digeſtionis. Globus inter quintam et ſextam coſtam infra mamillam intrauerat, exiuerat intra easdem coſtas, inter apicem ſcapulae et vertebrarum apophyſes ſpinoſas, nullo fere damno coſtis illato. Anterius vulnus p. 473.
Noſter ad modum alius ſimplicis vulneris tractauit,

poſte-

poſteriore vſus eſt ad pus educendum, et remedia pulmonibus repurgandis idonea inducenda. Per hoc vulnus veſtium partes exierunt, quas in pulmo-
p. 474. ne hoſpitatas eſſe, ex eo infert, quod, poſtquam eiectae ſunt, aeger magis tuſſiit, et plus materiae per os eiecit. Ita vero diaeta ſollicite obſeruata trium menſium ſpatio aeger ſanatus eſt.

p. 479. 22. *Formulam, qua conditiones maximis propugnaculis* (baſtion) *applicantur* exhibet D. KLINKENBERG.

p. 503. 23. *Ita, ſi non detur vacuum, motus in vniuerſo ceſſaturus ſit,* inueſtigat I. ENGELMANN.

p. 525. 24. *Theoriam molendinorum pneumaticorum* edit IO. LVLOFS.

p. 622. 25. *Tabulam numerorum primorum* ipſo 6000 minorum et ex compoſitis illorum, qui minimum factorem habent 7, exhibet I. WOLFRAM.

p. 625. 26. *Quo ſenſu Moſes Exod.* XXIII. v. 18. gloriam Dei vt ſpectet, petat, explicat C. C. H. VAN DER AA.

p. 637. 27. MELCHIOR BOLSSRA quaeſtionibus a ſocietate propoſitis reſpondet, vnde litus certis in locis *Petten* et *Hondsboſſen* inde ab aliquot annis decreuerit, quibus contra mediis ſeruari et augeri poſſit. Obſeruationes meteorologicae Suaneburgenſes annorum 1749-1754. quotidianum ſtatum atmoſphaerae exhibent.

II.

A Treatiſe on the Eye, the Manner and Phaenomena of Viſion. In two Volumes. By WILLIAM PORTERFIELD, M. D. Fellow of the Royal College of Phyſicians at Edinburgh. Edinburgh: printed for A. Miller at London, etc. 1759 in 8. Vol. I. pag. 481. tab. aen. 5. Vol. II. p. 468. tab. aen. 3.

h. e.

Commentatio de oculo et ratione phaenomenisque viſus, Auct. GVIL. PORTERFIELD M. D. cet.

Quanquam Cl. Auctor non ſolum de ſano, ſed etiam de morbido oculo exponere decreuerat, tamen de priore tantum in hoc tractatu agit, doctrinamque de poſteriore alio tempore ſe traditurum eſſe pollicetur. Phyſiologia autem ocularia, quam prae manibus habemus, in quinque libros diuiſa eſt, quorum primus de externis oculi partibus, nimirum de ſuperciliis, palpebris, ciliis, glandula lacrymali, punctis lacrymalibus, ſacco lacrymali, ductu naſali et caruncula lacrymali praecipit. Secundus bulbum oculi contemplatur. Itaque in eo de ſitu, connexione, numero, motibus et fabrica oculorum, ſingulatim vero de tunicis, neruis, humoribus et ligamento ciliari, nec non nigro auibus peculiari marſupio agitur. Tertius viſum delineat. Deſcripta enim lucis natura inquiritur in rationem videndi, ac inprimis de directione oculi, verſus obiecta diuerſe diſtantia, a ligamento ciliari pendente, motu humoris cryſtallini et pupillae et vtilitate atri pigmenti, quod tunicam vueam et choroideam obducit, tunicae retinae et nerui optici diſſeritur. Quartus diſcrepantes oculi, in diuerſis animalibus conformationes enarrat. Quinto denique libro viſus phaeno-

mena pertractantur, ac ea, quae ad ſimplicem et erectam apparentiam, colorem, magnitudinem, diſtantiam, ſitum, figuram et motum obiectorum pertinent, diiudicantur.

Nimis longum nec forte neceſſarium foret, omne libri argumentum ſingulatim repetere. Igitur nonnulla tantum, imprimis ea, quae mentem Auctoris de ratione viſus produnt, indicabimus.

p. 79. Volumen primum inter alia haec continet: Motus oculorum aut externi aut interni ſunt. Priores ſunt, qui quatuor rectis et duobus obliquis muſculis perficiuntur, quibusque omnis bulbi oculi ſitus mutatur, per poſteriores autem ii intelliguntur, quibus nonnullae internae oculi partes e. c. cryſtallina lens et iris aut omnis bulbus adficitur, quando ſuam ſphaericam figuram exuit et ſe in
p. 80. planiorem ſuperficiem contrahit. Hic priores tantum explicantur et poſteriores eo loco, vbi de ratione viſus et vſu partium oculi agitur, deſcribuntur. vtraque tamen conſideratio parum immutata et aucta ex tentaminibus Edinburgenſibus repetitaeſt *.

Quaeſtio, quae cauſa vniformis motus vtri-
p. 101. vsque oculi ſit? medicis et naturae ſcrutatoribus multum negotii fecit. Ea vero eſt aut finalis aut efficiens. Quod ad primam attinet, hic motus viſum perfectiorem et viuidiorem reddere nobisque de obiectorum diſtantia verius iudicandi poteſtatem largiri debet; altera autem conſuetudo
p. 114. et habitus eſſe videtur. Hic nimirum motus initio non eſt neceſſarius, ſed auctorem habet mentem, quae, vtilitate eius perſpecta, eius perpetuam obſeruationem ſibi praeſcribit vſusque neceſſariam efficit.

* Vid. eorum Vol. III. p. 160-263. et Vol. IV. p. 124-294 et huius comment. Vol. I. p. 74-120. 247. 389-450. et Vol. II. p. 4. 36-81. 386-411.

efficit. Hoc in infantibus videre eſt, qui, poſtquam
in lucem editi fuerunt, per aliquot tempus oculos
diuerſe dirigendi facultate gaudent, eamque tam
diu retinent, donec animaduerſa vniformis dire-
ctionis vtilitate ab ea non amplius recedunt. Diuer- p. 123.
ſitas conuexitatis tunicae corneae inaequales ocu-
lorum aciei terminos ponit. Omnes oculi humo- p. 125.
res ideo transparent et aquam pelluciditate aequi-
parant, vt transmiſſioni luminis, ad efformandam
viuidam in tunica retina obiectorum imaginem, nil
obſtet et haec verum ſuum colorem oſtendat.

Experimenta, quae PETITVS cum oculis inſtiuit, p. 133.
ob adcurationem praecipuam fidem merentur. Tu- p. 138.
nica ſclerotica et cornea vnam conſtituunt mem-
branam ex expanſione exterioris nerui optici tunicae
natam. Etſi enim alii hoc negent, cum depoſitio
cataractae nullum tunicae ſcleroticae exquiſitum
impertiatur ſenſum, eaque in auibus et piſcibus
oſſis duritiem habeat, qua exterior nerui membrana
et tunica cornea deſtituitur, tamen multum abeſt,
vt valido argumento vtantur. Nam vna eademque
ſubſtantia in diuerſis locis diuerſo ſenſibilitatis gradu
gaudet, cuius rei exemplum eſſe poteſt inſenſibi-
litas vnguium ex continuatione ſubſtantiae nerueae
ortarum, ceu etiam carnoſitas et flexibilitas muſcu-
lorum in pedibus auium ſeneſcentium perdurat,
licet eorum tendines oſſei facti fuerint. Haec p. 141.
tunica ex lamellis conſtat, quod ex puſtulis et abſceſſi-
bus inter corneae pelliculas ſerpentibus clarum eſt.
Pupilla nullam certam menſuram habet, quia eius
magnitudo luminis copiae reſpondet. Copioſum et p. 156.
intenſum lumen eam anguſtat, languidum vero di-
latat. Etiam illa ſe contrahit, quando paruum p. 157.
obiectum e propinquo conſpiciendum eſt; quem
motum, ante PLEMPIVM, praeter alios SCHEINE-
RVM obſeruaſſe Auctor contra Cl. WHYTT monet.
Hanc autem contractionem magis a luminis vi, p. 162.

quam a confuſa obiecti perceptione pendere experimentis confirmatur. Abundantia oculi humorum efficit magnitudinem pupillae in infantibus, illa vero cum annis imminuta, haec anguſtatur. Hoc eius facies in exophthalmia et microphthalmia confirmat. In priori enim, quae bulbum oculi nimium diſtendit, pupilla multum dilatatur. Cum e contrario in atrophia oculi eam contractam reperias. Etiam anguſtationem pupillae efficit crebrior eius contractio, quam inprimis in prouectiori
p. 170. aetate rigiditas tunicae corneae poſuit. Cl. WHYTT minus feliciter in explananda cauſa dilatationis et contractionis pupillae verſatur, aſſerens, eam in infantibus ampliorem, quam in adultis eſſe, tum quia eorum cornea tunica craſſior, minus transparens, planior nec ſatis tenſa ſit, quoque viſio eorum valde indiſtincta reddatur, tum quia ii exigua facultate pupillam ad diſtinctius videnda propinqua obiecta contrahendi ſint donati, in ſenibus autem pupillae mobilitatem minui, quoniam tunica retina lucis ſtimulis modicis irritetur et iridis fibrae muſculares aliquid de vi ſua contractili amiſerint, cumque etiam tunica cornea ob aquei humoris decrementum languorem contrahat, et aliquantum corrugetur, tunicam retinam lumine minus adfici ideoque pupillam minus contrahi. Quod enim ad primum attinet, contractio pupillae mederetur vitio indiſtinctae viſionis, quo laborare infantes dicuntur. Alterum experientia et auctoritas DE LA HIRE oppugnat. Tertium vero eo minus locum habere poteſt, quo certius eſt, minorem ſenſibilitatem tunicae retinae potius dilatationem pupillae, maioris luminis copiae recipiendae cauſa, quam eius contractionem requirere.

p. 176. Variat etiam pupillae magnitudo in hominibus vnius eiusdemque aetatis. Pupilla myopum plerumque valde ampla eſt, ſed in iis, qui perfecte

vident,

vident, magis tamen in presbytis, multo minor eſſe ſolet In his enim pupilla frequentibus contractionibus, quae propter diſtinctiorem propinquorum obiectorum viſionem fiunt, quaeque orbiculares fibras abbreuiant, non poteſt non anguſtior reddi; cum e contrario pupilla myopum ampla maneat, quia hi propinqua obiecta diſtinctius viſuri, contractione eius opus non habent. Cum praeterea radii hominis in oculis perfecta viſionis facultate praeditis aut presbytia laborantibus parum diuergunt, et ita impreſſio in retina facta, cum multa coniuncta ſit moleſtia, ii, ad auertendam luminis partem, pupillam contrahere coguntur, adeoque haec gradatim auguſtatur; ſed cum hoc myopibus non accidat, quia radii in eorum oculis magis diuergant, ii etiam ob hanc cauſſam ampliorem pupillam conſeruant. Nec minus patet, quare ampla gau- p. 178.
deant pupilla homines fulua facie et nigris oculis conſpicui, multo minori autem ii, qui pallidi ſunt et oculos caeſios habent. Nam cum priores debilem recipiant lucem, pupilla in iis amplior manet, quam in iis, quorum cilia albicantia multum luminis in oculum reflectunt. Hinc etiam pupilla in iis, p. 180.
quorum oculi in orbitis profunde ſedent, ampla, in iis vero, qui prominentes oculos gerunt, multo anguſtior ſit neceſſe eſt.

Nec ſilentio praetereundum eſt, inaequalem, p. 182.
pupillae magnitudinem, non raro a diuerſa tunicarum et humorum oculi natura oriri. Si nimirum humores impuri et turbidi ſunt, pupilla ſemper ampla eſt, quoniam minor luminis copia ad tunicam retinam transmittitur: quod etiam euenit, quando haec ob obſtructionem aut preſſionem nerui lumine minus adficitur. Ex quo videre eſt, quare in gutta ſerena pupilla tam ampla ſit. Hominis nerui opti- p. 191.
ci ſine vlla decuſſatione, interſectione et mixtione arcte inter ſe cohaerent. Natura vero hac eorum coitione p. 192.

tum iis maius conciliauit robur eorumque iter minus anceps reddidit, tum efficere voluit, vt ad perpendiculum in oculos ingrederentur. Multum enim intererat vt obliqua eorum in oculum inſertio impediretur, quoniam hac magnitudo loci inſertionis et hinc conſequentis inſenſibilitatis aucta fuiſſet.

p. 205. Humores oculi cum tunica cornea transparent et nullam contrahunt impuritatem, quoniam tunica vuea et choroidea ex ſanguine, eos nutrituro, atras particulas ſecernunt et retinent, quibus vero ipſae
p. 208. inquinantur. Sed aquei humoris colorem et conſiſtentiam diuerſa aetas mutat. In iuuentute valde tenuis, clara et transparens eſt, ſed prouectior aetas eam craſſiorem et obſcuriorem reddit, ſenectus
p. 210. denique ipſi ſaepe inducit albidum colorem, quo viſio multum obfuſcatur. Euaporatio eius praecipua cauſa contractionis pupillae poſt mortem eſſe videtur, quam praeternaturalem recte dixeris, cum ea ſecundum naturae leges dilatata eſſe debeat; cui non aduerſantur, quae VINSLOVIVS obſeruauit, quia ſuſpicio eſt, eum, praegreſſa euaporatione,
p. 442. oculos in cadaueribus perſcrutaſſe. Vitreus humor non gelatina eſt, ſed ex ſolidis et fluidis partibus conſtat, et propriis vaſis nutritur, ea allegata experimenta monſtrare videntur.

p. 251. Lucem Auctor conſiderat doctrina magni NEWTONI adiutus. Ea videlicet materialis ſubſtantia eſt. Particulae, ex quibus conſtat, a luminoſis corporibus emittuntur, pertenues ſunt et velociſſi-
p. 260. me mouentur. Lumen reflecti poteſt, quod veteres non latuit; quemadmodum etiam eius refrangibilitas eos non fugit, ſed tamen illi refractionis leges igno-
p. 271. rarunt, a SNELLIO primum detectas. Has Auctor experimentis illuſtrat, imprimis autem refractionis gradum in vitro, aqua et oculi humoribus determinat.

nat. Nullus ſcriptor humoris cryſtallini refractio- p. 285.
nem in homine experimentis perquiſiuit. Verum
ea ex ſola eius ſpecifica grauitate definiri poteſt. p. 286.
Reflexio et refractio luminis ex corporum vi repel- p. 292.
lente et attrahente oritur. Cum radii luminis inter p. 323.
ſe diſcrepent, eos diuerſe refringi et reflecti poſſe
et hoc modo variorum colorum ſenſum in nobis
excitari clarum eſt; quod Auctor vbertim exponit,
ac ea reſellit, quae Cl. MELVILL doctrinae de p. 345.
diuerſa radiorum lucis magnitudine ad producen-
dam colorum et graduum refrangibilitatis varieta-
tem neceſſaria oppoſuerat. Recenſitis variorum p. 352.
ſcriptorum erroneis de videndi ratione opinionibus
Auctor eam ſibi explicandam ſumit. Omni vero
de ea diſputationi praemittit hoc NEWTONI: *
Quocunque in loco radii ex omnibus cuiuſuis obiecti punctis fluentes in totidem alia puncta, poſtquam refractione coacti fuerint, iterum conueniunt, eo in loco imaginem iſtius obiecti ſuper quouis corpore albo, in quod inciderint, depingunt. Hoc generatim elucidato p. 355.
agit imprimis de vſu humorum oculi in efformanda
obiectorum imagine. Etſi vero aſſerat ex perfecta p. 361.
aut imperfecta depictione, imaginis in tunica retina
perfectam aut imperfectam obiectorum viſionem
pendere, tamen negat exinde ſequi, mentem in
tunica retina percipere imagines, aut ex eo, quod
in his videt, obiecta iudicare, cum ea tantum in p. 363.
ſenſorio, vbi reſidet, res ſibi praeſentes ſentiat. Si
enim, vt porro dicit Auctor, mens in tunica retina
perciperet imagines, in ea praeſens eſſe deberet,
quemadmodum illa, ſi perceptionis in reliquis ſen-
ſuum organis, locum haberet, non poſſet, non
omnibus corporis partibus praeſens eſſe, cum ſen-
ſus tactus per omne corpus diffuſus ſit, ne dicam,
neceſſarium fore, vt illa vltra corpus protenderetur,
ceu in hominibus membro aliquo mutilatis facile

 animad-

* Opt. p. 9.

animaduerteretur, qui, vt Auctorem poſt amiſſionem alterius cruris triſtis experientia docuit, eo in loco vbi curtati ſunt, moleſtiam aut dolorem ſentire ſibi videntur.

p. 366. Ac quemadmodum obiecta, quae per reflexionem et refractionem videntur, non in ſuo vero, ſed in alio loco, a quo abſunt, conſpiciuntur, quia radii in oculum incidentes in eius fundo imaginem non aliter effingunt, ac ſi ab obiecto vere illic poſito, nullo intermedio vitro, profecti fuiſſent; ita etiam, ſi impreſſio in neruoſis fibris curtati pedis facta non abludat ab illa, quae earum extremae partes ab obiecto actuoſo accipere potuiſſent, ſenſio eadem eſſe debet et mens non aliud iudicium de ea ferens, quam in digitis, calcaneo et malleolo pedis, in quos dictae neruoſae fibrae ante abſciſſionem cruris finierant,

p. 367. ſentiat neceſſe eſt. Hinc hypotheſis Cl. WHYTT, ſecundum quam mens omni corporis parti praeſens eſt et diuerſam in diuerſis eius partibus vim exſerit,

p. 371. exulat. Si quis autem quaerat, quomodo viſus et imagines in tunica retina connectantur et cur obiecta perfecte aut imperfecte conſpiciantur, vt hae imagines aut perfectae aut imperfectae ſunt, ſcito, mentem, cum obiecta videat, per connatam legem ſuas perceptiones non ſolum ex ſenſorio ad tunicam

p. 372. retinam, ſed etiam ex hac verſus ipſum obiectum lineis rectis perpendicularibus reproducere: qua ratione mens omne obiecti punctum non in ſenſorio aut in tunica retina ſed extra oculum ſecundum has perpendiculares lineas ſemper videt. Quia vero

p. 374. diſtincta viſio tantum a diſtinctis imaginibus in tunica retina oriri poteſt, noſtram viſionem abſolute diſtinctam et perfectam eſſe impoſſibile eſt, cum imagines in perfectiſſimis oculis efformatae ab omni confuſione minus liberae ſint; quae nimirum confuſio ex ſphaerica figura refringentium humorum et differenti radiorum refrangibilitate ortum ſuum

trahit.

trahit. Haec, NEWTONO in auxilium vocato, fuſius deducuntur.

Vt obiecta diuerſe diſtantia diſtincte videri poſ- p. 389. ſint, opus eſt vt conformatio oculi eiusmodi mutationem patiatur, quae obiectorum diſtantiae reſpondeat. Eam quidem impugnauit de la HIRE, ſed p. 391. Auctor eius argumenta eneruat et experimenta profert, ex quibus patet, noſtros oculos ſe ad varias obiectorum diſtantias accommodare, hanc tamen eorum facultatem certis limitibus eſſe circumſcriptam. Ipſa p. 446. autem mutatio conſiſtit in motu lentis cryſtallinae, quo diſtantia inter eam et tunicam retinam ſecundum diuerſas obiectorum diſtantias ita augetur vel minuitur, vt quocunque modo diſtent obiecta, tunica retina debitam focalem diſtantiam poſt lentem cryſtallinam ſemper obtineat, huiusque mutationis inſtrumentum ciliare ligamentum eſt.

Quod ad volumen ſecundum attinet, haec de eo referre lubet. Motus lentis cryſtallinae, qui p. 1. multifariam conſideratur, mentis gubernationi p. 16. ſubeſt; quod ſuſpicione de influxu mentis in p. 19. omnes vitales et naturales motus Auctor illuſtrat. Cum enim, inquit, merus mechaniſmus nullum p. 25. animal formare potuerit, ſed immaterialis cuiusdam cauſae influxus ad eius procreationem neceſſarius fuerit, diuinari nequit, cur a rectione motuum vitalium formati animalis talis cauſa excludatur, et eos nouarum impreſſionum eiusmodi vitalis principii minus egere exiſtimetur. Quis negabit p. 30. hos motus metus, moerore aliisque animi perpeſſionibus vehementer turbari? Nonne vero hoc euincit eos a mente pendere? Nec ſine eius influxu eam, qua Townshend gaudebat, omnes vitales motus ad lubitum ſupprimendi et recuperandi poteſtatem, quisquam explicabit. Poſtquam haec et alia apologiae loco pro memorata ſententia Auctor dixit, p. 35.

ad motus lentis cryſtallinae redit et ex phaenomenis
in myopia et presbytia obuiis, magnam eorum vtili-
tatem commonſtrat.
p. 94. Quo facto contemplatur pupillam, eiusque
motus horumque leges, quarum plurimas cum
ſupra iam attigerimus, tantum duarum poſtrema-
p. 105. rum mentionem faciemus. Hae autem ſunt: pu-
pillae amborum oculorum vno eodemque tempore
p. 112. ſe contrahunt; ſed haec ſympathia non impedit, quo
minus illae contractionis et dilatationis ratione inter
p. 118. ſe differant. Eae muſculoſis circularibus et longi-
tudinalibus vueae fibris perficiuntur; ob quam cau-
p. 122. ſam Auctor opinionem a MERY prolatam refutat,
qui priorum vueae fibrarum exiſtentiam, negauit et
ex ſola longitudinalium eius fibrarum elongatione
p. 133. pupillae motum explanauit. Contractio pupil-
lae ex ſola mentis voluntate pendet, quae mo-
leſtam intenſi luminis perceptionem amouere et
confuſam obiecti in tunica retina imaginem diſtin-
p. 134. ctiorem reddere cupit. Sed cum huic ſententiae
motum pupillae in cataracta, ignorationem huius
mentis voluntatis et defectum liberae poteſtatis
pupillam ad lubitum contrahendi et dilatandi, op-
poni poſſe praeuiderit Auctor, multam enim ea mu-
nienda diligentiam adhibet; generatim vero de im-
p. 140. perio mentis in omnes vitales et naturales motus
differit, volitiones tamen eius tantum motuum
corporis occaſionalem, non vero efficientem cauſam
p. 142. vocat, hancque aut ipſum Deum aut ens aliquod
ſubordinatum, quod eius iuſſu agat, eſſe dicit; qua
p. 160. occaſione etiam contra Cl. WHYTT, cui contra-
p. 166. dictoriam de his motibus opinionem tribuit, et Ill.
HALLERI de irritabilitate doctrinam diſputat.
p. 175. Sequitur deinde ſolutio nonnullarum quaeſtio-
num, quae ad motum pupillae pertinent; cuius-
modi ſunt: Cur dilatata pupilla clariſſime, illa au-
tem contracta diſtinctiſſime videamus? Cur oculus

optime tenebris circumdatus videat? Cur in cubi- p. 182.
culo verſantes obiecta extra illud poſita videamus, p. 185.
foras autem ſtantes, ea, quae in illo geruntur, per-
cipere nequeamus? Cur commutatio loci valde
illuminati cum loco obſcuriore viſionem in aliquot
tempus valde minuat? Cur nonnulli homines in p. 190.
tenebris videant? Cur ii, quorum lens cryſtallina p. 192.
in medio macula obſcuratur, non pleno die ſed in
crepuſculo videre poſſint? Cur denique illi, quorum
pupilla quoad dimidiam partem macula tunicae cor-
neae aut lenti cryſtallinae inhaerente obtegitur,
margines rerum obiectarum coloratos videant?
Atrum pigmentum, quo tunica vuea et choroidea p. 208.
tinctae ſunt, viſionem non parum adiuuat, quoniam
priorem magis opacam reddendo ſuperfluum lumen
ab oculo arcet, et efficit vt a poſteriore radii lucis
qui tunicam retinam pertranſierunt, abſorbeantur.

Poſtquam tunica retina imagines obiectorum p. 213.
recepit, eas nerui optici capillamenta ad ſenſorium
transmittunt, vt viſio excitetur. Verum nexus, qui p. 214.
inter noſtras ideas et motus in tunica retina, opticis
neruis et ſenſorio excitatos obtinet, a nobis ignora-
tur et ſolus a voluntate Dei pendere videtur, qui
videlicet has ideas aut ſenſationes, quibus motus in
ſenſorio excitati tantum occaſionem praebebant,
producit; cui argumento Auctor exploſione omnis
materialismi idearum robur addere voluit. Etſi p. 222.
tenerrima et maxime ſenſibilis tunicae retinae pars
axi oculi reſpondeat et ita eae obiectorum partes,
quarum imagines ab hac axi diſtant, obſcurius per-
cipiantur neceſſe ſit, tamen hunc defectum raro
ſentimus; quia idea vnius partis tam diu continua-
tur, donec, motu oculi, reliquarum obiecti par-
tium imago ei ſuccedat, et eundem maxime ſenſi-
bilem tunicae retinae locum occupet. Nec minus
raro percipimus inſenſibilitatem huius tunicae in eo
loco, vbi neruus opticus in oculum ingreditur;

quam

quam non ſolum MARIOTTE demonſtrauit, ſed
quoque PICARDI et Auctoris experimenta euin-
cunt. Nec tamen ex hac MARIOTTE recte con-
cluſit tunicam choroideam immediatum viſus orga-
non eſſe, licet eius argumenta coniecturis PECQVE-
TI minus euerſa fuerint, vt hiſtoria huius contro-
p. 231. verſiae ab Auctore tradita docet. Ac quanquam de
la HIRE ingenioſius et felicius hanc inſenſibilita-
tem explicaſſe viſus fuerit, tamen Auctor eius opi-
p. 252. nionem reiecit, poſtquam cognouit inſertionem
neruorum opticorum in phoca et hiſtryce axi ocu-
lorum reſpondiſſe et pupillae e diametro oppoſitam
p. 254. fuiſſe. Ipſe autem putat inſenſibilitatem tunicae re-
tinae in commemorato loco inde naſci, quod tunica
retina in eo dura et calloſa ſit nec ea mollitudine et
teneritate gaudeat, quae ad receptionem tam lan-
guidae impreſſionis, qualem radii lucis progignunt,
neceſſaria ſit, quaeque in reliqua eius parte tanta
deprehendatur, vt nerui medullam teneritate
ſuperet.

p. 257. Quae Auctor de diuerſa oculorum in variis ani-
malibus conformatione commemorat, pertinent ad
conuexitatem tunicae corneae, figuram et magni-
tudinem lentis cryſtallinae ac pupillae et marſupium
p. 273. nigrum, quod in auibus ſecretionem nigrarum ſan-
p. 275. guinis particularum, quae in tunica vuea et choroi-
dea fit, et viſionem alimenti adiuuat.

p. 280. Sequitur enarratio notiſſimorum viſionis phae-
nomenorum. Quae GASSENDVS, PORTA, GA-
LENVS, NEWTONVS, ROHAVLTVS et BRIG-
GIVS, de cauſa ſimplicis obiectorum apparentiae
p. 293. dixerunt, fundamento deſtituuntur. Ea ſola a
facultate, quam habemus, res in eo loco, vbi ſunt,
videndi pendere videtur. Vt hoc monſtret
et planius faciat Auctor, multam adhibet
operam, imprimis vero conſuetudinem in hunc
p. 304. viſionis modum influere contra BERKELEIVM
negat,

negat, differentiam apparentiae rerum in horoptri plano et extra illud obiectarum enarrat et quantam lucem hac ratione accipiat ſtrabismi hiſtoria oſtendit. Non ſolum igitur originem huius morbi ex p. 318.
conſuetudine, inſolita tenerrimae tunicae retinae partis remotione, obliquo lentis cryſtallinae aut tunicae corneae ſitu, debilitate viſus in vno aut vtroque oculo, vitio muſculorum et praternaturali oculi cum palpebris cohaeſione explicat, ſed etiam eius euentum praedicit. Poſtquam de his et erecta p. 329.
obiectorum apparentia egit, ad horum colores pro- p. 331.
cedit, variisque de eorum natura opinionibus reiectis, eos quintuplici ratione conſiderari poſſe dicit, nimirum vt aut ipſi lumini inhaereant, aut in colorato corpore reſideant, aut tunicam retinam percutiant, aut a mente percipiantur, aut iudicia eius de obiectis corporibus ſint.

Cum relatiua obiectorum magnitudo tantum p. 363.
ſciri poſſit, haec autem pro oculorum diuerſitate multum diſcrepet, teſtimonium oculorum de abſoluta corporum magnitudine nos nunquam certos reddere poteſt. Quod cum experientia teſtetur, iis p. 373.
qui id negant, obtendentes, Deum nos decipere non poſſe, reſponderi debet, non Deum, ſed nos ipſos nos decipere, quando nimis praecipitanter de rebus iudicamus et ideas, quas de iis effinximus, in earum locum ſurrogamus, ne dicam, oculos nobis tantum datos eſſe, vt ea, quae neceſſariam aliquam ad noſtra corpora relationem habent, nobisque aut vtilitatem, aut periculum adferre poſſunt, eminus proſpiciamus, non vero vt facultatem veram obiectorum extenſionem cognoſcendi adipiſcamur. p. 375.
Sed de relatiua obiectorum magnitudine in plurimis caſibus optime iudicare poſſumus, quando non ſolum ea in tunica retina depinguntur, ſed etiam eorum diſtantia a nobis cognoſcitur; cum error in cognoſcenda obiectorum diſtantia commiſſus iudi-

cium

cium de eorum magnitudine peruertat, quod exem-
plis ex communi experientia petitis confirmatur.
Mens vero obiectorum diſtantiam ſequenti
modo cognoſcit: Primum oculus ita conformatus
eſſe debet, vt diuerſe diſtantes res diſtincte videre
poſſit. Secundum angulus, quem optici axes in ea
obiecti parte, in quam oculi infixi ſunt, efformant,
hanc intelligentiam communiſſime et ſatis certe
p. 388. adiuuat. Ex quo imprimis patet, cur erronea di-
ſtantiarum cognitio, ex vitio alterius oculi orta,
medentibus viam guttae ſerenae, vnum tantum ocu-
lum deprauantis, aetatem cognoſcendi et huius mor-
bi exitum diuinandi monſtret; quod Auctor exemplo
nobilis feminae, vno oculo caecutientis, illuſtrat, quae
p. 390. ſe hoc morbo diu affectam credebat. Sed cum,
percepta motus vtriusque oculi aequalitate, ex ea
quaereret, quando liquores in vaſa infundendo aut
coniiciendo filum in acum, primum peccarit eaque
vnum menſem vix eſſe elapſum cum hoc vitium
animaduertere coepiſſet, reſponderet, morbi dura-
tionem hoc tempus non excedere concludebat,
eumque curationem admittere, nec ſpe deluſum ſe
vidit, cum poſt ſex hebdomades morbus depulſus
p. 394. fuit. Tertium obiectarum rerum ante cognitarum,
diſtantiam mens ex earum apparenti magnitudine
colligit. Quartum facit ad diiudicandam obiecto-
rum diſtantiam vis impingentis in oculum coloris.
Quintum intelligimus num obiectae res longius aut
propius a nobis abſint, quando minores earum
partes diſtinctius aut magis confuſe videntur. Vltimo
facultati de diſtantia obiectorum iudicandi opem
fert repraeſentatio earum rerum, quae inter nos et
p. 411. praecipuum viſionis obiectum poſita ſunt. Quae
p. 413. cum nonnullis exemplis illuſtrauit Auctor, pauca de
p. 416. ſitu, figura et motu obiectorum addit, imprimis
autem varia motus phaenomena explanat.

Vltimo

Vltimo loco quaeritur de veſania eorum, qui oculorum medelam empiricis oeconomiam eorum et viſus rationem ignorantibus, aut talibus, qui ſpecificorum medicamentorum vim extollunt, committere ſolent. Quo verius haec dicta putamus, eo magis optamus, vt maturata commentarii ſui de morbis oculi ac ſanatione eorum euulgatione eiusmodi hominum temeritatem reprimat, nec minus vero eum rogamus, vt nobis eam voluptatem, quam ex ſcriptione nimia argumenti perſpicue et eleganter propoſiti repetitione non onerata capere ſolemus, non inuideat.

III.

Obſeruations anatomical and phyſiological, wherein Dr. HVNTER's claim to ſome diſcoveries is examined. With Figures. By ALEXANDER MONRO iunior, M. D. and Profeſſor of Medicine and of Anatomy in the Vniuerſity of Edinburgh. Edinburgh: printed by Hamilton, Balfour et Neill, Auguſt. 1758. 8. pagg. 80. tabb. aen. 2.

i. e.

Obſeruationes anatomicae et phyſiologicae, in quibus Cl. HVNTERI ius, quo nonnulla inuenta ſua eſſe contenditur, diſquiritur. Cum iconibus. Auctore Cl. ALEXANDRO MONRO. Iun.

Quamuis in corporis humani deſſectione cuicunque harum rerum ſtudioſo penetralia perueſtigare liceat, non omnibus tamen recte cuncta perſpiciendi facultas datur. Si quis ergo vltra reliquos ſapiat, laudem omnino meretur decentem, et aequo

ferre

ferre animo nequit, ſi detrahatur illi innocenter, quod ſuorum laborum praemium iuſtum eſſe iudicat. Multa huius rei exempla hiſtoria nobis ſuggerit praecedentium ſeculorum noſtrique litteraria, nouum autem exhibet documentum Cl. HVNTERVM inter atque Cl. MONROVM exorta de nonnullis inuentis controuerſia. Vterque ſuam in explicanda atque enodanda anatome feliciter collocat operam, vt eo minus dubitandum ſit, fieri poſſe, vt vterque in vna eademque parte indaganda ſimul obſcura illuſtret, num vero in iis, de quibus hic ſermo eſt, caſibus ita res euenerit, non decidere audemus, quum vtique multa ſint, quae pro Cl. MONROO videntur pugnare. Sufficiet itaque nobis, candide expoſuiſſe, quae hic proponuntur.

Sunt nempe duo praecipua, quae in quaeſtionem veniunt momenta, ductuum ſeminalium in teſticulis, vaſorumque lymphaticorum ex cellulari tela, exortus. Bina haec argumenta ſingularibus quibusdam ſcriptis iam olim explicauit Cl. MONROVS. Alterum ſcilicet in diſſertatione inaugurali *de teſtibus et de ſemine in variis animalibus* Edinburgi 1755. edita, alterum in tractatu, *de venis lymphaticis valuuloſis et de earum in primis origine*, Berolini 1757 * euulgato. Quum ſibi horum inuentorum gloriam praeripuiſſe autumarit Cl. HVNTERVS in ſui nunc defenſionem, eum, de quo iam dicemus, libellum propoſuit Cl. MONRO. Quo vero lectores beneuoli ſciant, quid in hoc potiſſimum libello quaerendum ſit, indicamus, poſt introductionem ſequi ſeminalium ductuum, deinde vaſorum lymphaticorum valuuloſorum, nec non glandularum lymphaticarum diſquiſitionem, porro de abſorbendi ratione in ramis venarum rubrarum diſputari, ex his duabus ſectionibus concluſiones formari, nec non

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. II. p. 339.

non de horum ſyſtematum abſorbentium vaſorum vſu diſpici in viuiparis quidem animalibus, et tandem glandulae lacrymalis ductus deſcribi.

In introductione itaque ſtatum, quem vocant, controuerſiae explicat Cl. MONRO, et ea, quae in ſui defenſionem a fratre fuerant propoſita, ſe inſcio, eo, quo in exteris adhuc regionibus verſabatur, tempore fuiſſe prolata probat, operam ſe daturum eſſe promittens, vt primo ſua vindicet inuenta, et aduerſarii deinde argumenta ponderet.

In ſeminalium ductuum perueſtigatione primo occupatus Cl. Auctoris accuratiſſimus pater vix dimidiam epididymidem replere poterat, feliciori vſus fortuna Ill. HALLERVS ad rete teſtis et aliquos ductus rectos penetrauit, tandem anno huius ſeculi quinquageſimo tertio hydrargyro repleuit Cl. Auctor magnum ſerpentinorum ductuum numerum, ſed anno demum, et quod excurrit, poſt expoſuit *, ſine eo, vt aliquid de Cl. HVNTERI ſtudio huius rei reſciuerit, ille vero icones Noſtri videre potuerit. Quum vero ſic interni teſtis ductus ſint, quorum cognitionem Cl. HVNTERVS primo ſe perſpexiſſe adſerat, quoque ad Cl. MONROVM relationem deduxiſſe autumet, diſquirit Noſter illa argumenta, quibus ſuſpicionem ſuam confirmare vult Cl. HVNTERVS, diluitque, ſiquidem et illa videntur debilia eſſe, necnon docet, HVNTERVM eiusmodi experimenta non feciſſe. Tandem, quod plurima vaſcula, *efferentia* inde dicta, ex teſte in epididymida ſecedunt, et epididymidis maxima pars vnum ſimplicemque tubum conſtituit, ſupereſt adhuc magna quaeſtio, quis demum ille ſit locus, vbi plurima illa vaſcula in vnicum coniunguntur ductum? p. 6.

* Nempe in Eſſays and Obſeruations phyſical and litterary. Of. Edinburgh. 1754. Vol. I. art. 16. p. 396. vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. I. p. 71.

ductum? huius phaenomeni itaque explicandi cauſſa iconem addit Cl. MONRO, ex quo apparet, vaſa efferentia conos formare vaſculares, eosque tandem toties conuolutos confluere in vnum ſenſim largiorem ductum.

p. 19. Ad dilucidandam porro alteram controuerſiae partem de vaſis lymphaticis et glandulis iterum Cl. Auctor breuem praemittit horum vaſculorum hiſtoriam, quorum poſt detectam a HARVAEO ſanguinis circulationem demum facta eſt mentio, quorum etiam praeſentia ſaepius comprobata opinionem fecit, eorum eundem eſſe ac arteriarum rubrarum decurſum, venas ſcilicet ſuis reſpondere arteriis, adeo ſubtilibus, vt conſpici nequirent. Anno huius ſeculi quinquageſimo ſecundo, quum ſuam Cl. Auctoris frater *de hydrope* * diſſertationem conſcriberet, ad vaſorum lymphaticorum diſquiſitionem incitatus Noſter, varia inſtituit, minus bene procedentia, tentamina, ſequente itaque anno cum mercurio replebat lymphatica vaſa, ſed valuulae eorum obſtabant, quo minus euentus reſponderet voto, implebat arterias, variis adhibitis rebus, nec meliori cum ſucceſſu, animusque deſperabat ni praeter opinionem teſticulum replendo porci, iucundo ſpectaculo vaſcula vidiſſet lymphatica repleta fuiſſe, a quo tempore aliquoties idem apparuit in aliis occaſionibus, ſine eo tamen, vt attenderet Cl. Auctor ad extrauaſationem, verum tamen, quod tunc demum lymphatici ductus in conſpectum venirent, ſi extra vaſa miſſum eſſet hydrargyrum, tunc enata et confirmata fuit opinio de officio eorundem abſorbendi et origine, poſtmodum in ſingulari libello vberius expoſita. Clarum autem eſſe monſtrat, experimenta haec anno iam huius ſeculi quinquageſimo quarto quintoque facta fuiſſe, quae ſimul edidiſſet

* De hac diximus in Comment. Noſtr. Vol. VI. P. IV. p. 688.

diſſet cum ſua de teſtibus inaugurali diſſertatione, niſi tempore et copia rerum fuiſſet impeditus. Etſi autem anno quinquageſimo ſeptimo demum prodierit hicce libellus, probat tamen Cl. MONRO, patris, Cl. BLACKII, profeſſoris Glaſgouienſis et Cl. REIMARI, medici Hamburgenſis, teſtimoniis hanc ſuae inuentionis aetatem; licet Cl. HVNTERVS, vndecim annos ante, idem ſe obſeruaſſe aſſerat, vlteriusque arbitratur Noſter, ex inaugurali ſua diſſertatione Cl. HVNTERVM hanc opinionem demum didiciſſe, et ex egreſſu vaſorum lymphaticorum ex glandulis conglobatis male eum concluſiſſe, illa eſſe vaſa abſorbentia. Argumenta, ab aduerſario adducta, reliqua perpendit, neque experimentis fulciri eadem, annititur declarare, immo ex aliis auctoribus eandem hauſiſſe, id quod docte eleganterque exequitur.

Sunt autem alia quoque ac lymphatica vaſa, quae abſorbendi facultate inſtruuntur, hinc in ſequenti diſquiſitione Cl. Auctor, rubrarum ſic dictarum venarum abſorbendi virtutem perpendit. Denegauerat hanc venis potentiam Cl. HVNTERVS ex praeconcepta opinione, lymphatica vaſa ſola eſſe abſorbentia, autumans, hanc ſuppoſitionem cum ſimplicitate atque perfectione naturae non conſpirare. In ouiparis autem animalibus et auibus, quum neque lymphatica nec lactea vaſa ſint, venas reſorbere neceſſe eſt, in viuiparis abſorbent vaſa placentae, ad nutriendum foetum, in qua tamen, nec non in chorda vmbilicali nemo potuit vaſa lymphatica demonſtrare. Porro fluida, in venas iniecta exſudant per cutim et caua corporis, cuius rei demonſtrandae cauſſa varia inſtituit tentamina Noſter, quibus conſtitit diuerſa fluida per meſentericas venas in inteſtina transprimi, et facilius quidem in eorum caua, quam in arterias. Immo olim iam BILSIVS, HORNIVS, MERY, KAAV BOERHAAVE p. 55.

chylum, ſpiritum vini, aliaque fluida, a venis meſaraicis reſorpta aperte viderunt. Ex quibus itaque argumentis experientiisque tela contra ſuum aduerſarium conficit Noſter.

p. 65. Operam tamen dat Cl. MONRO, vt explicet vſum generalem duorum ſyſtematum venarum abſorbentium in animalibus viuiparis. In animalibus viuiparis lymphatica adſunt vaſa aeque ac lactea, ſic enim concludit Noſter, quo vtroque deſtituuntur ouipara, quum vero lympha commiſceatur mediantibus iisdem cum chylo prius ad ſanguinem ille quam deferatur, ergo lymphatica vaſa data ſunt, vt ſeruiant lacteis. Quoniam tamen chylus in ouiparis recipitur a venis meſaraicis, lente iam cum ſanguine miſcetur, inprimis, quod eidem circulandum ſit per hepar, prius ad cor quam deferatur. Quod autem vaſa venoſa ſimul reſorbent in viuiparis, duplex adhuc ratio eſſe videtur, primo, quod per illa reſorbeantur particulae ſingulari vſui inſeruiturae, v. c. in ſanguine venae portarum ad ſecretionem bilis, et ſic porro, ſecundo, quod non omnis abſorpta particula cum chylo miſceri poteſt, ſed tantum pars elaboratior et ſaponacea, quae diſſoluendi, acria obtundendi et heterogenea vniendi vim habeat; ſiquidem per obſeruationes demonſtratum ſit, et analogia confirmatum, vaſa lymphatica abſorbentia ſuis orificiis latius patere, ac inhalantes venarum rubrarum ramos. Neque obeſt, vaſa quaedam lymphatica in rubras venas aperiri, quum maxima eorum pars per omnem longitudinem ductus thoracici deſinat.

p. 69. Haec ad defenſionem ſui contra Cl. HVNTERVM hucusque diſputauit Noſter, in *poſtſcripto*, quod dicit, mentionem facit atque dilucidat opinionem Cl. AKENSIDE, qui *in Philoſophical transactions* for. 1757. Vol. L. P. I. p. 322. pariter obſeruationes de origine et vſu vaſorum lymphaticorum

corum in animalibus propoſuit, quarum vis eo redit, vt ex ſimilitudine vaſorum lacteorum atque lymphaticorum, ratione ſtructurae, ad ſimile abſorbendi officium concludat.

Tandem, quae de ductibus glandulae lacrymalis obſeruauit, ſubiungit. Hos in brutis animantibus viderunt multi, in homine vero abſconditi manſerunt, vt alii ſubſidiarias lacrymarum vias ſimul quaeſiuerint. Iam anno huius ſeculi quinquageſimo tertio, in detegendis hiſce ductibus occupatus Noſter, duo vel tria ſubtilia admodum orificia ad internum latus ſuperioris palpebrae aperta vidit, in quae immittens minores ſetas verſus glandulam lacrymalem ex his continuari ductus perſpexit, ſequentia repetita tentamina iterum dubiam reddiderunt praeconceptam opinionem, quippe quum non adeo feliciter ſuccedebant, ſed tandem de veritate conuictus fuit. Hyeme nempe anni quinquageſimi et ſeptimi in ſuperiori palpebra verſus canthum externum tria vel quatuor orificiola perſpexit, quibus immitti potuerunt ſetae, verſus glandulam dirigendae. Quo eo facilius haec paterent, in aqua, ſanguine tincta macerauit oculum, adeo felici euentu, vt ductulos, ceu tubulos capillares, rubro humore repletos inuenerit, in quos pro lubitu ſetas immittere poſſet et extrahere viciſſim. Ductus autem hi per varias glandulas tranſibant, quare glandulam lacrymalem ad congregatas glandulas refert. Immo hydrargyro immiſſo ductus hoſce ramoſos fieri vidit, et cuncta iconibus additis confirmauit. Pluribus denique experimentis idem reperit. In auibus vnus eſt atque communis ductus, in homine plures, quare ſolum lacrymarum ſecernendarum organon eſt haec glandula, plures autem ductus, quo parua earum copia, ſimul egrediatur, nec moleſta fiat oculo. Et haec quoque inuentio ſolertis indagatoris gloriam auget. p. 74.

 IV. De

IV.

De Cataracta. Theſes ex Anatomia et Chirurgia Praeſide M. IOANNE BAPTISTA ANTONIO ANDOVILLE Profeſſore regio cet. IACOBVS RENATVS TENON Senenſis Art. Mag. etc. Pariſiis in regiis Chirurgorum ſcholis d. 14 Iun. 1757 pro actu publico et ſolenni cooptatione tuitus eſt. 4to. pl. 2. cum tab. aen.

Cum in altera, chirurgica huius tractationis parte, Cl. Auctor tantum de extractione cataractae egerit, in priore nonnullas tantum obſeruationes praemittit, quae corneam, vueam et lentis fabricam et ſedem concernunt, ex quibus ea, quae icone declarantur, breuiſſimis indicabimus.

Membrana, pupilla perforata conſpicua, quam
p. 3. iridis nomine Noſter habet, breuiſſimo ligamento ſcleroticae eo in loco adhaeret, vbi haec cum cornea committitur. Septum iridis a maiori circumferentia ad pupillam vndatim excurrentes fibrae formant, huic a parte poſteriore adhaerent lingulae albentes ex proceſſibus ciliaribus deductae. Hae lingulae in maiori cryſtallini conuexitate teneriores ſunt, et partim impediunt, ne mucus a cryſtallini humoris attritu detergatur et maior iridis circumferentia his fulta planam ſuperficiem obtendat. In iride duo circuli vaſculoſi adducuntur, in quos vaſa ſepti confluunt.

Poſt iridem in maiori eius circumferentia tenuiſſimae prominentiae albidae excurrunt, quae proceſſus ciliares conſtituunt, anterior eorum extremitas in orbem effingitur et circulum ciliarem excedit, proceſſus duos per hanc ſuam extremitatem vnitos inuenit Noſter, ex qua vnione fiebat roſtru-

lum

lum, ex cuius conuexitate lingulae ſupra deſcriptae oriebantur. Interna proceſſuum ora plures flexus continet, et retinae et vitreae membranae flexus ita adhaerent, vt flexus inde ſumant. Si membrana tollitur, *apparebit in aqua limpida obſeruanti cuiusque proceſſus ora externa ſuper fundum ſolidum, cauernoſum tamen, ſita, cum funiculis albis, qui a protuberantia communi naſcentes ad ipſos deſinunt.*

Poſtea cryſtallinus humor, eius ſitus in capſula, in qua libere haeret et imbibitione nutritur, adhaeſio capſulae ad partes vicinas, mutationes lentis poſt cocturam et macerationem in acidis aliisque liquoribus et inde definienda fibrarum directio deſcribitur, inprimis vero lamella cryſtallini microſcopio ſubiecta ita declaratur: *retaculum fibris rectis pene parallelis, filamentisque longe teuioribus transverſis ſubtiliter contextum; ex fibrarum cum filamentis vnione innumeri exſurgunt pori quadrati longiores; iteratis ſaepiſſime obſeruationibus lamellarum interiorum fibras denſiores comperimus, quam exteriorum, proindeque in illis exiguiores pori.* Delineatur lamella ſimilis ex ſquatinae cryſtallino deſumpta. p. 4.

Capſula lentis, a vitreo deducta, duplex deſcribitur, poſterior tenuius eſt foſſulum impreſſum inueſtiens, anterior retinae productionibus firmata videtur. Non tantum vero ambitus capſularum et retinae ad limbum cryſtallini cohaerent et vsque ad proceſſus ciliares producuntur, ſed et ſurculi albi veluti neruoſi vtramque capſulam perreptant, ex quibus omnibus firmum ſatis pro ſubtilitate partium exſurgit ligamentum, quod ciliare vocant. p. 5.

In chirurgica huius tractationis parte cataractam tunc adeſſe oſtenditur, ſi color trans pupillam conſpicuus in album, flauum, ſubnigrum cet. mutatur et viſus imminutio vel plenaria abolitio ſequitur. Obſeruationibus ita variis adductis oſtenditur, et cryſtallinum ipſum opacum fieri poſſe, et capſulas p. 6.

ſigillatim nunc ſpiſſo luto aqua diluendo, nunc concretionibus poſt macerationem perſiſtentibus oblinitas, nunc ex omni parte opacas, eſſe, ex quibus
p. 8. omnibus colligitur, cataractam vel eſſe cryſtallinam, vel capſularem, vel ex vtrisque compoſitam, et cryſtallinam quidem vel mollem dici poſſe, ſi lens ex omni parte ſoluta eſt, vel ſolidam, lente exſiccata et mole imminuta, capſularem vero in anteriorem et poſteriorem diuidi poſſe, compoſitamque ex his intelligi.

p. 9. Cauſas nunc breuiſſimis attingit, in ſignis autem declarandis accuratius verſatur. In his alia ab aegro, alia a chirurgo percipiuntur; cum nos omnia huc transferre nequeamus, addamus tantum ea, quae cryſtallino anteriori propria ſunt; haec ſuperficiei proxima, vel conuexa et coeruleo candida vel plana in centro albida, vel acuta in apice albicans, in circumferentia glauco colore cincta deprehenditur. His iungit quoque prognoſtica ſigna et quaenam cataracta operationi ſuſcipiendae apta ſit, quaenam tangi nequeat, ſuccincte proponit.

p. 10. Cum cataracta vel depreſſione vel extractione curetur, depreſſionem minus tutam pronuntiat Noſter. Acus enim non tantum muſculi abductoris tendinem ſed neruum ciliarem,proceſſus,ligamentum cet. laedit, ruptis vaſis membranae choroidis, ſanguis effunditur; cryſtallinus, ſi diſſolutus fuerit, in aqueum humorem effunditur, ſi ſolidus vix perfecte deprimitur, pupillae partem obturat, et in alias et peruerſas ſedes deducitur, immo in cameram anteriorem propellitur, quibus incommodis omnibus operatio per extractionem facta obnoxia non eſt.

p. 11. Si cryſtallina eſt, lens extrahatur; ſi capſularis anterior, capſula crucis in modum incidatur et lens extrahatur, ſi capſularis poſterior eſt, inciſa capſula interiori et lente extracta etiam poſterior ſimili modo incidatur, tunc enim, via radiorum ad reti-

nam

nam libera erit. Duplici itaque ſcalpello opus eſt, vno cornea deſcinditur, altero capſula finditur. In corneae inciſione aptum eſt ſcalpellum Cl. DE LA FAYE quod vna facie, recuruum latere duntaxat ſcindens eſt, excepto apice, qui anceps deprehenditur, et a Cl. Auctore delineatus ſiſtitur. Hoc aegro rite diſpoſito ad ſemilineam a coniunctiua (potius a ſclerotica coniuncta) diſtantiam, ad minorem oculi angulum in corneam immittitur, et e regione pupillae ad latus oppoſitum dirigitur, quo eandem corneam in oppoſito loco perfodiat, fiſſura vsque infra pupillam producta, quo facto inſtrumenti acies introrſum conuertitur et, cornea diſſecta, retrahitur. P. 12.

Cornea inciſa, de incidenda capſula ſollicitus ſit chirurgus, quod ſcalpello a Cl. Auctore propoſito et delineato optime perficitur. Hoc ſtylo ſimile ab vna parte aciem quandam productam habet, alteraque parte obtuſum exiſtit, et parte hac obtuſa ſurſum ſpectante ita per pupillam in cameram poſteriorem adigitur, vt iris ſine laeſione quodammodo ſurſum premi poſſit, nec ipſe, nec proceſſus ciliares laedantur, tunc parte acuta inciſio capſulae praeſtatur, vsque ad marginem oppoſitum producitur, et porro verſus minorem oculi canthum, ora pupillae pauliſper retracta, inuerſo inſtrumento ſectio perficitur, qua facta lens ſaepe ſponte cadit et extrahitur. In cataracta capſulari anteriori et ſaepe etiam poſteriori, cruciata ſectione ſimili modo perficienda operatio abſoluitur.

V.

Inſtitutiones Pathologiae medicinalis Auctore H. D. GAVBIO. Leidae Batauorum apud Samuelem et Iohannem Luchtmans 1758. 8 mai. Alph. I. pl. 8.

Compendia ſcientiarum ſtruere et ex ampliſſima cognitione, quam diſcendo et experiendo acquiſiuimus, praecipua diſciplinarum capita in ordinem digerere, primasque lineas ducere haud vulgaris labor eſt. Hunc in pathologia ſuſcepit et egregie perfecit Cl. Auctor et ita non ſolum auditoribus ſuis ſed et aliis, qui veram et ſolidam, ab omni hypotheſium fuco remotam, morborum cognitionem expetunt, ſatis fecit. Ideam itaque operis exponere, et ex omnibus ſuccincte elaboratis doctrinis nonnulla breuiter indicare noſtrum eſt. Quod ſi vero rerum propoſitarum copiam breui recenſione aſſequi nequeamus, excitabimus tamen lectores noſtros, vt has ipſi inſtitutiones euoluant, et, quae in iis ſolide propoſita ſunt, penitius intelligant.

Praemiſſa igitur breui introductione in omnem medicinam, in pathologia generali naturam, cauſas et ſymptomata morbi tanquam obiecta pathologiae in genere diiudicat. In ſpeciali tractatione in naturam et differentias morborum accuratius inquirit, et quatenus ſolida et fluida varie mutari poſſint, perpendit; potentias nocentes et cauſas morborum poſtea fuſius conſiderat et actiones laeſas ceu ſymptomata in ſenſu et motu, nec non in actionibus vitalibus, naturalibus et ſexus ſigillatim proponit; tandemque tractationem de morborum differentiis accidentalibus ſubnectit.

p. 1. Vita et ſanitas, morbus et mors obiecta medicinae ſunt, et licet priores ſecundum naturam, poſte-

poſteriores praeter et contra eam eueniant, omnes tamen ex cauſis phyſicis pendent, et naturales dici merentur. Mens nimirum humana vi commercii, quod eidem cum corpore intercedit, fabrica et mixtio ſolidarum et fluidarum partium, et res innumerae nos ambientes ſingulari agendi poteſtate praeditae, triplices vires ſiſtunt, quibus et ſalutares et minus ſalutares mutationes inducuntur, quae ſi apte conſpirauerint ex lege naturae vegetam longaeuitatem, ſin minus, morbos et mortem inducunt. *Medicina* itaque *eſt ſcientia et prudens directio virium naturae humanae ad vitae et ſanitatis a morbis et morte tutelam.* Illa itaque duplex medico imponit officium, alterum ſeruandae vitae et ſanitatis, alterum morborum curandorum. Hinc ſyſtema p. 5.
inſtitutionum medicinae in duas partes diſtribuitur, ſcilicet in hygienen et iatricen. Illa officium medici circa hominem ſanum tradit et phyſiologiam, ſemioticam phyſiologicam et diaeteticam complectitur: haec officium medici circa hominem aegrum perpendit et pathologiam, ſemioticam pathologicam et therapeuticam ſiſtit. Fundamenta nunc harum doctrinarum, quatenus et certa et dubia ſunt, ſummatim conſiderat Cl. Auctor et ſe ad pathologiam tantum explicandam conuertit.

Pathologia cognitionem hominis ſani praeſup- p. 11.
ponit, ad hanc enim normam aegrum conſiderat et dum oſtendit, quomodo morbus diſtet a ſanitate, viam ad medendi methodum ſternit. Haec vero diſciplina medica morbi naturam, differentias, cauſas et effectus perpendit. Status corporis humani p. 12.
viuentis, quo fit, vt actiones homini propriae non poſſint appoſite ad leges ſanitatis exerceri, morbus dicitur, natura itaque morbi generalis in male effectis corporis viui conditionibus illis, quibus id aptum eſt, ſuam conferre ſymbolam ad actiones humanas, ſita eſt. Colligenda itaque ſunt phenomena ſani cor-

corporis ex eius mechaniſmo et viribus, nec non ex actione corporum applicatorum et ingeſtorum pendentes et examinandae hiſtoriae morborum ex Cl. Medicorum obſeruationibus concinnatae, ex quibus praecipue vis naturae in morbis deducitur.

p. 24. Morbus mutationem corporis a ſtatu ſano ponit et eſt effectus corporeus determinatae potentiae, cuius vi exiſtit. Hinc deducitur ſcrutinium cauſarum, quae a medicis varie diſtinguuntur; praecipue autem ad remotas et proximas reſpiciendum eſt; illae ſingulare aliquid conferunt ad morbum producendum, nec tamen eundem, niſi coniunctae inducunt, haec, ex concurſu omnium remotarum nata, ſola integrum morbum conſtituit. Raro tamen ſimplex eſt cauſa, ſed ex pluribus conditionibus concurrentibus compoſita, morbus itaque gradu mutatur, quoties quaedam, totum componentes, cauſae deficiunt vel accedunt, ex qua re ratio durationis, incrementi, decrementi et paroxyſmorum dari poteſt. In harum rerum ſcrutinio compoſitam cauſam primum in ſimplices reſoluere, poſtea omnes componere debet medicus, quo ex his morbus totus cognoſcatur.

p. 32. Attendenda vero ſunt ſeminia morborum ſiue cauſae praediſponentes, quae, corpori inſitae, morbi generationi fauent, et potentiae nocentes ſiue cauſae occaſionales, quae in corpore, in quo diſpoſitio eſt, morbum producunt. Requiritur autem mutua vtriusque ſpeciei affinitas, quo in vnum effectum conſpirent, ſi enim vna alteram deſtruit, morbus non oritur.

p. 34. Symptoma vi vocis eſt omne id, quod homini accidit et in aegro tantum attenditur, in quo ſenſibilem quandam a ſtatu naturali mutationem notat, quae ex praeſente morbo naſcitur, ab eo tamen et cauſa diuerſa eſt, et illam praecipue ſtatus morboſi partem efficit, quae in ſenſus aegri et medici occurrit,

currit. Pendet autem vel a morbo, vel a cauſa, vel
ab alio ſymptomate, et haec accurata diſquiſitio et
ſubordinatio multum facit ad intellectum naturae
morbi, eſtque vera via, qua ad hunc ducimur. Quo- p. 43.
niam autem in morborum decurſu naturae molimina,
quae a vi vitae pendent, obſeruantur, illa quoque at-
tendi, et ſymptomata actiua dici merentur: licet enim
a vi morbi ſaepius ſollicitentur, peculiarem tamen
indolem habent, et ſymptomata ſalutaria a morboſis
certe diſtingui poſſunt. Ex illis itaque in omni-
bus morbis praeſentibus intelligitur, quid ſint
naturae propriam ſalutem propagantis certamina.
Neque haec quamuis ſalutifera ſint, ſemper mo-
derata deprehenduntur, ſed interdum iuſto debilio-
res, interdum modum excedentes, a medico mode-
rari debent.

Haec etiam epigenomena dicuntur, ſed et alio p. 46.
ſenſu fortuita quaedam accidentia in ipſo morbo-
rum decurſu obueniunt, quae a cauſis variis ambi-
entibus pendent, et cum ſtatum morbi mutent,
ſeparatim quidem conſideranda, nec cum veris mor-
borum ſymptomatibus confundenda ſunt; haec
enim ſunt neceſſaria, eſſentialia et primaria, illa
minus neceſſaria et fortuita veraque epigenomena
dicenda. Vera etiam morbi ſymptomata ordine
quodam eueniunt, et ita conſiderari debent, alia
enim ſunt perpetua, alia temporaria.

His in pathologia generali praemiſſis, ad ſpecia- p. 52.
lem progreditur Cl. Auctor, et quo differentiae,
quae inter morbos accidunt, melius intelligantur, a
ſimplicioribus ad magis compoſitos progreditur.
Ad morbos ſimpliciores accuratius conſiderandos,
analyſis chemica corporis humani omnino facit,
quam generalem praemittit, poſtea morbos ſolidi
ſimpliciſſimi, viui, continentis et inſtrumentarii,
ſcilicet fibrae, et huius vi vitali pollentis, canalis,
organorum et viſcerum morbos ſigillatim recenſet.

Simili

Simili ratione morbos fluidorum conſiderat, et primo quidem vitia cohaerentiae et acritatis humorum diſtinguit, alia a receſſione humorum orta addit, tandemque humorum ſingularium chyli, ſanguinis, et ſuccorum ſecretorum morbos examinat. Inde ad humorum morbos relatiuos accedit, et quantitatem eorundem vitiatam, fluida loco aberrantia motusque vitia in humoribus ſubiungit, et, quomodo ex his morbi compoſiti fiant, declarat.

Seligamus ex his morborum differentiis, cum omnes tangere nequeamus, nonnullas, quo methodus docendi Cl. Auctoris inde cognoſcatur. Poſt-
p. 66. quam ille vitia ſolidi ſimpliciſſimi in debilitate et
rigiditate expoſuit et in illa laxum, iners, flexile, tenerum, tabidum, fiſſile et fragile, in hac tenax, durum et fugile quaſi vitreum diſtinxerat, ad mor-
p. 72. bos ſolidi viui eruendos ſe confert. Vim vitalem
ſolidi dicit, qua id ad contactum irritamenti ſe contrahit et criſpat; inde et ſentiendi et mouendi facultatem inuoluit, et licet vis illa per vniuerſum corpus viuum diffuſa ſit, in diuerſis tamen partibus corporum et in diuerſis hominibus diuerſimode viget. Vis vitalis ab animali diſtinguitur, licet haec illam excitet; eſt ἐνορμῶν HIPPOCRATIS in ſolidis haerens non in fluidis, nec ab elementis, nec a mixtione pendens, nec cum vi elaſticitatis, attractionis, efferueſcentiae confundenda; an vis electrica? Sic dubie de vi vitali enunciat Cl. Auctor, eam tamen ab omni alia vi motrice corporum huc vsque detecta diſtinguit, nec eam a fluido, quale
p. 79. nerueum eſt, deducere audet. In morboſo itaque
ſtatu, ad quem nunc conſiderandum ſe conuertit Noſter, et torporem et irritabilitatem tanquam duo extrema a ſtatu ſanitatis aberrantia diſtinguit. *Irritabilitas eſt ſolidi viui tanta ſenſilitas, vt leuibus ſtimulis in motus erumpat enormes, quibus aequabilis functionum tenor perturbatur; Torpor vero ponit ſolidi viui immi-*

imminutam vario gradu ſenſilitatem, hinc, ad irritamenta niſus in contractionem tam paruos, vt non ſufficiat iis producendis motibus, quos oeconomiae ſalus poſtulat. Cl. Auctor itaque ad ſenſilitatis et niſus diuerſos gradus praecipue reſpicit, quae, noſtro quidem iudicio, a mutuis ſolidi et fluidi affectionibus dependere videntur.

In fluidis morbi cohaerentiae et aeritatis primum conſiderantur et ratione prioris ad tenuitatem et ſpiſſitudinem, ratione poſterioris ad mechanicam et chemicam, reſpicitur; cum etiam haec in humoribus magis indaganda ſit, viam cauſalem ad eam vlterius declarandam eligit. p. 126.

In morbis humorum relatiuis quantitas primo conſideratur, et plethora ad molem, ad ſpatium et ad volumen diſtinguitur. Prior molem ſanguinis ita exuberantem ponit, vt partibus continentibus ob nimiam diſtenſionem moleſta ſit. Haec vera eſt et abſoluta. Secunda ex imminuta ſyſtematis circulatorii capacitate oritur, quantitate ſanguinis haud pariter imminuta. Haec reſpectiua eſt, et firmis partibus nimis conſtrictis debetur v. c. in terrore, in acceſſu febrili. Tertia aucto rarefacti ſanguinis volumine molem veluti auctam mentitur, quanquam huius nulla ſit exſuperantia. Haec ſpuria eſt et a calore aeris, balnei, febris inflammatorii inducitur. p. 177.

Motus humorum inteſtini vitia difficile cognoſcuntur et ex fermentis chemicis ſano ſenſu explicatis tantum quodammodo illuſtrantur. Motus progreſſiuus non tantum auctus et imminutus a ſolidis pendet, ſed et in directione abnormi peccat, quae tamen idea ex peruerſa viſcerum et partium conſtitutione pendet. p. 193.

Ad cauſarum examen nunc ſe conuertit Cl. Auctor et potentias nocentes in variis ſex rerum non naturalium viciſſitudinibus et vitiis, et primo quidem p. 200.

in

nociuis aeris poteſtatibus, nec non in cibo et potu,
p. 245 diſquirit. His adiungit potentias, quae virus habent. Venena alia ex figura mechanice, alia ex mixtione chemice agunt, ex his alia putridum inducunt humoribus, alia vaſa conſtringunt et humores inſpiſſant, alia perniciſſima vi ipſum principium vitale inuadunt, ſingularium tamen actio, cum adeo obſcura ſit, explicari vix poteſt, cum et ſint, quae geneſi quaſi continuata multiplicentur et propagentur, cum in variis mirabilis facultas ſanos humores in ſui ſimilitudinem conuertendi perſpiciatur, nec a ſeminio verminoſo, nec a metu vel animi affectu vehementi, nec a ſtimulis ſolidi, nec à fermentis fluidi omnis repeti poſſit venenorum efficacia.

p. 254. In cauſis morborum vlterius diiudicandis ad errores in motu animali progreditur Noſter et damna ex poſituris et motibus ſingularibus v. c. ſtatu, ſeſſione et decubitu explicat; ſimili ratione exercitationes mentis immodicas, vim noxiam animi perturbationum, exceſſum ſomni et vigiliarum, et excretionem et retentionem inordinatam perpendit; tandem de calculi et vermium geneſi et nocumentis agit et alia forinſecus admota addit.

p. 312. Seminia morborum in naturalia et ea, quae praeter naturam ſunt diſtinguit. Illa ſunt, vel communia vel propria; ad communia praecipue referuntur, *firmarum corporis humani partium cohaeſio nexusque haud inſuperabilis; ſuccorum multitudo et craſis facile mutabilis; canalium numerus, ſubtilitas, implicatio; ſuperficies meatibus vndique patens, principium vitae valde ſenſile, fugax; functionum omnium ac ſingularum generale fundamentum in motibus harmonicis poſitum*, etc. quae noſtro quidem iudicio ſunt conditiones corporis viui, non cauſae ipſae, ſed rationem ſiſtentes, cur corpus non omnibus cauſis abſolute reſiſtere poſſit; inter priuata ſeminia, aetatem

ſexum,

ſexum et temperamentum recenſet et idioſyncraſiam ſubiungit. Ad ea, quae praeter naturam ſunt, ſeminia, haereditariam diſpoſitionem ex vtero materno aut lacte nutricis propagatam, morbos ſimpliciores, qui diu ſine incommodo feruntur et per acceſſionem aliorum ſeminiorum vel potentiarum demum euoluuntur, refert. His adiungit Cl. Auctor tractationem p. 320. de differenti cauſarum morbificarum conſtitutione et oſtendit, quam attente medicus et ordinem et differentiam cauſarum occaſionalium et praediſponentium in morbis indagandis inter ſe conferre debeat, et vires naturae medicatrices examinat. Continuis vitae actionibus deſtrueretur corpus, niſi nutritio accederet; vulnera et alias laeſiones natura in ſolidis reſtituit, et humores peruerſos ſubigit et temperat, vti in criſibus videmus, cui vſui varia data ſunt emunctoria. Inde profluunt motus automatici irregulares quidam, ſed ſaepe ſalutares, ex quibus febris prae reliquis attendenda eſt. Nec menti deſunt conamina, quibus ſanitatem tuetur; huc certe rerum noxiarum faſtidia, aut medicatarum appetentiae pertinent, et memorabilis quoque eſt facultas aſſuefaciendi in vtroque hominis principio, per quam multis ea innoxia ſunt, quae aliis morbum inducunt. Dubia quaeſtio eſt num haec facultas menti, an corpori, adſcribi debeat? Forte vtrique, licet explicatio phaenomenorum difficillima ſit.

His in cauſarum examine accuratius propoſitis p. 337. ad ſymptomata progreditur Noſter et ad qualitates ſenſibiles alienatas v. c. colorem, foetorem, duritiem et vitia excretorum, praecipue vero ad actiones laeſas reſpicit. Ex his vniuerſales ſcilicet dolorem p. 346. et anxietatem primo conſiderat. *Dolor eſt triſtis ſenſatio ſui generis, quam ita percipit mens, vt ſemper ad aliquam ſui corporis partem, tanquam quae vim patiatur, referat.* Nititur igitur mutuo inter mentem

et corpus commercio: corporeum, quod in eo eſt, ad certas mutationes partium ſenſibilium refertur, per continuos neruos ad ſenſorium animae perlatas, efficit tamen in mente angorem et moleſtiam. Inde et dolores ſine cauſa manifeſta corporea oriri poſſe autumat Noſter in inſomniis ſcilicet et delirio. Num vero a ſola potentia, quae laeſionem continui minitatur, an motu fluidi per neruos impedito pendeat, dubia eſt quaeſtio? Vtrumque noſtro quidem iudicio concurrit. Et *ἀνωδυνία*, qua aegri dolorificas mutationes non percipiunt, inter ſymptomata referri meretur. Pruritus eſt ſenſatio dolori proxima et doloris initium facit, et irritationem ſenſu quidem non triſti, ſed inquietante tamen moleſtam ponit, in externis partibus non tantum percipitur, ſed leniores ſtimuli, in internis partibus oriundi, huc quoque referri poſſunt, quorſum irritabilitatem hypochondriacorum et hyſtericarum refert, et anxietatem a dolore diſtinguit Cl. Auctor. A praeſenti malo dolemus, ab imminente, quod auerti aut ſuperari nequit, angimur, in anxietate igitur imaginatio male afficitur: Sed dantur quoque anxietatis cauſae in corpore, quando impedimenta circuli humorum et reſpirationis percipimus. Hoc itaque ſymptoma, quod magis, quam dolor, ſyſtemati vitali, tanquam monitor malorum datum eſt, a medicis omnino attendi meretur.

p. 360. Ad exercitationes ſenſuum laeſas nunc ſe convertit Cl. Auctor, et poſt organorum externorum vitia, etiam internos ſenſus in delirio potiſſimum laeſos examinat. Delirare dicitur, qui ideas, ſibi ab internis cauſis natas, ad res externas refert, praeſentia igitur percipit, quae abſunt. Hoc in ſtatu, licet ſenſationum exercitium peruertatur, praecipue tamen facultas iudicandi in vigilante perturbatur. Delirium itaque inducunt tenor medullae cerebri generisque neruoſi infirmatus et virtus ſentiendi

inde

inde labefactata, circuitus humorum intenſior ad encephalum potiſſimum directus, fibrarum ſenſoriarum ſiccitas, rigiditas, per quas minus mobiles mutabilesque redditae ſtatus ſemel concepti nimis tenaces ſunt, irritamenta in ſenſorium commune vel proxime vel per conſenſum agentia, et impedimenta alia, quae encephalo vim inferunt. Inde et patet, quid diſpoſitiones ad morbos, v. c. in temperamento melancholico ad deliria excitanda praeſtare poſſint. His expoſitis ad facultatis motri- p. 393.
cis ſymptomata progreditur, ſpaſmi et paralyſes examinantur, et ſomni affectiones morboſae enarrantur.

Symptomata motuum vitalium in reſpiratione p. 405.
motuque cordis et arteriarum; naturalium in appetitu, actione primarum viarum, mictione et excretione cutanea; ſexusque in vtroque ſexu obſeruanda poſtea ſuccincte enumerantur, et ad differentias morborum ordinandas progreditur. Ad hanc rem p. 461.
optime faciunt ſymptomata, quae multifaria concurſione et ſucceſſione et pro partium, in quas incidunt, diuerſitate, diſtinctos morbos exprimunt. Quilibet morbus ſua habet ſymptomata propria; licet igitur natura morbi nos lateat, vel inter diuerſas medicorum opiniones ambigua ſit, ſymptomata tamen partem morboſi ſtatus euidentiſſimam efficiunt. Cum igitur mutua inter morbos detur affinitas, et genera et ſpecies poterunt conſtitui, ita, vt ſperandum ſit, morbos ad normam hiſtoriae naturalis ſcriptorum digeri et in ordinem ſyſtematicum redigi poſſe, qui ab omni hypotheſi ſectarumque commentis liber ſola nixus fideli obſeruatione conſiſtit.

Sub finem tandem Noſter morborum differen- p. 465.
tias accidentales ab origine, ſede, curſu, gradu, indole et euentu definitas exponit. In morborum differentiis ab origine deductis haereditarios et

 con-

congenitos ab acquiſitis ſiue aduentitiis diſtinguit. Hi in pandemios et ſporadicos diuiduntur, quorum priores vel endemii vel epidemii ſunt, reliquae differentiae ab anni temporibus, temperamentis, aetatibus et ſexu deſumuntur.

VI.

Diſſertatio inaug. de epiphyſium ab oſſium diaphyſi diductione, Auctore M. GEORG. CHRISTIAN. REICHEL. Lipſiae ex officina Breitkopfia 1759. 4to. pl. 6. tab. aen. 2.

Inter eos morbos, qui iuniorum oſſibus proprii ſunt, praecipue epiphyſium ab oſſium diaphyſibus deductio attendi meretur, quam Cl. Auctor in hac diſſertatione conſiderat. Praemiſſa itaque introductione, in qua, hunc morbum a pleriſque fuiſſe neglectum, demonſtrauit, ipſarum epiphyſium geneſin modumque creſcendi deſcribit, qui vaſculis,
p. 4. neſin modumque creſcendi deſcribit, qui vaſculis, in epiphyſium ſubſtantia cartilaginea repertis, praecipue perficitur, quippe quae materiem ibi aduehunt oſſeam, particulas adponunt, totamque
p. 6. epiphyſin tandem in os mutant. Huius oſſeae nunc factae epiphyſeos ſtructura, ab illa diaphyſium multum differt. Scilicet, oſſa praecipue artuum in media parte compage laminarum arctiſſime iunctarum ſunt fabrefacta, verſus extrema autem laminae illae ſecedentes ſpatia intermedia efficiunt, quae mire intertexta celluloſa tela occupat; epiphyſes vero meris cauernulis conſtruuntur, quas a latere laminae quaedam oſſeae compingunt, eo vero in loco, vbi cum aliis oſſibus tam in articulo coniungtur, quam vbi cum aliis oſſibus concreſcunt,
p. 8. lamina cartilaginea illas inueſtit. Vtrumque vero os et epiphyſeos et diaphyſeos variis eminentiis et foueis mutuis, quibus inter ſe committuntur, eſt inſtru-

inſtructum, qua cohaeſione prouida natura fortiorem effecit nexum, quem quoque, adiuuante perioſteo, magis firmauit, donec tandem haec oſſa omnino concreſcuut et vnum corpus efficiunt; quae mutatio, etiam harum appendicum mutat nomen, ſiquidem tunc appellantur apophyſes. Hae mutationes commodam Auctori dederunt occaſionem, vt, quomodo oſſa per diuerſa vitae ſtadia mutantur et epiphyſes cum diaphyſibus concreſcant, conſideret. Aſt ſunt multae cauſae, quae p. 9. oſſium incrementum impedientes epiphyſium cum diaphyſibus retardare poſſunt vnionem, vti ſunt graues atque diuturni morbi. Quemadmodum enim omnia oſſa variis morborum generibus ſunt p. 11. obnoxia, ſic in primis horum appendices ob raram atque pumicoſam ſubſtantiam illis infeſtari ſolent. Cum enim illius cauernulae tenui membranula innumeris vaſis referta, oleumque medulloſum includente inueſtiantur, inde, ſi haec vaſcula obſtruuntur vel inflammantur, omnes inflammationis ſequelas et effectus perpeti debent, qui tandem eo peiores fiunt, ſi oleoſus medullae liquor corruptus et acris omnes, etiam duriſſimas, oſſium partes arrodit et deſtruit, ſiquidem inde plurima oſſium vitia originem ducunt. Ipſa epiphyſium ab oſſium diaphyſi diductio haud raro his ex cauſis oritur, ad quam conſiderandam nunc propius accedit Auctor. p. 13.

Poſtquam igitur veteres hunc morbum notatu iam cenſuiſſe dignum monuit, illum accuratius deſcribit. Scilicet, quando appendices illae vel capita, quibus inprimis oſſa cylindracea artuum praedita ſunt, a media illa parte, quae diaphyſis vel corpus appellatur, et quacum cohaeret, ſecedit, dicitur diductio. Quae cum variis a cauſis p. 14. oriri ſoleat, inde varie diſtinguitur. Alia eſt, quae a cauſis internis oritur, et dicitur ſpontanea. Haec praecipue in iuniorum infantum corporibus euenire

 ſolet,

ſolet, quando articuli intumeſcunt et rachitici fiunt, vel ſi a corrupta materia arroduntur et peſſimo illo ſpinae ventoſae aut paedarthrocacis malo afficiuntur, vbi haud raro, vt epiphyſes e ſede ſua moueantur, contingit. Neque vero ſolum iuniores, ſed et adultiores hoc morbi genere afficiuntur, vti in corporibus iuuenum ſcorbuto enecatorum obſeruatum fuit, vel quando morboſa materia ad articulos
p. 16. per metaſtaſin transfertur. Alia diductionis ratio eſt, quae a cauſis vel violentia externa inducitur, et dicenda violenta.

Haec duas in claſſes iure diſtinguitur, quarum altera facillime fieri poteſt, quando epiphyſis in loco commiſſurae tantum diducitur, vti euenit, dum in partu ipſo foetus minus prouida manu educitur, vel dum teneriores puerorum artus variis motibus vehementius premuntur, aut adducuntur; altera, quando in loco commiſſurae oſſa iam firmius cohaerent et violenter ſeparantur, particula epiphy-
p. 19. ſeos vel diaphyſeos ſimul abripitur. Bene vero hoc ab aliis articulorum vitiis eſt diſtinguendum, idque eo magis, cum frequentius eiusmodi epiphyſium diductio pro luxatione accipiatur; hinc, praeter alia ſigna diagnoſtica, illud in primis attendendum eſt, vt membro denudato disquiratur, num circa articuli capita ſinus aut hiatus inueniatur, quippe quo praecipue a luxatione dignoſcitur epiphyſium ſolutio, cum in luxatione eo in loco ſemper tumor appareat maior, in quem os prorupit. Augent ſuſpicionem, quando chirurgus mobilitatem vel flexilitatem membri inſolitam inuenit; quando cauſam violentam acceſſiſſe agnoſcit; quando puerum valetudine infirma affectum et tumores articulorum antea perſpexit.

p. 21. Vti autem omnis fractura circa articulos periculoſa eſt, ſic ſane epiphyſium ſolutio periculo non caret, indeque vix vnquam aut raro ſaltem pro

rerum

rerum ratione boni quid in epiphyſium diductionis medela ſperandum aut praedicendum erit, quoniam plerumque membri aliqua relinquitur foeditas. Sunt enim multa mala, quae epiphyſium ſolutio- p. 23. nem ſubſequi ſolent; ſic, ſi epiphyſis ſoluta non rite reponitur et in ſitu continetur, ſaepe oſſa manent ſoluta, et articuli ſic dicti formantur analogi, vel ſi oſſa quoque iterum concreſcunt, membrorum poſtea efficitur diſtorſio, deformitas, inaequalitas. Mala vero fiunt multo peiora, quando acres corruptique haec ad loca adfluunt humores, vti in corporibus ſcorbuto, lue venerea vel rachitide inquinatis euenire ſolet; vbi caries oritur, quae raro in oſſibus ſpongioſis permittit medelam, et hac quoque accedente, rigor tamen articuli et vera plerumque manet ankyloſis.

Vt his autem eo maiorem conciliet fidem, va- p. 26. riis exemplis hanc rem illuſtrauit Cl. Auctor, quorum copiam Cl. LVDWIGIVS ex egregio ſuo oſſium morboſorum theſauro ipſi fecit. Epiphyſium itaque diductarum mirumque in modum quidem, at diſtorte accretarum in humero dextro atque ſiniſtro refert exempla; vbi prius harum partium conformationem et qui fiat, vt epiphyſes facile diduci poſſint, conſiderat, quam oſſium ipſorum exhibet hiſtoriam. Ipſas horum oſſium figuras depinxit Auctor, et vt eo melius, in quibus a ſanis recedant partes morboſae, pateſcat, figurae oſſis morboſi ſimul a latere adpoſuit aliam oſſis ſani. Capitis p. 30. porro femoris ſoluti, neque rurſus coaliti ſingularem proponit hiſtoriam, prius vero, quam ipſam recenſet, huius capitis ſolutionem plerumque pro luxatione haberi, PAREI exemplo illuſtrat. Operae vero pretium eſſe, vt haec hiſtoria breuibus referatur, exiſtimamus. Iuuenis viginti circiter annorum, cui ex curru delapſo caput femoris ſiniſtri ſeparatum fuerat, male erat ſanatus, ita, vt caput

in acetabulo reliſtum cum ceruice femoris non concretum fuiſſet. Id quod ex eo ſatis apparebat, quoniam, dum erectus in pede dextro ſtaret, non ſolum pes ſiniſter duodecim pollices erat breuior, ſed et crure ſiniſtro innitens, femoris trochanter maior vsque ad criſtam oſſis coxae protrudebatur, praeter ea pedem ita mire torquebat, vt digitos pedis ori admouere, humero vtrique et ab anteriore et poſteriore parte, immo capiti, idque ſine vi atque doloris ſenſu imponere poſſet.

p. 32. Hanc hiſtoriam femoris epiphyſeos inferioris diductae excipit exemplum, quae, ſi a cauſis internis originem ducit, periculoſiſſima eſt, atque raro ſine articuli rigiditate vel vera eius ankyloſi ob viciniam patellae ſanatur; nonnunquam etiam epiphyſis mobilis vi muſculorum ad latus oſſis femoris trahitur, cui poſtea, in ſitum verum non repoſita, accreſcit. Hoc in primis confirmat admirandi oſſis a parte anteriore et poſteriore depicti figura, cuius autem expoſitionem ſine illa vix commode exhibere poſſumus.

p. 35. Hinc, quomodo huic pertinaciſſimo oſſium hoſti obuiam eundum, miſerisque aegrotis ſubueniendum, generali primum commentatione demonſtrat. Scilicet, ad omnem epiphyſium ſolutionem requiritur, vt membri laeſi ſitus naturalis cauta extenſione rectaque repoſitione reſtituatur, deinde in ſitu illo per accommodatas faſcias et machinas retineatur, vt tandem ſeparatae partes ita vnitae atque retentae rurſus ferruminentur. Cuncta haec poſtea ſigillatim et quae praecipue in repoſitione ſint obſeruanda exponit Cl. Auctor. Quando epiphyſis ſeparata fuit, partes leniter tantum ſunt extendendae, ſiquidem talis ſufficit extenſio, per quam diſtortae partes a mutuo remouentur contactu, vt ſine ſuperficierum attritu debitum in ſitum commode iterum compelli poſſint. Praeſtat quoque hanc extenſionem

nem manibus quam laqueis et faſciis ſuſcipere, quoniam illis membrum laeſum et aequabile extendi et optime dirigi poteſt; fortior enim in hoc malo extenſio magis nocere videtur, idque ob mollitiem partium in corporibus iunioribus. Quando vero ipſa epiphyſis plures in partes diffracta fuit vel fragmenta a diaphyſi abrupta vicinas partes laedunt, tunc periculum maius imminet, ſiquidem omnia facile in corruptionem tendunt; inde per aliquot dies medicamentis antiſepticis, vt haec auertatur, moliendum, quae ſi conueniunt, chirurgum, vt omnia in ſitum compellat naturalem, admonent, ſi autem corruptio augetur, vt membrum abſcindat, neceſſe eſt. Tandem, quae chirurgum certum reddunt, omnes perturbatas partes verum in ſitum repoſitas fuiſſe, Auctor exponit ſigna.

Quod ſi itaque oſſa bene repoſita ſunt, tunc p. 39.
vt omnia in illo ſitu retineantur neceſſe eſt. Qua de re quidem faſciarum ferularumque accommodatio neceſſaria eſſe videtur validiſſima; aſt, vti in omni oſſium laeſione circa articulos, ſic quoque in hac praecipue valida faſciarum conſtrictio eſt peſtifera. Cum vero non vnus idemque vinciendi modus in omnibus epiphyſium ſolutionibus adhibendus ſit, inde diuerſa diuerſorum articulorum deligandi ratio eſt perpendenda. In humeri epiphyſeos p. 40.
ſuperioris diductione ea deligandi ratio, quae in eius colli fractura applicari ſolet, accommodanda eſt. Haec autem ab auctoribus varie admodum deſcribitur, quam ob rem variae prius ſcriptorum methodi ab Auctore diſquiruntur et poſtea illa cum ſpica ſimplici deligatio reliquis et praecipue illi cum faſcia duodeuiginti capitum, quippe quae ob craſſitiem et inaequalitatem partium vix commode applicari poteſt, praefertur. Si quando autem humeri epiphyſis inferior fuit diducta, tunc faſcia duodeuiginti capitum eſt accommodanda; ne vero

articulus rigeſcat et inutile brachium efficiatur, faſcia ſaepius reſoluta, locus laeſus manu continendus et articulus caute mouendus eſt. Simili modo agendum eſt, ſi ex ſummo cubito epiphyſis fuit diducta, haec ſic, prouti olecranum diffractum vel cubitus luxatus deligatur, ea modo adhibita ratione, vt omnia laxe tantum circumdent membrum.

p. 42. Artuum epiphyſes diductae inferiorum eandem, niſi maiorem, exigunt attentionem, in primis ea, quae ex femore ſuperius ſecedit. Hanc vero epiphyſin diductam debito in ſitu continere, res eſt ardua, quoniam muſculis inuoluta eſt validiſſimis, qui vix permittunt, vt commodo in ſitu retineantur partes diductae. Inde ſingularis partes in ſitu retinendi machinae, quam HILDANVS deſcripſit, mentionem fecit; prae reliquis autem HEISTERI cum DVVERNEII atque PETITI conuenientem deligandi rationem commendat, qua efficitur, vt
p. 44. membrum laeſum extenſum conſeruetur. In ſolutione epiphyſeos femoris inferioris non minore cura opus eſt; membrum enim ita eſt inuoluendum, ne articulus nimium compreſſus ob copioſa annexa ligamenta atque patellae viciniam obrigeſcat. Aptiſſima itaque deligandi ratio eſſe videtur, quae cum faſcia duodeuiginti capitum fit, qua accommodata membrum in lectulum ſtramineum vel in arculam PETITI eſt immittendum atque ita, vt in reliquis epiphyſium diductionibus, vsque ad decimum quartum diem quietum relinquendum, niſi aliquod ex inflammatione aut alia re periculum ſit.

Non minus autem medici auxilium quam chirurgi ad haec oſſium vitia ſananda requiritur. Haud raro enim contingere ſolet, vt callus in iunioribus ob molliorem ſolidorum compagem et humorum abundantiam nimium luxuriet, inde, vt nimium calli incrementum coerceatur, neceſſe eſt,

id,

id, quod parciori victu, lenioribus purgantibus, frictione partis affectae et modica faſciarum conſtrictione efficitur. Quod ſi vero calli geneſis in epiphyſium diductione, quae praecipue violentia quadam externa facta eſt, retardatur, tunc illam apto regimine, cibis boni ſucci atque remediis, quae moderate excitant, eſt iuuanda. Quae autem epiphyſes a vitiis in interioribus oſſium genitis diducuntur, plerumque difficilius cum oſſe ipſo vniuntur, ideoque eiusmodi miſeri aegroti medentium inprimis auxilio indigent. Cum vero plurimae huius morbi ſint cauſae, inde, vt ad has omnis medentium dirigatur attentio, neceſſe eſt. Oportet autem praecipue lymphatico-oleoſos humores in interioribus oſſium cauernulis incluſos corrigere, vtpote in quibus maxima horum diriſſimorum malorum obſeruatur ſedes; aſt horum humorum correctio, niſi ſimul omnes corporis humores mutentur, difficile admodum fieri ſolet. Mutatio haec humorum validiſſima requirit reſoluentia, quae tamen tenera eiusmodi corpora vix perferre poſſunt, quapropter illis potius ſerum lactis dulce pro potu propinandum eſt ordinario, diaeta praeter ea obſeruata tenui, quibus lene interdum interponatur purgans. In qua medendi methodo diu perſeuerandum, ſiquidem maxima ſpes in his valetudinibus eſt, fore, vt aeger impetum morbi trahendo effugiat. Haud raro vero euenit, vt humores coeant, tumorem efficiant et cutis exedatur; vbi tumor incidendus et omni opera moliendum eſt, vt id, quod corruptum, exeat. Cum autem exfoliatio in oſſium rara atque pumicoſa ſubſtantia rariſſime fiat, inde ſaepius remedium illud, vt membrum abſcindamus, ſupereſt miſerrimum. Quando vero hoc vitium a miasmate venereo originem ducit, tunc diriſſimo tali hoſti potius inſidiae ſtruendae, quam armis obuiam

p. 47.

obuiam eundum eſt, ideoque ſerum lactis cum herbarum ſuccis paratum diu exhibendum erit.

VII.

Recueil Périodique d'obſeruations de Médecine, Chirurgie, Pharmacie etc. Par M. VANDERMONDE, Docteur Regent de la Faculté de Paris, Profeſſeur en Chirurgie Françoiſe et Cenſeur Royal. Tome VII. à Paris 1757. chez Vincent. 8. Alph. 1. pl. 7 et Tome VIII. 1758. Alph. 1. pl. 13.

h. e.

Collectio periodica obſeruationum ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam etc. pertinentium. Auctore Cl. VANDERMONDE. Tomus VII et VIII etc.

In menſe Iulio 1757 deprehenditur,

p. 3. 1. *Obſeruatio de ruſtico, qui intenſum calorem perpeſſus nec ab vllo animali rabido morſus, ſubito hydrophobus factus fuit.* Auctore Cl. LAVRENS. Iuuenis viginti circiter annorum horis pomeridianis ſub feruidiori ſolis calore per aliquot milliaria iter fecit, et inſignem ſtatim virium proſtrationem ſentiens pauloque poſt omnibus vere hydrophobiae ſymptomatibus cruciatus, remediis incaſſum adhibitis, periit. Cadauer ob ſubitam putredinis euolutionem medicos a diſquiſitione prohibuit.

p. 10. 2. *Obſeruatio de effectu ſingulari ſanguinis in puella ſedecim annorum reſoluti.* Auctore Cl. MAHON. Sanguinis ſpumoſi inſigni per os copia reiecta paucas poſt horas obiit, cuius corpore aperto omnium in pulmonibus arteriolarum minimarum diapedeſin laxamque

laxamque de reliquo fibrarum corporis pulmonumque inprimis compagem reperientes cauſam huius laxitatis in patre, ante huius puellae procreationem phthyſico exiſtente, quaeſiuerunt.

3. *Obſeruatio de effectibus nucleorum prunorum et ceraſorum imprudenter deglutitorum funeſtis.* Auctore Cl. MARTEAV DE GRANDVILLIERS. Hominis cuiusdam, per quinque menſes febre, colica conuulſiua, vomitu et ſingultu cruciati, demum mortui corpore aperto, ſex nucleos prunorum in inteſtino coeco, quod aeque ac colon et rectum gangraena correptum fuerat, deprehenderunt. Huic obſeruationi ſimilis fere ſubnectitur, puella nimirum, nucleis ceraſorum deglutitis, vomitu continuo vexata et ita emaciata fuit, vt omnis, dum haec notata ſunt, ſanitatem recuperandi ſpes decederet. p. 15.

4. *Experimenta, quae ad regenerationem aluminis ex terra propria, per acidum vitriolicum ſeparata ſpectant; ſubnexis quibusdam compoſitionibus artificialibus aluminis ope aliarum terrarum dictique acidi* *. Auctore Cl. MARGGRAF. p. 23.

5. *Obſeruatio de ſingulari diaphragmatis, hepatis, cordis etc. diſlocatione.* Auctore Cl. GLATIGNY. Cauſa diſlocatarum harum partium fuit hydrops aſcites, diaphragma ſurſum pellens pectorisque cavitatem coarctans. p. 38.

6. *Obſeruatio de vulnere, quod exploſa glans ſclopetaria brachio inflixit, vna cum humeri fractura.* Auctore Cl. RAVATON. p. 42.

7. *Obſeruatio de hydrocele, ob quam ſuſcepta fuit caſtratio.* Auctore Cl. DVRAND. p. 49.

8. *Obſeruationes de herniis cum inteſtinorum adhaeſione ad annulum.* Auctore Cl. TARDIEV. p. 53.

9. *Indiculus morborum epidemicorum, qui anno* 1750 *et* 1751 *in vrbe* Caillan *dicta locisque adiacentibus regnarunt.* Auctore Cl. DARLVC. Tempeſtatem p. 55.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. II. p. 328.

tem nimirum pluuioſam valdeque calidam, totam fere aeſtatem durantem excepit febris putrida eryſipelatoſa. Haec totam faciem occupans cum inquietudine, anxietate, ſiti et facie valde tumida coniuncta fuit. In nonnullis haemorrhagia narium, inque aliis angina, deglutitio difficilis voxque rauca acceſſit. In paroxyſmo febris deliria, ſubſultus tendinum, deiectiones bilioſae virideſcentes, aſcaridibus refertae, vrina turbida et craſſa obſeruata ſunt. Sphacelo accedente aegrotantes obierunt, quibus vero ſudor foetidus viſcidusque exiit, ii euaſerunt. Emetica et purgantia, ſtatim ab initio adhibita, multum profuerunt, venae ſectio autem ſingulare leuamen non attulit, acidorumque, externe partibus effectis applicatorum vſus nocuit. Hyeme anno 1751 pleuritis gangraenoſa regnauit inque ea venae ſectio nocuit, emetica vero, iuſto tempore adhibita, mala materie primas vias liberarunt et a diarrhoea, ſemper funeſta, praecauerunt. Poſthaec diaphoretica, leniſſima cardiaca, pulueres nitroſi, camphora et alcalina volatilia cum decocto cornu cerui, adhibitis inſimul veſicatoriis, opem tulerunt.

p. 65. 10. *Summa obſeruationum et remediorum quorundam.* Deprehenduntur hic

Litterae, quas de vermibus ſanguineis ad Editorem huius diarii dedit Cl. BOVSQVIER. In duobus nimirum hominibus, dum vena ſecabatur, vermes viuos rubellos exire vidit.

p. 67. *Obſeruatio de virtute tabaci emetica.* Auctore Cl. MARRIGVES. Foemina viginti trium annorum, ſcabie affecta ſuaſu circumforanei cuiusdam linteis, decocto tabaci madefactis, brachia crura omnesque ſcabie affectas partes inuoluit ſtatimque lectum calidum intrat. Tribus horis elapſis iſta horrorem per totum corpus ſentit, atque nauſea, vomitu violento ſanguineo, vna cum brachiorum

crurum

crurum muſculorumue ſpinae dorſi conuulſionibus cruciatur. Accerſitus paulo poſt Cl. Auctor miſerumque ſtatum animaduertens inuolucra ſtatim remoueri iubet et venaeſectione aliisque remediis a moleſtiis foeminam quidem liberat, inſignem tamen ventriculi debilitatem atque appetitum prorſus nullum diu remanſiſſe perhibet.

Obſeruatio de virtute foliorum aſari in puluerem redactorum naribusque attractorum. Auctore Cl. DESMARS. Miles lapſu regionem temporalem dextram terrae impingens ſemianimis domum geſtatur, paulo poſt ad ſe rediens vomituritione vexatur, ſed nihil euomens tribus diebus elapſis multum ſanguinem per aluum deiicit. Dolore circa regionem iſtam perſiſtente, grauatiuo pariter in orbita ſentito, continuaque lacrymarum profuſione remanente, ſuaſu Cl. Auctoris folia aſari puluerisata verſus veſperam naribus attrahit, quo facto die ſequenti inſignem copiam materiae purulentae ac ſeroſae emungit tribusque doſibus per tres ſenſim dies attractis materieque euacuata perfecte conualuit. p. 70.

Remedium, cuius efficacitas in arthritide et doloribus rheumaticis experientia probatur. Partes nimirum aequales radic. ariſtoloch. rot. et gentian. nec non ſummitat. et folior. chamaedr. chamaepit. et centaur. min. in puluerem rediguntur, cuius drachma vna omni die tempore matutino per tres menſes cum aqua, vino aut infuſo theae ſumitur, poſthac per alios tres menſes grana 45, hisque elapſis per ſex iterum menſes drachma ſemis atque anno ita elapſo alternis ſemper diebus drachma ſemis deglutitur hocque remedio per duos annos ita continuato arthritidem et rheumatiſmos inueteratos ceſſare, dicunt. p. 72.

11. *Obſeruationes meteorologicae menſe Maio* 1757 annotatae. p. 74.

12. *Morbi,*

p. 78. 12. *Morbi, qui eodem menſe Pariſiis regnarunt,* fuerunt pleuro-peripneumoniae, hyeme praeterita obſeruatae, hoc vero menſe mitiores factæ, dein morbilli, nonnullis lethales, tandem febres continuae. Praeter hos morbos hinc inde anginas, variolas febresque putridas obſeruarunt.

p. 79. 13. *Indiculus morborum quorundam epidemicorum in locis, Lutetiae Pariſiorum adiacentibus, obſeruatorum.* Multi nimirum peripneumonia bilioſa laborarunt, cui venaeſectio, caſſia et emetica optimam dederunt medelam.

In *menſe Auguſto* 1757 occurrit,

p. 81. 1. *Obſeruatio de hydrophobia ſpontanea rabiem ſecuta.* Auctore Cl. LAVIROTTE. Homo quidam, a nullo animali demorſus non ſolum hydrophobus, ſed et aerophobus fuit, ita, vt ne minimum quidem halitum ferre poſſet. Remediis incaſſum adhibitis periit.

p. 98. 2. *Litterae, quas de febre ſingulari, paroxyſmo et delirio periodico ſtipata, et cortice peruuiano curata ad* Cl. VANDERMONDE dedit Cl. SVMEIRE. Iuvenis viginti annorum febre quartana, poſthac tertiana, laborauit, qua profligata paucos poſt dies omni die verſus veſperam noua febris acceſſit, quae deliriis ſtipata, et continuae typum ſeruans cortice peruuiano exhibito profligata fuit.

p. 102. 3. *Obſeruatio de aſcite et pectoris hydrope cum phthyſeos quadam renalis venereae ſpecie coniuncta atque vſu lactis, victum vnice conſtituentis, curata.* Auctore Cl. LANDEVTTE.

p. 106. 4. *Obſeruatio de apertura in infimo ventre foeminae cuiusdam ſponte orta.* Auctore Cl. DEBERGE. Praeter menſium obſtructiones aliasque affectiones morboſas, quibus per aliquot annos foemina quaedam cruciata fuit, notamus, varias demum infra vmbili-

vmbilicum ſiniſtrorſum exortas fuiſſe excreſcentias, quarum vna fuit, ex qua intra ſex menſes plus quam octingentae librae aquae effluxerunt.

5. *Experimenta de terra aluminis.* Auctore Cl. MARGGRAF *. p. 11

6. *Litterae, quas de hernia inguinali ope gangraenae curata atque inteſtini partibus ſeparatis denuo vnitis ad Editorem huius diarii* dedit Cl. ROVSSELET. Parte nimirum inteſtini gangraenoſa a Cl. Auctore exſecta, vtrumque extremum ſponte demum coaluit, ita, vt foeces via naturali canalem inteſtinorum tranſirent. p. 124.

7. *Deſcriptio operationis cum tumore vmbilicali ſuſceptae.* Auctore Cl. HENRION. Intra viginti nimirum annos hernia vmbilicalis in foemina ſenſim formata in ingentem demum magnitudinem abiit. Gangraena tandem accedente, tumore ſponte rupto faecibusque egredientibus, partes, gangraena corruptae, a Noſtro ſeparantur ac foemina a morte quidem liberatur, ita tamen, vt foeces continuo per aperturam in vmbilico relictam exirent. p. 131.

8. *Relatio de pleuro-peripneumoniis, quae* in loco, *Saint-Iean d'Angeli,* dicto *menſe Martio et Aprili anno* 1757 *regnarunt.* Auctore Cl. MARCHANT. Morbus hic quatruplici modo infeſtauit aegrotantes. Alii enim pleuritide ſeu peripneumonia ſpuria absque vllo malignitatis ſigno correpti per tres aut ad ſummum quinque dies aegrotarunt. Alii febre quaſi continua decubuerunt, inque his capitis et renum dolor, vigiliae pertinaces, deiectiones purulentae et verminoſae, ſaepiſſime ſudores copioſi, ſymptomatici, nullum leuamen afferentes, tuſſis ſicca, reſpiratio breuis et profunda, nullus tamen laterum dolor nec etiam pectoris pondus adfuerunt. Haec et ſequentes morbi ſpecies vltra ſeptem dies p. 134.

non

* vid. Commentar. noſtr. Vol. VI. P. II. p. 330.

non durarunt. Alii porro laterum dolore, ſpurias vt plurimum coſtas obſidente, inſimulque tuſſi ſicca moleſta laborarunt. In his ſub initium morbi ſputum album ſaponaceum, in progreſſu autem craſſum et quaſi purulentum obſeruatum fuit. De reliquo omnia fere ſymptomata ſpeciei praecedentis in vigore morbi apparuerunt. Alii denique, praeter ſymptomata ſecundae et tertiae ſpeciei, notabili oppreſſione vna cum ſputo rubiginoſo et ſanguinolento nec non deliriis vagis obſcuris laborarunt. In omnibus praeterea vrina facilis, rubra et purulenta, raro aluus obſtructa, interdum fluxus ſeroſus ſymptomaticus adfuit. Plurimi aegrotantes vermes aut per vomitum aut per aluum reddiderunt. In nonnullis morbo hoc peremtis membranam pulmonum propriam atque pleuram in coagulum craſſum, ſolidum et quaſi purulentum mutatam, inque corde polypos notabilis magnitudinis, in vaſa egredientes, repererunt. Hicce morbus ſexui ſequiori hominibusque tenerioribus minus, quam robuſtis fatalis fuit, minusque etiam infantes et ſenes infeſtauit. Sudores in principio boni ominis non fuerunt, qui autem euacuationes ſufficientes factas et verſus ſeptimum diem ſecuti ſunt, critici et ſalutares fuerunt. Solo naturae beneficio morbus iſte non ceſſans auxilium promtiſſimum poſtulauit. Quarto enim die elapſo nec vllo remedio adhibito ſpes nulla ſuperfuit. Prima ſpecies venaeſectione aut et purgatione ſemel bisue vſurpata facilius profligata fuit. In reliquis autem venaeſectio plus, quam ſemel, interdum quater, nunquam vltra, neceſſaria fuit. De reliquo purgantia, emetica et diaphoretica leniora multum valuerunt, inprimis autem tartarum emeticum cum tamarindis, caſſia aut manna coniunctum mira praeſtitiſſe Noſter refert.

9. Summa

9. *Summa obſeruationum, remediorum et librorum.* p. 150.
Occurrunt hic,

Litterae, quas de effectibus ſolani in cancro mammae curando ad Editorem huius diarii dedit Cl. PINARD. Licet haec planta a Cl. Auctore nondum vſurpata ſit, eam tamen, ad belladonnae familiam pertinentem, hac ipſa multo ſecurius optimoque cum ſucceſſu in cancro adhibendam eſſe, autumat.

Remedium ad perniones ſpiritus ſalis, partibus affectis applicatus laudatur. p. 154.

10. *Obſeruationes meteorologicae menſe Iunio* 1757 annotatae. p. 156.

11. *Morbi, qui eodem menſe Pariſiis regnarunt.* p. 159.
Pleuro peripneumoniae totam hyemem ad hancce menſem vsque durantes, hoc euanuerunt, variolae contra, in paucis menſe praecedenti obſeruatae, plures infantes ſymptomatibus grauioribus infeſtarunt. Alii praeterea febre quadam, maculis latioribus magisque rubris, quam in morbillis, ſtipata, laborarunt.

In menſe Septembri 1757 reperiuntur,

1. Litterae, quas de formatione oſſium in animalibus et ligni in arboribus ad Cl. BONNET dedit Cl. DVHAMEL DV MONCEAV. p. 161.

2. *Methodus in curandis pleuro-peripneumoniis bilioſis ac putridis admodum proficua.* Auctore Cl. DEPLAIGNE. Ad impediendam inflammationem vena ſemel biſue ſecta, emetica exhibuit, nulla autem febre praeſente, ſtatim ab initio emetica dedit prae reliquis ea in eiusmodi morbis laudans. Cumque cauſam dicti morbi primariam in inſpiſſatione ſuccorum lymphaticorum ponat, Noſter ea propter partibus affectis emplaſtrum veſicatorium applicat. Putredine euoluta antiputrida, vt bolum ex radice contrayeru. camphor. et nitro vel oxymelle ſcillitico etc. dedit. p. 168.

p. 175. 3. *Litteræ, quas ad* anonymum dedit Cl. RAZOVX, diarium inſitionis variolarum continent, quae in puella quatuor annorum ſeptemue menſium ſuſcepta fuit. Praeparatione nimirum ipſaque operatione deſcripta dein notatur, quicquid omni die ad finem vſque morbi in puella iſta obſeruatam fuerit.

p. 189. 4. *Meditationes de acidi nitroſi cum ſpiritu vini coniuncti effectibus in nonnullis morbis.* Auctore Cl. MAIAVLT. Iſtum nimirum liquorem, qui a Cl. Auctore anodynus nitroſus dicitur, cuiusque praeparationem Cl. BAVME docet, in colica flatulenta inque vrinae difficulter excernendae emiſſione facilitanda, experientia confirmatus Noſter laudat.

p. 198. 5. *Deſcriptio, quam de abſceſſu fiſtuloſo in aure externa cum carie a tympano ad apophyſin maſtoideam vſque, Editori huius diarii* communicauit Cl. BARATTE.

p. 202. 6. *Deſcriptio complurium tumorum cancroſorum in naſo et circa eum formatorum, quorum vnus quinque vncias cum dimidia ponderauit, menſe Octobri* 1753 *a* Cl. CIVADIER *extirpatorum.* Maximus eorum, ad radicem et lateralem partem naſi ortus, pyrum magnitudine ſuperauit, hisque tumoribus extirpatis aegrotans conualuit. Tabula adiecta tumores delineantur.

p. 207. 7. *Indiculus morbi epidemici, qui anno* 1756 in loco, Seclin, *regnauit.* Auctoribus Cl. DEHENNE et DE CYSSAV. Febris nimirum putrida continua remittens, in aliis inflammatoria, in aliis biliosa, interdum inflammatoria et biliosa ſimul, ſaepe verminoſa, interdum catarrhalis et maligna obſeruata fuit, ita tamen, vt in multis plures, in aliis omnes, dictae ſpecies coniunctae eſſent.

p. 221. 8. *Summa obſeruationum, remediorum et librorum.* Deprehenditur hic,

Deſcri-

Deſcriptio infantis trium fere annorum, viribus extraordinariis, notisque virilitatis externis praediti. Auctore Cl. NICOLAIS DE SAVLSAY. Menſe vigeſimo primo poſt ortum elapſo infans iſte ſubito incrementum coepit, ita vt penis et teſticuli magnitudinem, homini triginta annorum propriam, haberent. Caput praeterea magnum, pectus amplum, vox fortis et plena fuit. Longitudo infantis pollices tringinta ſeptem aequauit, ipſeque facili negotio pondus triginta, ſex librarum eleuauit. Animi vero vires eaedem fuerunt, quae in aliis infantibus eiusdem aetatis obſeruantur.

De vſu mercurii camphorati relatio. Auctore Cl. TILLOLOY. Magnam nimirum quantitatem mercurii cum camphora coniuncti absque ſaliuatione oborta vſurpatam eſſe perhibet. Sequitur Index *librorum nouorum.* p. 224. p. 225.

Conditiones iis propoſitae, qui omnibus voluminibus Collectionis Academicae a fundatione Academiarum in Europa incipientis ad annum vsque 1750 *incluſiue ſubſcripſerunt.* p. 227.

9. *Obſeruationes meteorologicae menſe Iulio,* 1757 annotatae. p. 229.

10. *Morbi eodem menſe Pariſiis regnantes* fuerunt febris ardens et miliaris in puerperis. p. 233.

11. *Breuis deſcriptio climatis vrbis Inſulae in Flandria.* Auctore Cl. BOVCHER. p. 234.

12. *Summa obſeruationum meteorologicarum menſe Iunio* 1757 *ibidem annotatarum.* p. 236.

13. *Morbi, qui eodem menſe ibidem regnarunt.* Variolis, menſe praecedenti obſeruatis hocque ſenſim euaneſcentibus ſucceſſerunt eruptiones inflammatoriae in cute partim exigua febre partim absque ea ſtipatae. Praeter has in nonnullis capitis et infimi ventris fluxiones catarrhoſae, inque infima plebe fluxus alui verminoſus febrisque putrida obſeruata ſunt. p. 238.

In *menſe Octobri* 1757 deprehenditur,

1. *Deſcriptio anginae malignae et gangraenoſae, quae in Anglia ab anno* 1751 *ad annum* 1753 *vſque regnauit.* Auctore Cl. HVXHAM. Hic morbus diverſimode in ingreſſu fuit. In aliis enim cum horripilatione, gula non adeo male affecta, plenitudine et tenſione dolorifica colli incepit. In aliis horripilatio et calor ſe inuicem exceperunt, inſimulque in his exiguus capitis dolor, vertigo et ſtupor. In aliis tandem febris valide ingruens, cephalalgia inſignis, dorſi membrorumque dolor, oppreſſio pectoris circa cor continuaque ſuſpiria obſeruata ſunt. In pluribus tamen horripilatio et calor, pondus et dolor capitis, gula dolens, raucitas, tuſſis parua, vomituritiones et deſidendi deſiderium, in omnibus autem, morbo incipiente, ingens proſtratio, incrementum ſubitum atque ingens pectoris oppreſſio et debilitas adfuerunt. Pulſum praeterea paruum, celerem, vrinam vt plurimum pallidam, crudam, oculos rubentes lacrymantes deprehenderunt. Symptomata ſub nocte grauiora ſecundo aut tertio die notabiliter increuerunt, e quibus reſpirationem admodum difficilem et ſtertoroſam oriſque halitum foetidiſſimum tanquam praecipua notamus. Angina haec in multis vere vlceroſa et gangraenoſa interdum eruptionibus cutaneis, partim ante anginae euolutionem, partim poſt eam, apparentibus ſtipata fuit. Eruptio lenis mox in initio atque ſubſequens cuticulae deſquamatio bona, maculae vero liuidae ſubito diſparentes mala praenunciarunt. Tertio quartoue die pulſus lentus, fortis, aequalis, eſcharae cum facilitate ſeparandae, gula pura et pulchre rubens, reſpiratio libera oculique vigentes bona dederunt ſigna. Horripilationes contra, maculae diſparentes vel liuidae, pulſus paruus et celer, cutis calida et ſicca, reſpiratio difficilis, oculi moribundi, vrina pallida, phreneſis vel comatoſa affectio cum

ſudore

ſudore faciei frigido et viſcido mortem propinquam indicarunt.

2. *Obſeruatio de ſpecie anthracis ad angulum oculi internum orti.* Auctore Cl. MAISTRE. p. 254.

3. *Obſeruatio de verme ex dente infantis extracto cum Editore huius diarii* communicata a Cl. Auctore DVFOVR. Longitudo huius vermis quatuor linearum, peripheria vero vltra duas fuit. p. 256.

4. *Meditationes de vſu diaphoreticorum in inflammatoriis morbis pectoris.* Auctore Cl. VARNIER. In eo nimirum caſu, vbi pleuritis aliique pectoris morbi inflammatorii ad finem properant, vbi remedia ordinaria fruſtra exhibentur, febris exigua eſt atque aegrotans natura debilis inſigni inſuper debilitate in ipſo morbo laborat, diaphoretica per ſudores materiam in pectore collectam euacuare et optime conuenire Noſter experientia confirmatus aſſerit. p. 261.

5. *Obſeruationes de conſeruis liquidis.* Auctore Cl. BAVME. Cum conſeruae vulgari modo paratae ob fermentationem, quam omnes fere ſuſcipiunt, in mixtione mutentur aliasque, a naturalibus diuerſas, vires obtineant, Noſter ideo, ad conſeruandas virtutes plantarum naturales, plantas exſiccari, in puluerem redigi cumque ſaccharo, in puluerem redacto, miſceri et ad vſum recondi iubet. Quod ſi nunc his vtendum ſit, plantas cum ſaccharo ita ſeruatas cum aliqua aquae deſtillatae eiusdem plantae portione miſcendas inque vſum ducendas eſſe, ſuadet. p. 266.

6. *De monſtro Cyclopis.* Auctore Cl. DE LA RVE. Hic notamus puellam horis aliquot poſt partum elapſis periiſſe et organo olfactus plane deſtitutam vnum tantum oculum, duplici bulbo quatuorue palpebris iuſtructum habuiſſe. p. 278.

7. *Obſeruatio de vulnere, infimum ventrem penetrante, et ſymptomatibus extraordinariis ſtipato.* Au- p. 282.

 ctore

ctore Cl. MOVBLET. Miles inſtrumento acuto, *Bayonette* dicto, vulnus accipit pauloque poſt animi deliquiis, conuulſionibus, ſingultu, vomitu aliisque, multis cruciatur. Symptomatibus ingraveſcentibus, abdomine intumeſcente remediisque fruſtra adhibitis periit. Cadauere aperto alteram peritonaei laminam laeſam arteriamque hypogaſtricam diſciſſam repererunt, et ſanguine intra peritonaei duplicaturam collecto abdomen diſtentum, omnia viſcera infimi ventris male hinc affecta et varia illa ſymptomata eo deducenda eſſe iudicarunt.

p. 295. 8. *Obſeruationes de morbo epidemico anno* 1757. *Tolone, Toulon, regnante.* Auctore Cl. LA BERTHONIE. Morbus hic ob nonnulla ſymptomata partim febri putridae, partim pleuro - peripneumoniae, ſimilis neque tamen ad hanc, neque ad illam pertinens, febris, vt Noſter vocat, humoralis inflammatoria fuit. Incepit iſte morbus cum tuſſi moleſta, febre continua nec non frigore et calore ſe inuicem excipientibus, quibuscum pectoris oppreſſio aut lateris dolor cum ſputo ſanguinolento iuncta fuit. Cauſam huius morbi in tempeſtatum varietate Noſter quaeſiuit. Hyemem enim ad Ianuarium vſque pluuioſam excepit ſiccus aer atque ſerenus ad Aprilem vsque durans, poſtea autem vltra duos menſes mox calor mox frigus ſe exceperunt inſimulque boreas, interdum vehemens, ſpirauit. Venaeſectio in principio morbi adminiſtrata poſtmodum autem vomitoria inſignem attulerunt opem.

9. Summa obſeruationum, remediorum et libro-
p. 307. rum. Deprehenditur hic,

Obſeruatio de bonis aquae picis liquidae effectibus in vlceribus et fiſtulis. Auctoribus Cl. LEBEAV, *fratribus.* Pici ex Norwegia allatae, ex inſciſſa abiete collectae, reliquis antepoſitae inque fruſta diſſectae aqua ſuperfunditur, per viginti quatuor horas relinquitur et in vſum poſthac ducitur. Sequitur

Index

Index *librorum nouorum.*

10. *Obſeruationes meteorologicae menſe Auguſto* 1757 annotatae. p. 312.

11. *Morbi, eodem menſe Pariſiis regnantes,* fuerunt cholera et febres putridae, verminoſae, interdum eruptione miliari ſtipatae. p. 316.

12. *Obſeruationes meteorologicae, In ſulae, menſe Iunio* annotate. Auctore Cl. BOVCHER. p. 317.

13. *Morbi epidemici ibidem, eodem menſe,* obſeruati, fuerunt morbilli, variolae redeuntes, colica et ſanguinis exſpuitio cum febre. p. 319.

In *menſe Nouembri* 1757 occurrit,

1. *Continuatio deſcriptionis Anginae* gangraenoſae. p. 321.
Auctore Cl. HVXHAM. Sequitur nunc morbis, ſupra deſcriptis, medendi methodus. In initio morbi ſtatim clyſmata adhibuit Noſter, ſique euacuatione aluina opus, rhabarbarum toſtum cum infuſo ſcordii aut decocto albo exhibuit. Si diarrhoea notabilis, decocto FRACASTORII FVLLERI vſus eſt. In nauſea et vomitu emetica leniſſima propinauit. Poſtea potum ex ſale abſinthii aut ſale volatili cornu cerui et ſucco limonum vna cum puluere contrayeruae, myrrhae et croco in parua doſi dedit. In febre paulo intenſiori bolum ex dictis remediis paratum cumque nitro iunctum inſimulque camphorae granum vnum aut alterum cum ſucceſſu exhibuit. Secundo aut tertio die elapſo tincturam corticis peruuiani, in parua doſi exhibitam; magis profuiſſe quam corticem in ſubſtantia Noſter expertus eſt. Ad excitandum ſudorem lenem, quem ſalutarem deprehendit, diaphoretica leniora vſurpauit, et vbi ſudores foetidi fuerunt, ibi elixir vitrioli cum tinctura corticis peruuiani dedit. Pro gargariſatione decocto ex ficubus, roſis rubris; myrrha et melle cum potu, Cidre, dicto cumque mucilagine ſeminum cydoniorum, ſyrupo mororum

 et

et tinctura myrrhae aut ſpiritu vitrioli compoſito vſus eſt. Infuſi ex floribus roſarum rubrarum et chamomillae, myrrha, camphora et aceto parati vaporem hauriri iuſſit. Intumeſcentiae colli et glandularum parotidum cataplaſma acre et epiſpaſticum vel interdum veſicatorium pone aures, inque obſtructione alui et ſuppreſſione vrinae fomenta emollientia nec non clyſmata ex lacte, ſale et ſaccharo parata applicuit. Tenſio et conſtipatio ventris ad ſextum vſque morbi diem ſaepe durans purgante ex rhabarbaro, manna et lenitiuo exhibito, ceſſauit. Sub finem tandem morbi purgantia leniora, inprimis ex mercurio dulci parata, optime profuerunt et glandulas obſtructas reſerarunt inſimulque vermes, in hoc morbo obſeruatos, expulerunt.

p. 330. 2. *Obſeruatio de noxiis effectibus fructuum ſtramonii interne ſumtorum.* Auctore Cl. DVGVID. Haec poma fructus ſunt plantae, quae ſtramonium fructu ſpinoſo rotundo ſemine nigricante TOVRNEF. dicitur. Iſta, poma, a quodam prae fructibus bardanae, ad calculum pellendum laudatis, collecta in aqua decoxit, hancque bibit. Paulo poſt vertigo, ſenſuum perturbatio, membrorum paralyſis et deliria acceſſerunt, quibus cunctis, totum diem durantibus et verſus veſperam ceſſantibus, ſponte ad ſe rediit aegrotans et conualuit.

p. 333. 3. *Epitome relationis de effectu ſingulari tincturae florum papaueris rubri in inteſtinis hominis cuiusdam ſubito mortui obſeruato; vna cum meditationibus de cauſa huius morbi; cuncta experientia et diſquiſitionibus anatomicis, ad rem pertinentibus, probata.* Auctore Cl. NAVIER. Homo quidam poſt aſſumtum lene purgans, horis aliquot elapſis, ſubito moritur. Corpore diſquiſito in inteſtinis hinc inde maculas rubras liueſcentes reperiunt. Has gangraenoſas non fuiſſe, ſed a ſyrupo papaueris rubri proueniſſe, Cl. Auctor, experimenta hunc in finem inſtituens, perhi-

perhibet, mortis autem cauſam in materie ab vlceribus pedum manantibus, quibus aegrotans diu ante laborauerat, prouueniente et caput petente quaerit.

4. *Refutatio litterarum, quibus Viri* Cll. ELLER p. 340. *et* FORMEY *vaſorum cupreorum tutum in culinis et pharmaciis vſum probant.* Auctore Cl. AMI. Primum argumentum ex ſacris litteris Cl. FORMEY deſumit, quippe in quibus vaſa cuprea ad decoquenda alimenta adhibita eſſe, autumat. Ad hoc reſpondet Noſter, vaſa ibi vſitata argentea vel aurea vel terrea vel demum, ſi etiam cuprea adhibita fuerint, quavis vice ea lota et depurata fuiſſe. Alterum argumentum Cl. FORMEY eſt: medicos nunquam aliquid nociui ope artis chemicae in cupro reperiiſſe, potius remedia ex eo paraſſe. Ad hoc Noſter reſpondens, venenum ope chemiae in remedium quoque conuerti poſſe, ait. Saporem porro rerumque in cupreo vaſe decoctarum colorem nunquam alterari, Cl. FORMEY, aſſerit. Noſter hic ad experientiam prouocat et candelabrum v. g. cupreum, in manu per aliquot tempus detentum, huic malum odorem et ſaporem communicare dicit. Cuprum poſtea nec a ſaliua nec ab vllo alio corporis noſtri liquore ſolui poſſe, Cl. FORMEY, autumat. Experientia iterum Noſter edoctus, puluerem cupri tenuiſſimum, inter tractandum in officina opificum volitantem hos phthyſicos reddere et ad alios morbos chronicos diſponere, imo a ſudore cuprum ſolui, acus in induſiis virides factas oſtendere, contendit. Tandem ad perfecta metalla cuprum referens Cl. FORMEY iſtud hanc ob rem non niſi ab acidis ſolutum inque cryſtallos ſalinas reductam cum liquoribus corporis tum demum miſceri, putat.

Experimenta, quae Cl. ELLER inſtituit, oſtendunt, aquam cum ſale communi, aut acetum vel

vinum

vinum album in cupreo vaſe decocta aliquas huius metalli partes ſoluere, cum carne autem decocta non in cuprum vltra ſed in hanc agere aſſerit. Prius ſententiae Cl. FORMEY, cuprum non niſi in acidis mineralibus ſolui aſſerentis, contrariari, poſterius autem experimentum veritati vix conſentaneum eſſe, ſed carnes, cum aceto in cupreo vaſe decoctas, ſaporem ſaepe ingratum contrahere, Noſter arbitratur.

p. 354. 5. *Analyſis aquae putei ſcholae regiae militaris.* Auctore Cl. MARTIN. Experimenta cum hac aqua ſuſcepta, in duabus libris grana vndecim et $\frac{1}{3}$ terrae ſeleniticae, grana quatuor et $\frac{4}{5}$ nitri, grana tria ſalis marini atque ſeptem grana et $\frac{7}{10}$ terrae non ſolubilis contineri, oſtendunt.

p. 359. 6. *Obſeruatio ſingularis de pulmone.* Auctore Cl. DEIDIER. In cadauere nimirum pulmo ingentis magnitudinis, pure plenus et parum ſubſtantiae naturalis poſſidens repertus fuit.

p. 360. 7. *Obſeruatio de infante cum inteſtino recto, membrana penitus clauſo, nato.* Auctore Cl. BONAFOS. *filio.* Haec membrana exterius non conſpicienda digito in anum immiſſo deprehenſa fuit. Operatione cultello ſuſcepta infans hora elapſa periit.

p. 364. 8. *Obſeruatio de tumore brachii notabili cum inflammatione et gangraena.* Auctore Cl. KRAVSE.

p. 370. 9. *Obſeruatio de fractura cranii, quam ſingulares circumſtantiae ſecutae ſunt.* Auctore Cl. SALEONE.

p, 372. 10. *Deſcriptio febris putridae verminoſae epidemicae, Hamerti in Picardia menſe Iulio, Auguſto et Septembri 1756 obſeruatae.* Auctore Cl. DE BERGE. Febris haec ſub initium exigua, paulo poſt fortior cum inſigni capitis dolore, appetitu proſtrato, nauſea et vomitu inuaſit. Die quinto interdum diarrhoea ſuperuenit. Pulſus in aliis fortior in aliis debilior linguaque viſcida et alba fuit, ſanguis autem reſolutus apparuit. Omnes aegri vermes tam per aluum

aluum, quam per vomitum eiecerunt. Vrina naturali fere ſimilis poſt quinque aut ſex horas aſſervata odorem fortem alcalinum de ſe ſparſit. Infantes et iuuenes difficilius decubuerunt, pauci tamen obierunt. Emetica antimonialia, primis diebus exhibita, poſtea potus acidi et nitroſi, ſerum lactis aceto paratum, aqua citri, tamarindi et clyſmata medicinam primariam dederunt.

11. *Summa obſeruationum, remediorum et librorum.* p. 379. Occurrit hic,

Deſcriptio morbi ſingularis glandularum endemici Coloneſi. Auctore Cl. ROCHARD. Hic morbus cum tumore oedematoſo vel lymphatico glandularum colli, maxillarium, parotidum, cutanearum aliarumque adiacentium incipit et vt plurimum ad maxillae angulum primo loco ſe manifeſtat. Tumor mollis, indolens et magnus absque febre ſed cum nauſea et proſtratione oritur. Diebus dein aliquot elapſis facta metaſtaſi, tumor ad ſcrotum deſcendit et teſticulos aggreditur, ita tamen, vt teſticulus lateris maxillae affectae intumeſcat, vel maxilla vtrinque affecta, vterque etiam teſticulus tumidus fiat. Hoc mali genus, omni fere tempore, hyeme tamen et autumno inprimis regnans, milites gregarios, praeſertim excubias agentes, infeſtat, alios intactos relinquit. Cauſam huius morbi in continua laci iſtius humiditate quaerendam eſſe, Noſter autumans, vomitoriis, topicis reſoluentibus, ptiſanis nitroſis et diaphoreticis lenioribus vſurpatis metaſtaſin ad teſticulos impediuit.

Obſeruatio de foemina per os menſtruata, cuius cadauere aperto in veſicula fellea 207 *lapides reperti fuerunt.* Auctore Cl. HENRY. Foemina nunquam menſtruum fluxum experta ſtato fere tempore ſanguinem ſpumoſum per plures annos euomuit, et hydropica demum periit. Cadauere aperto lienem magnum, glandulas meſenterii p. 384.

obſtru-

obſtructas, hepatis ſubſtantiam ad minimum attactum diffluentem inque eius veſicula memoratos calculos repererunt.

p. 388. *Remedium contra arthritidem et rheumatiſmos.* Hoc ex radicibus ariſtolochiae rotundae et gentianae nec non foliis chamaedrios et centaurii ſiccatis et puluериſatis paratum perque duos annos vſurpatum dictis morbis mederi dicitur.

p. 389. *Remedium contra aſthma* ex foliis ſennae floribus ſulphuris, zingibere et croco puluериſatis cumque melle mixtis paratur.

Remedium contra febrem intermittentem, ex puluere corticis peruuiani et cochenillae ſuperfuſa aqua vitae paratur.

Index *librorum nouorum.*

p. 391. 12. *Obſeruationes meteorologicae menſe Septembri* 1757 *annotatae.*

p. 394. 13. *Morbi, eodem menſe Pariſiis regnantes*, fuerunt febres putridae, dyſenteriae, interdum cholerae, variolae et ſingularis indolis febris, qua laborantes certis interuallis ridendo delirarunt.

p. 396. 14. *Obſeruationes meteorologicae Inſulae menſe Auguſto annotatae* a Cl. BOVCHER.

p. 397. 15. *Morbi, ibidem eodem menſe regnantes*, fuerunt in aliis putridae in aliis inflammatoriae, dein colicae bilioſae fluxusque alui copioſiores. Praeterea morbillos et febres ſcarlatinas, praecedenti menſe regnantes, etiamnum obſeruarunt.

In *menſe Decembri* 1757 deprehenditur.

p. 401. 1. *Deſcriptio morborum frequentiorum, quibus incolae inſulae Bourbon obnoxii ſunt.* Auctore Cl. COVZIER. Dyſenteriae nimirum, pleuritides et inprimis ſpaſmi vel leuiſſimis vulneribus ſuperuenientes, ita, vt niſi promte ſuccurratur, totum corpus conuellatur et aegrotans ſuccumbat, ibi obſeruantur. In vniuerſum morbi neruoſi, vt epilepſiae, malum hypo-

hypochondriacum et hyſtericum incolas frequentius inuadunt et raro medelam admittunt. Praeter hos morbos in foeminis atque iis tantum, quae pepererunt, fluor albus, in aliis tam maſculis quam foeminis aſthma, phthyſis, typum morbi acuti ſeruans, inque viris ſolis hepatis obſtructio in omnibus autem ſexus vtriusque foediſſima lepra, vix vnquam curanda ſaepe conſpiciuntur.

2. *Obſeruatio quam de effectibus pernicioſis pomorum Mancanillae et virtute ſalutari foliorum Ricinoidis* (*Medicinier*) Cl. SENAC communicauit cum Cl. PEYSSONEL. Dictis nimirum pomis a quodam deglutitis venter inſigniter intumuit, calor in inteſtinis ardens, corporis vniuerſi tumor, ſudores frigidi, debilitates et continua deliquia acceſſerunt. His deprehenſis folia arboris, quae Ricinoides americana arbor, folio multifido TOVRNEF. dicitur, cum aqua tepida infuſa et vſurpata ſunt. Decocto hoc aſſumto vomitus et diarrhoea acceſſerunt atque aeger vita ſeruatus eſt. p. 411.

3. *Obſeruationem de hydrophobia per reſpirationem communicatam Editori huius diarii* exhibuit Cl. RAZOVX. Canis nimirum rabidus hominem inuaſit, ita tamen vt hic ne minimo quidem morſu laederetur, ſpiritum tantum ex ore animalis rabidi pulmone adduceret. Hydrophobus inde poſt aliquot tempus factus periit. p. 413.

4. *Examen aquarum mineralium Verberianarum.* Auctore Cl. MACHY. Experimenta, cum his aquis ſuſcepta, oſtendunt, eas admodum leues eſſe et valde paruam portionem ferri exiguamque terrae calcariae, conchis calcinatis ſimilis, continere. In morbis renum febribusque inueteratis laudantur. p. 422.

5. *Varietates anatomicae a* Cl. MOREL. obſeruatae. In variis nimirum cadaueribus nonnullas varietates in oſſibus et arteriis animaduertit. p. 432.

6. *Lit-*

p.442. *6. Litterae, quas de curatione cancri mammarum* ad Cl. FREKE dedit Cl. NORFORD. Variis auxiliis imo ipſa extirpatione fruſtra vſurpatis vnguentum tandem ex cataputia, paratum adhibuit et aegram a malo hoc feliciter liberauit. Vnguentum ita paratur: Succus cataputiae expreſſus in vaſe plumbeo ſoli exponitur, vſque dum conſiſtentiam vnguenti acquiſiuerit. Succus ita condenſatus cum mercurii dulcis praecipitati et plumbi nigri ana ſcrupulo vno miſcetur et ad vſum reconditur. Mercurius dulcis praecipitatus obtinetur, ſi vncia ſemis mercurii dulcis cum libra vna aquae calcis viuae miſcetur et per duos dies in quiete ſeruatur. Quo facto mercurius in puluerem nigrum praecipitatur, qui ope filtri ab aqua ſeparatus ſiccatur.

p.446. 7. *Obſeruatio de acu per vmbilicum egreſſa.* Auctore Cl. SALGVES.

p.448. 8. *Obſeruatio de vlcere ſinuoſo dorſi, quod pectus penetrauit.* Auctore Cl. VERMONT.

p.452. 9. *Deſcriptio epidemiae, quae ante aliquot annos Wratislauiae regnauit.* Auctore Cl. DE HAHN. *

p.463. 10. *Summa obſeruationum remediorum et librorum.* Occurrit hic,

Obſeruatio de effectibus corticis peruuiani in gangraena.

p.465. Index *librorum nouorum.*

p.466. 11. *Obſeruationes meteorologicae menſe Octobri* 1757. annotatae.

p.469. 12. *Morbi, eodem menſe Pariſiis regnantes* fuerunt dyſenteriae et cholerae, praecedenti menſe obſeruatae, hoc autem ſenſim euaneſcentes. Febres vero putridae ingraueſcentes nec non variolae frequentiores, hinc inde confluentes, apparuerunt.

p.470. 13. *Obſeruationes meteorologicae, Inſulae, menſe Septembri* annotatae a Cl. BOVCHER.

14. *Morbi,*

* vid. Commentar. noſtr. Vol. IV. P. IV. p. 693.

14. *Morbi, qui ibidem eodem menſe regnarunt.* p. 13.
Febris remittens, praecedenti menſe annotata, hoc lenior fuit, et praeter hanc, alia pectoris inflammatoria pleuro peripneumoniae ſimilis, febres intermittentes et variolae obſeruatae ſunt.

Tranſeamus ad Tomum octauum. Cum vero hunc ita mutatum deprehendamus, vt plura hinc inde occurrant, quae, vel a nobis alio tempore recenſita ſint, vel ſcopo noſtro vix ſatisfaciant, nos proinde in recenſendis iis, quae ibi continentur, breuiores eſſe cogimur.

In menſe *Ianuario* 1758 continetur

4. *Obſeruatio de morbo ſingulari* Auctore Cl. p. 38.
PETIT. Tubercula nimirum notabilis magnitudinis in toto corpore, inprimis in facie et circa genitalia foeminae cuiusdam eruperunt, quae decocto ex radicibus demulcentibus et lacte pro victu quotidiano diu vſurpato et vnguento mercuriali cum camphora externe inuncto absque ſaliuatione ceſſarunt.

5. *Obſeruatio, cum* Cl. VANDERMONDE, *Editore* p. 43.
huius diarii, de conuulſionibus periodicis, cortice peruuiano curatis, communicata a Cl. BORNAINVILLE. Miles poſt aſſumtum vomitorium inſignibus conuulſionibus cruciatur, quae remanentes omnique die vehementer recurrentes electuario FVLLERI, ex cortice peruuiano, ſerpentaria virginiana et ſyrupo poeoniae parato largiusque vſurpato tandem ceſſarunt.

6. *Obſeruatio de variolis, quae infantem quendam,* p. 49.
nullo temporis ſpatio interiecto, bis inuaſerunt Auctore Cl. MACQVART. Variolis nimirum, quibus infans laborauit, vix deſquamatis cuncta denuo ſymptomata, in varioloſo morbo obſeruanda, ſucceſſerunt, pauloque poſt altera vice variolae eru-

perunt, quibus curſum ſuum ſolito more celerius abſoluentibus infans demum liberatus perfecte conualuit.

p. 51. 7. *Hiſtoria inoculationis Pariſiis ſuſceptae a* Cl. HOSTY. Ad excitandas nimirum variolas pus varioloſum foeminae nouemdecim annorum vtrique brachio inſerentes, decem diebus elapſis varioliſque non erumpentibus, altera vice ſed pari euentu operationem inſtituerunt. Mirantes ea propter demum compererunt, foeminam hanc ſexto olim aetatis ſuae anno variolis naturalibus laboraſſe, inde miaſma varioloſum ſemel in corpore euolutum non amplius generari poſſe, concludunt,

p. 59. 8. *Hiſtoria puellae* 14. *annorum, quae nullum ani et partium genitalium veſtigium habuit.* Auctore Cl. BAUX. Notatu ſane dignum hic eſt, puellam omni biduo aut triduo, dolore prius circa vmbilicum orto nauſeaque praegreſſa, veram materiem faeculentam euomuiſſe, per mammas autem ſaepius de die aquam limpidam exiiſſe.

p. 62. 9. *Hiſtoria grauiditatis extraordinariae morte finitae.* Septem nimirum annos foemina grauida fuit, tandem periit. Corpore eius aperto ſceleton foetus in tuba fallopiana repererunt.

p. 64. 10. *Deſcriptio luxationis femoris completae* Auctore Cl. MACKENZIE. Deſcribitur hic operatio, qua femur diſlocatum in priſtinum locum repoſuerunt.

p. 68. 11. *Obſeruatio de ſuperfoetatione* Auctore Cl. GAUDET. Foemina, quae iam 18 infantes ediderat, nunc vna vice peperit infantes, quorum alterum ſex, alterum duos menſes iudicarunt.

p. 79. 14. *Remedium nouum : Elixir pro dentibus* Auctore Cl. DELAITRE. Hoc ex radice pyrethri, ſuperfuſa aqua vitae lauendulae additoque ſale ammoniaco paratur. Laudatur iſtud, vbi in corpore phlegmatico humores, ad gingiuas delati, acres

fiunt

ſiunt et partes neruoſas ibi irritando dolores excitant.

16. *Morbi, qui menſe Nouembri* 1757 *Pariſiis regnarunt* Auctore Cl. VANDERMONDE. Praeter variolas, in dicta vrbe copioſius obſeruatas, ſingularis morbus in monaſterio quodam graſſatus eſt. Aegrotantes nimirum dolore capitis obtuſo, delirio obſcuro, anxietatibus et inſigni virium proſtratione laborarunt. Pulſus praeterea paruus, frigus plus, minus diu durans, foetor oris foetidaeque deiectiones adfuerunt. p. 84.

18. *Morbi, menſe Octobri Inſulae regnantes*, fuerunt variolae, vt plurimum confluentes, febres continuae remittentes, peripneumoniae, anginae et febres intermittentes. p. 91.

20. *Morbi menſe Octobri Trecis regnantes* fuerunt febres continuae et capitis rheuma. p. 93.

In *menſe Februario* 1757 notantur

5. *Haemorrhagiae ab hirudinibus excitatae.* Auctore Cl. PASSERAT DE LA CHAPELLE. Quatuor nimirum milites, tuſſi vexati, ſanguinem reiecerunt. Re accuratius examinata in cuiuslibet cauitate faucium hirudo reperta fuit, qua in binis extracta haemorrhagia ceſſauit. p. 127.

7. *Obſeruatio anatomica de nouo oſſe triquetro cranii* Auctore Cl. A. PETIT. Hoc os, quod Cl. Auctor *la Clef* appellat, quadrangulare eſt et poſterius cum portione ſquamoſa oſſis temporalis, anterius vero cum parte inferiori oſſis frontalis connectitur. p. 136.

9. *Obſeruatio de vermibus ex aure hominis, ob inſignes dolores, in hac parte perceptos, delirantis extractis* Auctore Cl. LEAVTAVD. Quinque nimirum vermes, quorum ſingulus vndecim lineas longus, ſex craſſus fuit, extraxit. Quo facto homo iſte reſipuit. p. 145.

p. 162. 11. *Indiculus morbi epidemici, qui in monaſterio quodam Pariſienſi regnauit* Auctore Cl. VANDERMONDE. Exhibetur hic foeminarum quarundam morbo, ſupra pag. 84 commemorato, laborantium hiſtoria.

p. 188. 15. *Morbi, qui menſe Decembri* 1757 *regnarunt* Auctore Cl. VANDERMONDE. Variolae, praecedenti menſe obſeruatae, etiamnum regnarunt. Praeter has, febres putridas aliasque continuas, rheumatiſmos, arthritides, febres catharrhales frequentius obſeruarunt.

p. 190. 17. *Morbi epidemici, qui menſe Nouembri Inſulae regnarunt*, fuerunt conuulſiones epilepticae, quibus multi ſuccubuerunt, febres praeterea continuae remittentes, peripneumonia, fluxiones pectoris et variolae.

In *menſe Martio* 1758 continetur,

p. 222. 4. *Obſeruatio de morbo nigro* Auctore Cl. BONTE. In quatuor nimirum hominibus, quorum tres ſuccubuerunt, vnus autem ſeruatus fuit, morbum hunc obſeruauit et, praeter alia, faeces alui nigras foetidiſſimasque vidit. Iuuamen in hoc morbo ab acidis fuit.

p. 241. 5. *Obſeruatio de puella chorea S. Viti affecta* Auctore Cl. RVAMPS. Sedem huius morbi primariam in primis viis Cl. Auctor quaerit et exemplo hoc confirmare putat. Euacuantia enim aluina magnam opem tuliſſe perhibet.

p. 268. 11. *Obſeruatio de homine, qui ſe ipſe caſtrauit, absque vllo ſymptomate moleſto ſuperueniente* Auctore Cl. MAISTRAL. Monachus, orgaſmo venereo ſaepe cruciatus, eo ſe liberare ſtudet, quare in exſcindendis animalium teſticulis ſaepe ſe exercuerat, ſatque exercitus ſibi ipſe nouacula ſcrotum aperit et teſticulos vtrinque exſcindit. Sanguine copioſius profluente metuens iſte, ne obiret, anxius ad collegam,

legam, iuxta habitantem, accedit et auxilium implorat. Chirurgis accerſitis vulnereque rite tractato euaſit.

12. *Obſeruatio de ventriculo, per cancroſum vlcus penitus fere deſtructo* Auctore Cl. HENRY. Corpore foeminae, diu aegrotantis tandem mortuae, aperto nihil niſi fundus ventriculi cum pyloro ſuperfuit, et, quod notatu dignum, alimenta deglutita in fundum quidem, non autem in abdominis cauitatem delapſa per pylorum in inteſtina tranſierunt. p. 272.

16. *Morbi, menſe Ianuario Pariſiis* 1758 *regnantes*, fuerunt variolae, praecedenti menſe iam notatae, dein febres putridae, porro ophthalmiae pertinaces, quibus purgationes obfuerunt, tandem fluxiones catarrhoſae, varias partes infeſtantes. p. 284.

18. *Morbi, menſe Decembri Inſulae regnantes*, fuerunt variolae, affectus catarrhales, peripneumoniae verae et febres continuae remittentes ſeu tertianae duplicatae, in nonnullis ceu febres catarrhales et putridae malignae apparentes. p. 287.

In *menſe Aprili* 1758 reperitur.

4. *Obſeruatio de hydrophobia, per aerem communicata* Auctore Cl. LEBEAV. Accidit nimirum, vt quidam eo momento, dum canis rabidi occiſi venter, per putrefactionem tumefactus, rumpebatur, adſtaret peſſimamque mephitim hauriens poſt aliquot dies hydrophobus factus miſere periret. p. 316.

6. *De hydrope vomitu curato* Auctore Cl. PINOT. Vomitu, ſponte oborto, hydropicus omnem aquam in abdomine totoque corpore contentam euomuit et ſenſim ſenſimque demum conualuit. Tribus annis elapſis, per quos ſanus vixit, ſubito et citra manifeſtam cauſam periit. p. 318.

7. *Febris gangraenoſa, cortice peruuiano curata* Auctore Cl. VARNIER. Febre praegreſſa partes p. 323.

viri cuiusdam genitales inflammantur vereque gangraenoſae euadunt. Decocto corticis peruuiani interne et externe diu et copioſe vſurpato, partes mortuae ſeparantur, aegerque ſeruatur.

p. 338. 9. *Litterae, quas de morbillis ad Editorem huius diarii dedit* Cl. GONTARD. Euacuationem aluinam in morbillis ſalutarem iudicans Cl. Auctor perque hanc viam humorem peccantem optime et tuto educi, perſuaſus purgantia et vomitoria propinauit inſimulque vaſorum minimorum, inflammatione obſtructorum rationem habuit, hacque methodo obſeruata plures aegrotantes feliciter reſtituit.

p. 347. 10. *Faſcia proportionata ſeu bracherium inuentum a* Cl. HOVSTET. Faſcia haec ad hernias inguinales et ventrales tantum ſuſtinendas apta hic deſcribitur et figuris illuſtratur.

p. 357. 14. *Hiſtoria morborum epidemicorum et febrium malignarum peſtilentialium, quae anno* 1755 *in Provincia inferiori regnarunt* Auctore Cl. DARLVE. Hos morbos inſignis calor, totam aeſtatem durans, inſolituſque tepor menſe Octobri et Nouembri nec non tempeſtas valde pluuioſa, totum fere Decembrem durans, praeceſſit, poſthac inſigne frigus menſe Ianuario et Februario anni ſubſequentis, tuncque menſe Martio et Aprili pluuioſa iterum tempeſtas obſeruata fuit. Singularem hanc aeris conſtitutionem excepit febris, cuius indolem malignam et peſtilentialem virium proſtratio, pulſus paruitas, ſudores putridi, maculae petechiales et liuidae, parotidum ſuppuratio, abſceſſus purulenti et gangraenoſi, deliria idque genus alia, in plurimis obſeruata, ſatis ſuperque demonſtrarunt. Tinctura corticis peruuiani, ſales alcalini volatiles et ſudorifera interdum, ſed non ſemper medelam dederunt. Conuulſiones, aphonia, tendinum rigiditas, mortem annunciantes, abſceſſus in capite formatos; diarrhoeae vero colliquatiuae, tenſio abdominis et

ſingul-

ſingultus viſcera infimi ventris ſuppurata denotarunt.

17. *Morbos menſe Februario* 1758 *Pariſiis regnantes annotauit* Cl. VANDERMONDE. Variolae praecedenti menſe obſeruatae hoc ſenſim euanuerunt. Praeterea hinc inde pleuritides veras et peripneumonias ſpurias nec non colicas vomitu et diarrhoea ſtipatas obſeruarunt. p. 378.

19. *Morbi epidemici, menſe Ianuarii* 1758 *Inſulae regnantes*, febres tertianae ſimplices et duplicatae, inflammationes infimi ventris, haecque in foeminis magis quam viris conſpicuae, apoplexiae, affectus comatoſi et rheumatiſmi inflammatorii, frequentiores vero coryzae et variolae fuerunt. p. 381.

In *menſe Maio* 1758 notatur.

4. *Deſcriptio febris ictericae Americanae* Auctore Cl. LINING. Haec febris duos aut tres durat dies, absque vlla euacuatione critica terminatur, aegrotos debiles admodum relinquit, valde contagioſa eſt et eos inprimis, qui ſuperficie corporis albicante gaudent, quique in regionibus frigidis nati Americam intrant. Nigra autem corporis ſuperficie praediti nunquam ea corripiuntur, licet alioquin febribus bilioſis maxime obnoxii ſint. p. 408.

6. *Obſeruatio de recidiua febre malignae, cuius cauſa praematura vlceris dorſalis, ab emplaſtro veſicatorio orti, exſiccatio fuit* Auctore Cl. VETILLARD. Ob languorem nimirum humorum, ſtuporem ſolidorum et affectus ſoporoſos veſicatorium dorſo foeminae, febre maligna decumbentis, applicant, quo facto cuncta in meliorem ſtatum mutantur. Aegra huius rei impatiens medentes efflagitat, vt vlcus ad conſolidationem perducerent. Nolentes iſti, vi tamen coacti, vlcus conſolidant, inde non multo poſt febris grauior redit, ita, vt vix euaderet aegrota, debilis diu relicta. p. 437.

p. 443. 7. *Varietates anatomicae a* Cl. BALLAY *iuniore notatae.* Obſeruauit nimirum muſculum, bicipitem alias duplici, hunc triplici capite inſtructum; porro ſingularem ſtatum muſculi palmaris, ita vt, vbi alias tendo conſpicitur, huius loco pars carnoſa et, vbi haec alias eſſe ſolet, tendo reperiretur. In alio cadavere arterias ſpermaticas in vtroque latere ab emulgentibus prouenientes; dein duas venas azygos; porro truncum carotidum deficientem, tunc duas arterias brachiales eo ſtatim in loco ortas, vbi axillaris arteria nomen mutat et brachialis dicitur; in alio cadauere lienem praegrandem, in tres lobos diuiſum; in alio tandem vnum tantum renem, ſolito maiorem inque medio abdomine corporibus vertebrarum lumbarium incumbentem vidit.

p. 453. 9. *Obſeruatio de hernia epiploocele vna cum effuſione notabili in infimum ventrem* Auctore Cl. LOVIS, *Chirurgo Veroduni.* Sacco nimirum herniae incarceratae aperto nec non inteſtino et omento reducto poſtea inſignis puris copia effluxit, cuius originem in muſculis abdominalibus et peritonaeo Noſter ponit.

p. 461. 11. *Experimenta cum ſale ebſhamenſi inſtituta a* Cl. BERTRAND. His probare annititur, ſalem hunc ex acido vitriolico et alcali ſalis marini conſtare, quod vero in nota, a Cl. VANDERMONDE adiecta negatur, quippe qui non alcali, ſed terram quandam pro baſi agnoſcit.

p. 464. 12. *Deſcriptio morborum epidemicorum, qui menſe Decembri* 1757 *et Ianuario* 1758 in loco Bitche dicto regnarunt. Auctore Cl. LANDEVTTE. Ob tranſpirationem a frigore inſigni ſuppreſſam hydrops in nonnullis obſeruatus fuit, qui vero ab aliis hydropis ſpeciebus in eo diuerſus fuit, vt non rebellis perſiſteretur.

13. *Lit-*

13. *Litterae, ad Editorem huius diarii a* Cl. HOVSTET datae, ad bracherium iſtud, ſuperius nominatum, ſpectant. p. 471.

16. *Morbos, Pariſiis menſe Martio* 1758 *regnantes*, annotauit Cl. VANDERMONDE. Variolis nimirum et morbillis nec non febribus continuis bilioſis decubuerunt aegri. p. 476.

18. *Morbi epidemici menſe Februario* 1758 *Inſulae regnantes*, fuerunt variolae in multis confluentes, pleuro peripneumoniae, fluxiones catarrhoſae et febres continuae nec non remittentes. p. 478.

In *menſe Iunio* 1758 deprehenditur

3. *Obſeruatio de diſpoſitione ad gangraenam, frigore contracta, et ope balnei, ex niue et glacie parati, diſſipata* Auctore Cl. LE NICOLAIS DV SAVLSAY. Pedes nimirum cuiusdam, gelu rigidi, fereque gangraenoſi in aqua gelida cum niue et glacie mixta per aliquot tempus detenti priſtinum ſtatum recuperarunt. p. 507.

4. *Obſeruatio de ſpecie quadam morbi nigri, quem ſitis inſignis, duos fere annos durans, praeceſſit et comitata eſt* Auctore Cl. MERLIN. Hic morbus, qui deiectionibus nigris, craſſis, tenacibus foetidiſſimisque cognoſcitur, victu et remediis aceſcentibus inſimulque humores fundentibus curatur. p. 517.

5. *Obſeruatio de fame praeternaturali* Auctore Cl. SONYER DV LAC. Notamus hic, hominem quendam bis in anno tempore aequinoctiali fame inſigni vexatum fuiſſe. p. 529.

6. *Obſeruatio de hydrope pectoris, phaenomenis peculiaribus ſtipato* Auctore Cl. BOVCHER. Hominis viginti annorum, qui iſto morbo periit, corpore aperto thymum duos pollices craſſum et quatuor longum ſcirrhoſum, aortam aſcendentem inde compreſſam, pulmonis lobum dextrum obſtructum et adhaerentem, ſuperius ſcirrhoſum, inferius puru- p. 533.

 lentum,

lentum, glandulas bronchiales inflatas et partim ſteatomatoſas, lobum ſiniſtrum pulmonis coeruleſcentem et flaccidum, vtramque pectoris et pericardii etiam cauitatem, aqua plenam, cor flaccidum eiusque ventriculos et auriculas vacuas repererunt.

p. 546. 8. *Obſeruatio de amputatione, ſingularibus phaenomenis ſtipata* Auctore Cl. DE VILLIERS. Notandum hic eſt, amputatione brachii, ſphacelo correpti, aegrotantis culpa procraſtinata, ſphacelum quidem ſubſtitiſſe, brachium autem ita mutatum fuiſſe, vt non ſolum innumeri vermes vndique iſtud perreperent, ſed et peſſima mephitis adſtantes et aegrotantem afflaret. Brachio tunc demum amputato poſt aliquot ſeptimanas conualuit.

p. 557. 11. *Litterae, quas de angina gangraenoſa epidemica ad Editorem huius diarii dedit* Cl. BOVCHER. Hic ſaltem notamus, malum iſtud ſaccharo, ſaturni in aqua plantaginis ſoluto, ope penicilli glandulis applicato, non ſolum in progreſſu impeditum, ſed et vlcera ſenſim ſenſimque ita imminuta fuiſſe, vt octo diebus elapſis penitus euaneſcerent.

p. 564. 14. *Morbos menſe Aprili* 1758 *Pariſiis regnantes* enumerat Cl. VANDERMONDE. Febres nimirum biliofas, quibus emetica et diluentia optima medicina fuit; dein peripneumonias et pleuritides inflammatorias; porro apoplexias ſanguineas et affectiones conuulſiuas et comatoſas, tandem ophthalmias pertinaces, non niſi veſicatoriis obedientes obſeruarunt.

p. 567. 16. *Morbi epidemici, menſe Martio* 1758. *Inſulae regnantes* fuerunt eruptiones cutaneae, interdum eryſipelatoſae, dein febres catharrhales, typum febris tertianae duplicatae putridae ſeruantes, porro pleuro peripneumoniae, colicae ſpaſmodicae et inflammatoriae nec non febres intermittentes tertianae ſimplices et duplicatae. Variolae vero hoc menſe mitiores apparuerunt.

VIII.

VIII.

Vſus opii ſalubris et noxius in morborum medela, ſolidis et certis principiis ſuperſtructus, a D. BALTHASARE LVDOVICO TRALLES, Medico Vratisl. atque Academ. Caeſar. Nat. Cur. Adiuncto. Sectio ſecunda. Vratislauiae. Sumptibus Caroli Godofredi Meyeri 1759. 4. Alph. 2.

Cum in prima huius tractatus ſectione, cuius ſummam alio tempore exhibuimus *, ea inprimis, quae ſcitu neceſſaria ſunt et rectam, generoſo iſto remedio vtendi, viam pandunt, pertractentur, altera nunc ſectione Noſter, vt perfectum omnibusque numeris abſolutum de opio habeatur opus, ſingula morborum genera conſiderat inſimulque vtilitates et noxas in quauis morbi ſpecie recenſens verum, eo medicamine vtendi, modum exponit. Triplex itaque hac ſectione morborum genus, tribus capitibus diſtinctum, haemorrhagias nempe, febres dein, et dolores demum commemorat atque oſtendit, quomodo in his eorumque ſpeciebus, vel ſalubris, vel noxius opii vſus haberi debeat. Reliquos morbos tertia pertractabit ſectio, cuius videndi copiam proxime Cl. Auctor dabit.

In compeſcendis haemorrhagiis, ab interna cauſa natis, ad opium confugiendum eſſe, ſummi et exercitatiſſimi in arte viri atque ii etiam, qui, vt STAHLIVS, opio caeteroquin adeo infenſi ſunt, praecipiunt atque contendunt. Verum, ante quam illorum ſententiis plenam adhibeamus fidem, videndum primo, quosnam praeſtet opium effectus, quaenam ſint haemor- P. I.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. III. p. 411.

haemorrhagiarum cauſae quaeque demum earum habeantur indicationes. Quaeuis haemorrhagia, quoad ſolidorum vitia, vel in anaſtomoſi, vel diapedeſi, vel diabroſi conſiſtit, cuius vitii cauſa ſanguis nimius, rarefactus, diſſolutus et acris adducitur. Num igitur haſce cauſas euertere opium poteſt? Multi quidem opio acrimoniam humorum corrigi et incraſſari, et ob ſpiritus, ab opio coercitos impetusque pacatos, ſanguinis inde fluxum ceſſare putant. Cum autem ad compeſcendam haemorrhagiam requiratur, vt circulus auctus minuatur, aeſtuans ſanguis ſiſtatur idemque condenſetur, opium vero, vt Cl. Auctor ſatis iam probauit, nec ſanguinem cogat, ſed potius reſoluat, nec plenitudinem minuat et reuellat, nec acrimoniam ſanguinis corrigat, nec ſpiritus in vniuerſum ſiſtat, nec circulum intenſum moderetur, nec demum obſtructiones tollat, facile quiuis perſpiciet, cur opium ad compeſcendas haemorrhagias minus aptum cenſeatur. Dantur tamen caſus, vbi opium haemorrhagiarum ſanationi non obeſt: ſi enim ſpaſmi ſopiendi et irritamentum in parte affecta haerens leniendum eſt, opium ad haemorrhagias vtile omnino aeſtimatur, ſubque his conditionibus ſolis, neque aliter vnquam, iſtud haemorrhagiam tollit.

p. 15. Haec de opio ad compeſcendas haemorrhagias in genere praefatus Noſter, eaſdem nunc in ſpecie conſiderat et primo quidem in haemorrhagia narium, cum nec ſpaſmus in locis remotis nec irritamentum in loco affecto deprehendatur, opium ideo prorſus non conuenire, aſſerit.

p. 20. In haemoptyſi opium non niſi eo in caſu, vbi tuſſis vrget, exhibendum eſt. Sed ſumma hic cautione opus. Primo enim tentandum eſt, an tuſſis diaeta parca, tenui, blandiſſima ac demulcente, praecipue lactea, gelatinoſis porro quibusuis et lenientibus, emulſionibus idque genus aliis compeſci

peſci poſſit, ſin minus ad opium demum fugiendum eſt, ita tamen, vt, quantum fieri poſſit, minori iſtud exhibeatur copia. Licet autem hocce remedio ſanguis reſoluatur humorumue circulus intendatur ideoque haemoptoes cauſa augeri videatur, hocce tamen in caſu, vbi tuſſis vrgens pulmones fatigat et ſanguinem exprimit, opium, tuſſim ſedando plus proderit, quam noxam inferet, inprimis ſi venaeſectio et nitrum ſimul in vſum vocantur. Pulmonibus enim quietem conciliare optimam haemoptoes medelam eſſe, quis eſt, qui dubitat?

In vomitus cruenti paroxyſmo, cum impetus ſanguinis in arterias ventriculi minui, cauſae rodentes ſanguinisque affluxum allicientes obtundi, eiusdemque in cauum effuſi corruptela praecaueri et excluſio demum maturari debeat, opium, huic ſcopo minus ſatisfaciens, vix tuto exhibetur. Quodſi vero ſummus motuum impetus inſimul vrgeat, opium, remediis demulcentibus neutiquam omiſſis, proficuum tunc demum cenſetur. p. 28.

In mictu cruento, cum iſte vel a plethora, vel a circulatione per febrem et exercitia valida aucta, vel a calculo, vel a diureticis acribus ingeſtis aut et externe applicatis, vel ab acrimonia ſubtili, ſanguini inhaerente, vt varioloſa etc. vel a renum abſceſſu, vel demum violentiis externis e. g. contuſione, cauſis, vaſa vel dilatantibus vel continuitatem eorum ſoluentibus oriatur, opium ea propter conuenire nequit; prodeſt tamen, vbi ob corpora peregrina, in veſica vel vreteribus haerentia, ſpaſmi furunt ſanguinemque magis alliciunt, quo in caſu opium ad componendum irritationis ſenſum, adhibitis inſimul epithematibus clyſmatibusue emollientibus idoneum omnino videtur. p. 32.

Fluxum haemorrhoidum nimium ſi ſpectes, opium ſane minus conuenire iudicabis. Eae enim vel ab accelerato ſanguinis circulo et orgaſmo inducto p. 37.

ducto vel ab impedito regreſſu ſanguinis per venas haemorrhoidales et meſaraicas ac venam portarum propter debilitatem vaſorum et viſcerum vel demum ab infarctu et obſtructione viſcerum ortae opio non ſolum non compeſcuntur, ſed et adeo augentur. Niſi itaque dolor inſignis, nulla alia ratione leniendus, ſanguinis effluxum per recti arterias concitans et ſuſtentans opiata poſtulauerit, ab iſtis abſtinere alias conſultum ſemper erit.

p. 41. In haemorrhagia vteri, reſpectu ad abortum, molam, nimiaque lochia non habito, de quibus ſeorſim aget Cl. Auctor, in eiusmodi inquam haemorrhagia, quae a plethora commota, orgaſmo, generis neruoſi ſenſibilitate et mobilitate vaſorumque vteri laxa debilitate dependet, opium perperam exhiberi, oſtendit. Quando vero ob ſenſibilitatem et irritabilitatem ſummam dolores et ſpaſmi oborti ſanguinem advterum impetuoſius determinant aut, quando in ipſo vtero ſtimulus quidam vel irritamentum aliquod, ſanguinem alliciens effluxumque eius promouens, haeret, opium tunc vtile aeſtimatur. In haemorrhagiis vteri ſymptomaticis, id eſt, quae a ſola debilitate poſt alios morbos dependent, opium, niſi morbi illi antea curentur, nihil ad curationem confert; inque iis porro, quae termino menſium circa quinquageſimum annum accedente mulieres grauiter afficiunt, opium, niſi dolorificae tenſiones hyſtericae adſint, prorſus non indicatur; inque iis tandem, quae poſt diuturnam iam menſtruorum ceſſationem in corpore effoeto praeter expectationem eueniunt et moleſtiſſimos ſpaſmos doloresque exquiſitos interdum coniunctos habent, opium nullum iuuamen adfert.

p. 57. Capite ſecundo vſus opii ſalubris vel et noxius in febribus exponitur, inter quas primo loco intermittentes commemorantur. Ad has curandas a

multis

multis quidem commendatur opium, cum vero quolibet tempore hocce remedio caute vtendum ſit, neceſſarium eſt, vt conſideretur, quo tempore in vſum veniat. Noxium iſtud in paroxyſmo aeſtimatur. Ob ſtimulantem enim, acrem, aromaticam atque cardiacam virtutem opium, ſi inſtante frigore febrili exhiberetur, circulum ſanguinis iam velocem non ſolum velociorem redderet, hincque febrim augeret, verum etiam, cum fluida, vaſis interim frigore conſtrictis, expandat, anxietates inde et omnia mala, a congeſto in interioribus ſanguine prouenientia, augeret. Imo vero ob actionem, diu protractam, calorem vltra continuando intermittentes ſaepe in acutas periculoſas mutare valet. Verum ante paroxyſmum ſi exhibeatur p. 64.
opium, vix adeo tantis noxis coniunctum eſſe videtur, licet ſumma etiam in exhibendo eo opus ſit cautione. Cum enim febres intermittentes ſudore duas aut tres horas ante paroxyſmum moto ſaepe curentur hicque ſcopus diaphoreticis attenuantibus reſoluentibus obtineatur, mirum ſane non eſt, cur opium, cum diaphoreticum et reſoluens ſit, febres intermittentes profligare valeat. At vero praeſtat ſane, opium in ea duntaxat copia praeſcribere, quae non ſomnum inducat, ſed ſpirituum turbas pacare tantum poſſit. Neceſſe etiam eſt, vt opium non niſi attenuantibus, reſoluentibus euacuantibusque diu ante vſurpatis, exhibeatur, nec vnquam niſi materies praeparata ſudore moueri poſſit. Num vero febres omni tempore opio certo profligari poſſint, experientia non probatur, quippe qua potius oſtenditur, opio etiam vſurpato febres rebelles perſtitiſſe, quas tamen optime curauit cortex peruuianus. Cum vero et hicce in nonnullis ob peculiarem cor- p. 70.
porum conſtitutionem aluum haud ſecus ac catharticum fortius moueat, ideoque fruſtra eius virtus roborans expectanda foret, optimo igitur cum

ſucceſſu

ſucceſſu huic interdum iungitur illud, quo fit, vt diarrhoea a cortice eueniens infringatur, isque ita munere ſuo fungi demum queat.

p. 73. His de effectu opii in intermittentibus febribus expoſitis, ad vſum opii in febribus continuis progreditur Noſter, vbi diſquirit, num opium, a quibusdam ad febres has commendatum, cum fructu et absque vlla noxa tuto exhiberi poſſit. Ad explicandam itaque hancce rem praemittitur febrium iſtarum theoria earundemque vera et genuina medendi methodus. Quo facto Cl. Auctor probare ſtudet, opium in febribus acutis atque inflammatoriis non ſolum minus ſecurum et anceps, ſed noxium ſemper, imo interdum nocentiſſimum deprehendi. Vt noxae iſtae ab opii vſu in dictis febribus metuendae clarius pateſcant, ſequenti ordine rem iſtam demonſtrandam aggreditur.

p. 80. Oſtenditur ſcilicet primo, *opium non quadrare ingenio febris et inflammationis.* Cum nimirum viſcidum obſtruens, motus celeritas atque inde pendens calor et rarefactio humorum cauſam febris et inflammationis conſtituat, opium vero humores quidem reſoluat, aſt motum eorum intendat, ſtimulet caloremue augeat, atque febrem ſaepe et inflammationem creare ſoleat, in propatulo proinde eſt, cur febris et inflammatio, iam praeſentes, ab opio augeantur, nec vnquam debellari poſſint. Quid vero, ſi ab irritante ſtimulo motus auctus adſit, anne opium tunc proficuum habetur? Certe, ſi perpenderis, motum hunc auctum non a ſenſu, ſed a mobilitate et irritabilitate in ipſa fabrica reperiunda dependere, ſatis omnino patebit, motum iſtum ab opio minui nunquam poſſe, quia iſtud in ipſum ſtimulum, quod tamen fieri nequit, agere debet.

p. 88. Ex his, quae hactenus dicta ſunt, ſponte etiam patet, *opium retardare abitum in ſanitatem eumque, ſi vi naturae et aliorum remediorum reſtituatur, obtentu diffici-*

difficiliorem reddere; quia morbo ſanando minus conveniens opium absque omni dubio naturae et artis molimina ad ſanationem tendentia impediet.

Fauet porro *opium generationi aliorum morborum, quos ex ſua indole quandoque generat febris.* Non raro enim accidit, vt ab opio aſſumto maculae rubrae, puſtulae, eryſipelas, phlegmones, abſceſſus, gangraenae, ſphaceli, obſtructiones et ſcirrhi viſcerum oriantur, quamuis nulla adſit febris. Quid ni itaque, ſi febris ad hos morbos procliuis iam eſt, ab opio idem, ac a diaphoreticorum calidiorum vſu incongruo metuendum? Sique perpendamus, opio auctum a febre circulum ſanguinis expanſionem magis adhuc augeri, atque inde vaſa pulmonis et encephali inprimis, cum ex ſua natura opium humores ad caput determinet, infarciri atque ideo obſtructiones et ſtaſes gigni, opium ſane, cum obſtructio pertinax et encephali et pulmonis canaliculorum deſtructio cauſae mortis in febribus frequentes ſint, ratio ſane in promtu erit, *cur opium in febribus mortem eamque creantes cauſas iuuet.* Cum vero primaria indicatio in moderando circulo excedente conſiſtat, atque opium eum intendat, *iſtud* igitur *indicationibus veris in medela febrium formandis contrariari*, ſequitur. p. 89. p. 92. p. 94.

Pari etiam ratione intelligi poteſt, cur *opium in febribus coctiones et criſes turbet.* Si enim coctio et criſis fieri debeat, pacati requiruntur motus, quod tamen ab opio non expectandum eſt; cumque criſis euacuatio cocti per ſputum, per vrinam, per vomitum, per diarrhoeam, per ſudorem ſit, opium vero, ſudorem ſi exceperis, omnes excretiones cohibeat, impedimentum ſtatim inde patet. Anne autem criſis per ſudorem, quem opium mouet, ſuccedit? Perpendendum omnino eſt, rariſſime per ſudores ſolos febres iſtas noſtris temporibus iudicari, et ſi etiam eueniat, quis determinare audet, p. 96.

num natura, dum ſudor opio mouetur, viam hanc, nec aliam ingrediatur? Sed obſtant aliae rationes ex antecedentibus petendae, quae vſum opii
p. 100. diſſuadeant. Praeterea *remediis veris antifebrilibus contrariatur opium.* Venaeſectione enim ſanguinis copia, impetus et rarefactio minuitur; purgationes antiphlogiſticae eadem fere praeſtant et impetus inſuper a capite auertunt; nitrum humorum rareſcentiam et motum eorum vorticoſum ſiſtit; quibus autem omnibus opium aduerſatur et contrarium praeſtat. Quid demum de acidis? haeccene optima in febribus remedia et talia quidem, quae opium viribus prorſus priuant? *Vbi ergo antidotum vere prodeſt, ibi certe non proderit, cuius eſt antidotum.* Nonne vero ſymptomata vrgentia
p. 103. opium poſtulant? *Adhaec* ſane *nihil iſtud facit, ſed pleraque intendit aut minus opportuna ratione minuit.* Eo quidem frigus minui poteſt, ſed peruerſi, vt in febribus intermittentibus dictum, enaſcuntur effectus. Si autem frigus opio minuitur, ſequitur omnino, calorem excitari, inde ad huncce exſtinguendum prorſus ineptum haberi debet. Forte autem ad peruigilium febrile compeſcendum opium prodeſſe videretur, cum notum ſit, ſomnum eo inuitari. Certe, ſi perpendamus, vigilias ab impetu febrili dependere, hunc autem ab opio ſiſti non poſſe, patebit omnino, ſcopo iſti opium nunquam ſatisfacere, e contrario imo experientia probat, ſomno inducto peſſima ſymptomata oborta vel, opio licet porrecto, vigilias tamen perduraſſe, miſerrimas ſequelas relictas ipſamque mortem aliquando
p. 107. accerſitam eſſe. A delirii febrilis phreniditisue medela abeſſe prorſus debet opii vſus. Cum enim delirium a vi et celeritate ſanguinis, per carotides et vertebrales proiecti, proueniat, atque phrenitis minutiſſimorum apicum arterioſorum obſtructionem coniunctam inſimul habeat, opium ideo ſanguinem

ad

ad caput determinans nocentiſſimum in hoc caſu habetur. Tandem cum opium inflammationi ſa- p. 117. nandae impar ſit, eamque potius excitare ſaepe valeat, iſtud proinde in anxietate febrili, ſymptomate grauiſſimo, quae lentorem inflammatorium, vel in pulmone, vel hypochondriis et hepate inprimis haerentem, cauſam agnoſcit, exhiberi nequit. Quod p. 123 itaque de febribus acutis inflammatoriis in genere valet, id etiam in inflammationibus particularibus, vt angina, peripneumonia etc. valet. Praecipuum enim, morbos hos curandi, artificium in moderamine circuitus conſiſtit; quapropter opium, circulum accelerans ſanguinemque exaeſtuans, dictis morbis nunquam conuenire, quilibet ex his perſpiciet.

His expoſitis variolas conſiderat Noſter, vſum- p. 125. que opii, ab aliis laudatum, omni ſtudio diſquirit. Licet autem variolae ad febres inflammatorias referendae ſint, ideoque ea etiam, quae de febribus iſtis dicta ſunt, huc ſpectare videantur, ob ſingularia tamen phaenomena variolas in ſpecie examinandas eſſe, arbitratur. Cum in febre, quae prima vocatur, ſanguis commotus ſit, opium vero eum magis commoueat et ad caput vrgeat, qui tamen ſemper ab eo auertendus eſt, iſtud ad febrem hanc non pertinere, ſequitur. Aliter ſe res habere videtur in ingruente febre, ſecunda dicta. Suppuratione enim procedente et aucta, doloribus leuandis atque cunctis, quae hos ſequuntur, minuendis aptum in diſcretis variolis videtur. Licet autem iſtae, absque vllo medicamine, feliciter ſaepe a ſola natura curentur, blando tamen ſomno excitato incommoda variolarum mitiora facta fuiſſe, experientia probat. Aſt maiorem attentionem merentur variolae confluentes, in quibus ſingularem opii vſum eſſe, plures aſſerunt. Primo itaque dolores acerbiſſimi, quos acri pure turgentes variolae pro-

 ducunt,

ducunt, dein perſpiratio cohibita, tandem puris, quod mora acrius factum, reſorptio attendenda veniunt. Quod ad dolores pertinet, opium ad eos minuendos aptiſſimum quidem cenſetur, dummodo conſtet, iſtud reliquis binis febrium cauſis, ſimul attendendis, congruere. An itaque opio exhibito perſpiratio cohibita reſtitui poteſt? Mouet quidem ſudorem opium, cum vero organon perſpirationis hoc in caſu obſtructum, inflammatum, aridum, humoribuſque transmittendis ineptum ſit, opium proinde perſpirationem mouere nequit. Nonne autem humoribus, ſaltem ad cutem determinatis, ibi detentis atque ideo ſuppuratione promouenda multum boni expectandum? Certe ſi quid valet opium, eo tantum in caſu erit, vbi febris vere torpet et tumores capitis artuumque ſubſident; aliter res ſi ſe habuerit, ab opio abſtinendum eſt. Sed ſi diarrhoea perſpirationem ſuppreſſam ſupplet, opio etiam, cum aluum ſemper inhibeat, nullus conceditur locus. Ptyaliſmus contra ſi adeſt, opio iſte non ſolum non cohibetur ſed ſuſtentatur potius et promouetur, hinc eo in caſu tutus eius vſus erit et proficuus. Quod tandem ad puris reſorptionem ſpectat, cum opio caueri nequeat, febriſque valida, inquies, anxietas aliaque plura ſymptomata pericuIoſa adſint, ab illo igitur prorſus abſtinendum eſt. Sique perpendamus, fomitem hunc morboſum optime diarrhoea artificiali educi, hanc autem opio infringi, patebit inde, opium eo magis interdictum hic videri. Melius enim eſt, abundantem et fluctuantem colluuiem purulentam minuere citoque magnam partem per aluum ſubducere, quam qualitati corrigendae ſtudere.

p. 144. In morbillis, ſi febris nimio impetu ante eruptionem peccat, opium nocet, locum vero habet, ſi eadem languet et efflorescentia protrahitur; caue tamen, ne praeter rem eiusmodi calida exhibeantur,

neque

neque diu continuentur. Si morbilli peioris indo- p. 149.
lis et palpitatione, ſtricturis cardialgicis aliisque ſpaſmis et motibus conuulſiuis ſtipati ſint, et neruoſa talis affectio plus, quam febris vrgeat, opium conuenit. Si tuſſis vrget, opium proficuum aeſtimatur, etiam eo in caſu, vbi febris valida ſatque grauis eſt, dummodo, hac contraindicante, venaeſectio praemittatur. Simili etiam ratione opium conducit, ſi tuſſis diu poſt morbi decurſum remanet et neceſſarium iudicatur, ne ob acrem pituitam, pulmones infeſtantem febris lenta et phthiſis oriatur. Si tandem diarrhoea, ſub initium morbi accedens, metum iniicit, ne exanthemata retrotrahantur, opio ea coercenda eſt, idque eo magis, cum iſta ſymptomatica ſit et opium a centro ad peripheriam humores moueat. In ſecundo morbi ſtadio diarrhoea eueniens ſi excedat, opium vtile aeſtimatur, ſique anginoſa deglutitio et anheloſa reſpiratio remedium iſtud minime indicent, idem tamen, ſanguine largius miſſo, optimo cum ſucceſſu exhibitum fuiſſe, experientia probat. In diarrhoea tandem poſt decurſum morbi remanente contumaci, ita vt, remediis cunctis incaſſum tentatis, aegrotantes viribus exhauſti ſuccumberent, opium vnicum remedium eſt, quo iſta compeſci optime poſſit.

In peſte, licet a clariſſimis in arte viris com- p. 156.
mendatum fuerit opium, ipſam tamen naturam peſtis Noſter perpendens, remedium iſtud plane non conuenire, oſtendit. Cum enim peſtilens venenum tenuiſſimum alcali, ſanguinis naturalem craſin diſſoluens et deſtruens, eumque ad phlogoſes et gangraenas peſſimas efficiundas diſponens cauſa ſit, idque intenſiorem ſaepe motum humorum coniunctum habeat, opium proinde, cauſas haſce ex natura ſua augens, noxium omnino reputatur. Forte vero virium languor, febris abſentia illud indicare poſſent? Certe ſi perpenderis, vires omnes

reliquas motrices a miaſmate prorſus iam deiectas eſſe, alia potius cardiaca, quam opium, vires iſtas multo magis deiiciens, eligenda eſſe, iudicabis. Sed nec ad promouendum etiam ſudorem, in peſte a multis laudatum, opium aptum videtur, cum nec iſte ſemper ſalutaris aeſtimetur, et ſi forte ſit, is tamen non calidis ſtimulantibus, ſed diluentibus, attenuantibus, antiphlogiſticis et antiſepticis ſuſtinendus aut excitandus eſt. Neque etiam ſymptomata vrgentia leuare valet. Vomitus enim et ſingultus vomitorio, mature dato, aut aceto melius curantur; anxietati porro male opponitur, cum eam potius augeat; haemorrhagiae, a ſanguinis diſſolutione et acrimonia prouenientes, nunquam opio hic obediunt; diarrhoea tandem, in initio morbi adſtringentibus et ſudoriferis tractanda, ſi a putredine poſthac et colliquatione oritur, omnem medelam reſpuit et aegros iugulat. An autem opium prophylacticum? Nunquam certe; cum idem praeſtet in parua doſi, quod vinum magna in copia ingurgitatum praeſtare ſolet.

p. 173. In febribus, in quibus, absque vlla cauſa manifeſta, ſubita et ſumma virium proſtratio, pulſus interdum celerrimus, ſed debilis et debiliſſimus ſaepe ac inaequalis, calor mitis, ſaepe artuum frigus inſimulque magna praecordiorum anxietas adeſt, atque hanc ob cauſam malignae vocantur, opium non conuenit. Cum enim hancce debilitatem malaque omnia miaſma putridum et ſepticum, humores in putridum tabum diſſoluens producat, opium vero humores ſua natura ad putredinem diſponat, non poteſt inde fieri, quin mali cauſa opio adaugeatur. Accedit et hoc, quod idem iſtud vires animales iam depreſſas magis deprimat, inſenſibilitatem, torporem, anxietatem, ſomnolentiam, ſtuporem, diſpoſitionem ad delirium, ſymptomata febris malignae peſſima peiora omnino reddat. Forte vero diarrhoea,

rhoea, in hiſce febribus ſaepe accedens opium poſtulare videtur. Sed caute hic procedendum eſt; ſi namque ea iuſto tempore accedit et aegrotans ea leuatur, nunquam opio iſta coercenda eſt; ſin vero profuſiſſima ea ſit et aegrotantes inde debilitentur, opium vtile habetur.

In capite tertio de vſu opii in ſanandis doloribus agitur et primo dolorum aetilogia ac therapia, poſtea autem generales circa vſum opii in ſanandis doloribus obſeruandae regulae exhibentur, quarum primariae hae ſunt. 1) Opium non cauſam, ſed ſenſum doloris minuit. 2) Sopito ſenſu medicus aegri conſtitutionem diſcere non valet ob phaenomena non niſi ab opio excitata. 3) Finita operatione remedii cauſa recrudeſcit, aliquando grauior facta. 4) Cauſae remotio ſemper praeferenda nec opiatis, fruſtra exhibitis, pertinaciter inhaerendum. 5) Omnes excretiones, ſola diaphoreſi excepta, cohibet opium, hinc vias, per quas cauſa eliminari forte poſſet, claudit. 6) Actionem cauſae doloris aliquando iuuat opium, e. g. plethoram, circulum humorum auctum etc. 7) Si dolor ſymptoma tantum morbi ſit, dolorem ſedando morbus toleratur et medicus peccat. 8) Si dolor vrgeat et peiora inde mala metuenda ſint, nec cauſa ſtatim remoueri poſſit, opium neceſſarium iudicatur. 9) Si cauſa latet vel auferri nequit et remedia fruſtra exhibentur, opium vnicum remedium habetur, caue tamen, iſtud exhibeas in ſedandis cancri doloribus, qui ab aucto humorum circulo augentur, melius id ferunt alii morbi inſanabiles e. g. vlcera inteſtini recti. p. 188.

His de opio in ſanandis doloribus in genere praemiſſis, ei nunc in ſpecie conſiderantur, atque primo loco pleuritis recenſetur. Cum dolor in p. 201.

Hh 4 hoc

hoc morbo non cauſa febris, ſed haec illius cauſa ſit, et requiratur, vt ſanguis impactus vaſaque diſtrahens attenuetur, vaſa relaxentur, impetus vitalis minuatur, coctisque excretio a natura indicata per idoneas vires iuuetur, opium inde noxium eſſe patet. Hoc enim ſanguinem licet attenuet, calorem tamen inducit et, circuli exceſſum iuuans, febrem hinc, doloris cauſam, auget; cumque aegri ob reſpirationem impeditam ſuffocentur, opium autem natura ſua in ſanis quoque reſpirationem difficiliorem reddat ſanguinemque in pulmone accumulet, iſtud multo magis nocentiſſimum in pleuritide cenſetur. Si tandem ad morbi huius ſolutiones, fluorem inprimis alui, ante quartum diem et ad ſputum attendas, opium iſtas non ſolum non promouet ſed turbat, adeo et impedit, ideoque noxium eſt.

p. 212. In ſedanda cephalalgia idiopathica ſuſpectum et nociuum aeſtimatur opium. Ea namque in congeſtione ſanguinis humorumue ad caput, aucto circulo, liquidis ſtagnantibus et actione vaſorum, vel nimis forti, vel nimis languida et affluxus et refluxus proportione mutua abolita conſiſtit, atque iis inprimis ſanatur, quae plenitudinem euacuant, humores ſtagnantes ad liberam circulationem diſponunt, liquidorumue reuulſionem praeſtant; quare opium, contrarium praeſtans, noxium omnino habendum eſt. Cephalalgia ſymptomatica eo vſque permittit opium, quo vſque morbi, a quibus iſta dependet, id permittere videantur.

p. 223. In cardialgia opium ob varias morbi huius cauſas vel iuuat vel nocet. Si enim ſolum motuum vitium eſt, opium prodeſt, licet alia etiam remedia idem praeſtare valeant. Si a materie acri iſta oritur, euacuantia, non opium, indicantur, hiſce tamen exhibitis, dolor ſi perſtat, opium vtile habetur. Emetica et purgantia draſtica ſi cardialgiae

cauſam

cauſam dant, ante omnia demulcentia, poſthac autem opium, minime vero opiata ex calidis compoſita, exhibere iuuat. A vermibus et venenis dolor cardialgicus productus oleo, optimo hic antidoto lenitur. Aſt ſi vaſa ventriculi, ob denegatum fluxum haemorrhoidalem turgent et doloris cauſam ſiſtunt, opium, ſangiuem magis expandens, nocet. Noxium pariter cenſetur in grauidis plethoricis, breui tamen poſt conceptionem, ſpirituum anomalia ſi adeſt, opium conceditur. A menſium anomaliis dolor opium quidem vt emmenagogum indicat, tempora tamen conſiderentur, neceſſe eſt. Non enim niſi venaeſectione et remediis, vaſa vteri laxantibus, praemiſſis vſurpandum eſt. Si ſcirrhus et eroſio ipſius ventriculi, nec non obſtructae partes vicinae in cauſa ſunt, nullum ab opio expectatur iuuamen. Si cardialgia ab humoribus acribus, vel non expulſis, vel retropreſſis arthriticis et exanthematibus cutaneis variis oritur, opium, diaphoreticum, inter alia dextre adhibitum prodeſt. In cardialgia demum inflammatoria opium, cauſam augens, prorſus non conuenire, ex hiſtoria febrium patet.

Quibus fibrae inteſtinorum debiles facileque irritabiles ſunt, ita vt absque vlla aut ſaltem leuisſima cauſa materiali excitantur tormina, his non niſi ſummo dolore vrgente opium dandum eſt, quia iſtud, debilitans, fibras iſtas debiliores reddit. Inteſtinorum dolores ſi a materie aceſcente et fermentante excitantur, opium nocet, niſi iſta prius euacuata fuerit. Qui a menſium haemorrhoidumque anomaliis oriuntur dolores, non opio, ſed iisdem remediis, vt dolores ventriculi, tractandi ſunt, quia alias absque remediis, ibi laudatis, praemiſſis opium, vtpote calidum, plus noxae, quam emolumenti adfert. In colica bilioſa, quae a ſtabulante acrimonia bilioſa in inteſtinorum canali ortum ducit, materies prius corrigenda et euacuanda eſt, ſique p. 233. p. 239.

 dolor

dolor vrgentiſſimus obſtat, opium interponere licet. In ea colica bilioſa, quae a calculo felleo oritur, ſummis ſaepe doloribus ſtipata eſt et coniunctum ſaepe habet vomitum, tolerandum ſane, cum peregrinum corpus non raro loco moueat, opium tamen in paroxyſmo ob acerbitatem dolorum et metum grauiorum inde emergentium ſymptomatum exhibere conuenit.

p. 245. In colica ſaturnina, cum ſtricturae immanes ſint et conuulſiones ſaepe immineant, opium, fibras relaxans, indicatur cumque aliis remediis, cauſam impugnantibus, mixtum, cum fructu propinatur. Si tandem colica a materie, ad corporis ſuperficiem ableganda, vel ab ea retropreſſa exanthematica, arthritica etc: oritur, opium ſane, diaphoreticum, dummodo calida conducant, languor vis vitae ſubſit febrisque abſit, conueniet.

p. 248. Si praeſente dolore in inteſtinis inclinatio ad inflammationem adeſt, vtile iudicatur opium. Licet autem hoc in inflammatione alias reiiciatur, hocce tamen in caſu neceſſarium habetur. Tunc enim inflammatio effectus, non cauſa, doloris eſt; niſi itaque ſpaſmus ſopiatur, inflammatio augetur, quare opio ſpaſmus ſopiendus eſt: venaeſectionem tamen et clyſmata praemittere praeſtat. Licet enim auctus hic circulus a ſpaſmo dependeat, hocque ſedato circulus etiam minuatur, iſta tamen remedia ob ſecuritatem praemittere, vtile erit, idque eo magis, cum opium ſemper natura ſua ſanguinem rarefaciat circulumque acceleret.

p. 253. Ileus, qui ſummis cruciatibus et vomitu contentorum ventriculi ſtipatus eſt, opium vel ob mitigandos dolores, vel ob compeſcendum vomitum, ſiue is effectus, ſiue cauſa ilei ſit, omnino requirit. Licet autem opio aluus alias obſtruatur, haec vero in iſto morbo conſtipata iam ſit, hoc tamen in caſu ſtricturis ab opio relaxatis, pharmacum hoc ſtatum

peri-

periſtalſeos inter atoniam et ſpaſmum ac conuulſionem medium inducit atque ſenſum et periſtalſin naturalem reddit, inde in ileo aluum potius promovet, quam cohibet. Conuenit tamen cathartica prius exhibere eademque etiam rurſus ſubiungere. Purgantium autem remediorum connubium cum opio Noſter non laudat, cum effectus vtriusque ſibi inuicem aduerſentur minusque certi eſſe ſoleant. p. 261.

Si hernia cauſa ilei eſt, praeter repoſitionem, ante omnia tentandam, atque clyſmata et fomenta emollientiſſima applicanda, opium ad vomitus et dolores leuandos, ſpaſmos mitigandos, ipſamque repoſitionem faciliorem praeſtandam conducit. p. 265.

In colica Pictonum, cum ea morbus membranarum neruoſarum inteſtinalium ſumme doloroſus, conuulſiuus ſit, totam ſyntaxin neruoſam in conſenſum trahens, opium omnino vtile cenſetur, quo enormes compeſcantur ſpaſmi. p. 266.

In doloribus demum inteſtinorum chronicis, cum ab obſtructionibus viſcerum, ſolidorum vitio, eorum anguſtia, abſceſſu, vlcere, callo, ſcirrho et cancro ortum ducant, opium vel prorſus non, aut vrgente tantum neceſſitate, admittitur. p. 269.

In nephritide ſimplici, quae ab omni cauſa, inflammationem generante, vt plethora, non autem a calculo, ortum ducit, opium ob eandem rationem, quae de inflammatione in genere reddita fuit, convenire nequit. Aliter ſe res habet in nephritide, quae a calculo oritur. Licet autem et eo praeſente inflammatio adſit, tamen, cum ea non niſi effectus doloris ſit, quo ſedato cauſa inflammationis adimitur, opium proinde indicatiſſimum habetur remedium. Caue tamen, ne eo ſolo vtaris et venaeſectionem et emollientia adeo proficua negligas, potius vero in vſu eorum cauſae debellandae aptorum pergas. p. 272.

Quod

p. 286. Quod ad vomitum nephriticum attinet, is ſane haerentem in vretere calculum protrudens ſalutaris aeſtimatur, potiusque excitandus, quam ſupprimendus eſt. Si tamen accedat nimius, opio cohibendus eſt, cumque concuſſio abdominis per vomitum neceſſaria ſit, exercitiis corporis, vt vectione in rheda etc: ea ſupplenda, poſteaque etiam lenibus emeticis vomitus rurſus excitandus eſt.

p. 288. In ſpaſmo veſicae ſi dolores a calculo et grumis ſanguinis vel et ex abraſo muco originem ducuut, nullum iuuamen ab opio expectandum eſt. Si doloris cauſam venae varicoſae ſuppeditant, opium, cum vaſa laxa iam laxiora vltra reddat, obeſt. Quodſi vero in arterioſis vaſis haereat ſanguis et inflammatio adſit, remedia emollientia, oleoſa et venaeſectio primaria ſunt, opium vero non niſi interponi aut ſubiungi debet.

p. 294. Dolores ab exacerbatione, ſcirrho et calloſitate ipſius veſicae, non opio, ſed emollientibus, intus et extus admotis, mitigandi ſunt.

p. 295. Spaſmi et dolores, a frigore externo in veſica excitati, tantillo opii, iuſto regimine obſeruato, pacantur, ſique illi a materie fermentante producuntur, praeter alia remedia, et opium in vſum trahi poteſt. Si dolores a pure, aliunde in veſicam depluente, oriuntur, balſamica et demulcentia, non opium, indicantur. Quodſi vero acre ſerum ſcorbuticum, podagricum etc. retropreſſum et ad veſicam delatum dolores ibi excitat, opium praeter alia materiem ad peripheriam determinans, vtile cenſetur, idque pariter ec etiam in caſu laudatur, vbi veſica per conſenſum ab aliis ſpaſtice affectis partibus dolorifica euadit. Vbi vero aliae cauſae morbificae deprehendantur, propriam iſtae medelam et raro opium requirunt.

p. 301. In rheumatiſmo vniuerſali, cuius cauſa ſerum ſtagnans circulum humorum ob ſtaſin auget ideoque

febrem

febrem excitat et inflammationis ideam inuoluit, opium, remedium calidum et antiphlogiſticis contrarium, exhiberi prorſus nequit.

In rheumatiſmo particulari calido vel et frigido, cum lentor rheumaticus attenuandus et perſpirabilis reddendus ſit, opium nihil prodeſt, idque pariter in malo iſchiadico de eo valet, vbi non ſolum morbum hunc non expugnat, ſed et, niſi venaeſectio, purgantia, diluentia et ſoluentia praemittantur, nocet. Imo, opii exhibiti actione finita dolores fere ſemper grauiores redeunt. p. 311.

Ad praecauendam et eradicandam arthritidem podagramue nihil facit opium, nec etiam vtile in paroxyſmo habetur. Figit namque materiem in arthritide, hancque auget, cum *neruoſa inflammatio audiri mereatur podagra.* Nec etiam ſudor, ab opio motus, hic prodeſt, ſed liquida diſſipando malum potius grauius reddit. Cum denique opium coctionibus omnibus aduerſetur et debilitet, diſpoſitio inde ad futurum paroxyſmum, eo citius redeuntem inducitur. Anceps itaque et minus ſecurum iſtud in hoc morbo remedium eſt, quod inſuper ſummos dolores non niſi generoſis doſibus retundit, tunc autem graues noxas poſt ſe relinquere ſolet. p. 319.

Quod denique ad materiem podagricam intus detentam, vel ab exterioribus ad interiora vergentem, attinet, opium interdum nocet, interdum autem iuuat, prout pars eſt, quae male ſe habet. Ita opium non conuenit, ſi malum in capite haeret, cum impulſum humorum ad eum locum magis determinet. In ſyncope autem arthritica, pulſu imbecilli exiſtente, opium iuuare dicitur, non aeque ſemper in aſthmate arthritico. Si enim materiae viſcidae excretione opus eſt, opium, cum eam cohibeat, nocet, iuuat vero, ſi ſpaſticum illud appareat. Quodſi vero peripneumonia a materie arthritica oriatur, opium minus conueniens cenſendum p. 342.

ſendum eſt. Si a retropulſa, vel non expulſa, arthritide ventriculi debilitas ac languor cum ventris torminibus obſeruantur, opium non neceſſarium eſt, ſi vomitiones tamen ſollicitent, iſtud concedendum eſt. Si diarrhoea arthritica moderata accedit, ea, eum ſalubris iudicetur, non cohibenda eſt, ſin vero modum excedat et mortem accerſat, diaphoretica eligenda ſunt, inter quae autem opium non vltimum ſibi ſemper vindicabit locum. Si denique cum arthritico dolore calculoſus complicatur, de exhibendo opio illico cogitandum eſt.

p. 348. In odontalgia, ſi vel caries dentis, vel inflammatio arteriolarum, et congeſtiones ad caput cauſam doloris ſuppeditant, opium non exhibendum eſt. In priori enim caſu ceſſante actione remedii lenimen exſpirat et dolor denuo accedit; in poſteriori autem opium, cum humorum motum intendat et ad caput determinet, cauſam potius doloris augere valebit. Quodſi tamen aeger ob ſummos dolores lenimen poſtulauerit, opium non niſi venaeſectione et antiphlogiſtica cura praemiſſa, exhibendum eſt. Aſt in odontalgia rheumatica, a ſero viſcido lentoque aut acrimonia ſpecifica imbuto deducenda, nec vllis motibus febrilibus aut ſaltem vagis ſtipata, purgantibus fortioribus praemiſſis opium cum fructu propinatur. Et quae de odontalgia dicta hic ſunt, ea etiam de otalgia, a ſimilibus fere cauſis oriunda, dicenda et in vtroque affectu vnam eandemque methodum obſeruandam eſſe, Cl. Auctor exiſtimat.

IX.

JOANNIS GEORGII ROEDERER, D. Medicinae, ſpeciatim anatomicae artis atque obſtetriciae P. P. O. Academiae ſcientiarum Petropolitanae, ſocietatum regiarum Suecicae et Goettingenſis ſocii et lat. Ienenſ. Honorarii, Colleg. chirurg. Praeſidis et principatus Gottingenſis Phyſici, icones vteri humani, obſeruationibus illuſtratae. Goettingae ſumtibus Vandenhaeckianis, fol. pl. 16. tab. aen. 7.

Nitidiſſimis his et curatiſſime delineatis iconibus earumque ſolida explicatione, varias obſeruationes in arte obſtetricia cum lectoribus communicat Cl. Auctor, quas in praxi huius ſcientiae verſatus animaduertit, atque adiecit ſimul varia, quae hinc inde in aliis ſcriptis vel academicis vel commentariis inſertis iam diſputauit. Exhibet tab. I. externam vteri parturientis ſuperficiem ad viuum, vt aiunt, depictam, et monet figuram vteri, ab liquore amnii diſtenti, differre ab iſta, quam vterus, effuſo hoc liquore, adſumit in eo, vt ſit ouata regularis, cum e contrario huius colliculis tuberibusue variis diſtinguatur. Vaſa arterioſa, in ſuperficie obrepentia, ſub externa vteri membrana deliteſcunt, et ſuas ramificationes in ipſam ſubſtantiam diſtribuunt. Ab ipſa fundi expanſione tubarum quoque diſtantia mirum diducitur, hinc intelligi poſſe dicit Cl. Auctor, cur plerique ſcriptorum tubas vteri grauidi ex humili loco prodire affirmarint. Tubae, quae ſerpentino tractu ex vtero vacuo prorepunt, in grauido vtero rectae vel leuiſſime tantum inflexae decurrunt. Creſcit et moles ligamentorum teretium, vt iam alii celebres ſcriptores notarunt. Ouaria quoque cum tubis deſcendunt et inferiorem locum in grauidis occupant. Os vteri in hac figura elegan-

p. 1.

eleganter ſatis expreſſum, ita ſe habet, vti ſub primis
p. 4. partus initiis deprehenditur. Tab. II *foetum et placentam in poſitu naturali* monſtrat: apte et ſcite omnes artus ita ſibi applicantur, vt totus foetus
p. 6. globulum fere referat. Tab. III continet *placentam in ſitu naturali.* Multa hic ex ſuis aliorumque obſeruatis de vteri parturientis et grauidi craſſitie adfert, quam mox ab abſoluto partu mire augeri aſſerit, licet hoc tempore quaeuis vaſa vacua fere et collapſa ob ſanguinis fluxum fuerint. De fibrarum quoque motricium, in vaſorum interſtitiis decurrentium, indole earumque ſtratis copioſe ac eleganter exponit, easque extra omnem dubitationis aleam ponere adnititur. Vidit enim Cl. ROEDERER ſequentem ſtratorum ordinem. In anteriori ſuperficie externum ſtratum fuit longitudinale, cui ſubiacet craſſum orbiculare, dein obliquum, a parte dextra ad ſiniſtram deſcendens, porro aliud obliquius a longitudinali directione multum abhorrens, vidit cum hocce ſtrato deſcendentem craſſum reliquis diſtinctiorem fibrarum faſciculum. Dictis his ſtratis ſupponitur vaſorum rete cum aliis ſtratis motricium fibrarum intermixtis, quorum directio, qualis in extimo ſtrato, obliqua eſt. Intimum tandem ſtratum longitudinale eſt et craſſum. In fundo plures, quam in ſuperficie anteriori, adeſſe videntur longitudinales fibrae. Ceruicis fibrae, quamuis conſpicuae ſint, in ſtrata tamen diſtingui commode nequeunt; internae tamen transuerſae apparent. Ex quibus adductis facile perſpici poſſe autumat, inanem eſſe et ſupervacaneam operam in demonſtranda muſculari vteri natura, cum autopſia eam doceat; nec poſſe ex eo pugnari contra, quod fibrae ſibi maxime intertextae, ſtrataque ſibi arcte conglutinata ſeparationem ſcalpelli ope denegent, cum idem in cordis muſculo eueniat, nec ex cinereo fibrarum colore hanc labefactari ſententiam poſſe iure meritoque affir-

affirmat. Duplicem deſcriptarum fibrarum vſum ſtatuit, partim enim contractiones vteri et dolores ad partum efficiunt, partim vaſorum ſanguiferorum conſtrictioni inſeruiunt. In interna vteri membrana propria nihil fibrarum detegitur, ſed mollis ea eſt, tenuis, pulpoſa in grauidis, facile dilaceranda in cadaueribus. Muſculum orbicularem RVYSCHII, non ex fibris muſcularibus, ſed ex fibrarum, internam membranam componentium, diſpoſitione circulari, ſub ipſa placenta efformata, effictum docet. Placentae arterioſi trunci colliguntur in hoc exemplo in vnum truncum, ad angulum funis placentaeque prorepentem, qui dein vero in ipſo fune mox in duos ſolitos diuergit. Tab. IV deſcribit *externam vteri grauidi ſuperficiem cum vaſis ſanguiferis.* p. 12. Situm vteri cum vicinis inteſtinis declarat et ex eo varia in grauidis digeſtionis vitia morbosque abdominales naſci monet. Adiicit copioſam ſatis et accuratam vaſorum, tam arterioſorum, quam venoſorum deſcriptionem. Tab. V *foetus et placenta in poſitu naturali* depinguntur. p. 20. Quae tabula cum ad viuum delineata ſit, reliquis, quae a diuerſis auctoribus, pro ſuo arbitrio, exhibitae proſtant, omnino praeſtare cuilibet patet. Lateralem embryonis poſitum pro vero naturali, vti OVLDIVS affirmat, non aſſumit, multis, quas docte ac eleganter exponit, commotus rationibus.

Tab. VI fig. I *vteri grauidi interna ſuperficies* p. 22. deſcribitur. Vaſorum, ad vteri internam ſuperficiem pertingentium et in placentam continuatorum, indolem ex propriis obſeruationibus declarat. Erat interna membrana molliuſcula, tenuis et quaſi villoſa, quam amplum maximarum venarum rete tegebat, frequentiſſimis anaſtomoſibus ita factum, vt, inflata vna vena, totus vterus eleuetur. Nec tamen vltimi venarum fines, in capillaria vaſa producti, verſus placentam et membranam filamentoſam extenuantur,

tur, ſed in vteri internam membranam diſtribuuntur. Nec etiam ex his venis in vaſa vmbilici, neque ex his in illas flatus penetrat. Hiant quaedam vaſorum venoſorum orificia in vteri cauum, eo quidem in loco, qui placentam ſuſtinet, quae tamen, cum valvulis quaſi tegantur, non niſi flatu apertae comparent. Quaeuis haecce dicta et in alio vtero, quem cera repleuerat, obſeruauit; et quanquam magna ceraceae materiei quantitas in placentae ſubſtantiam ſpongioſam tranſierit, eam tamen non via naturali per oſtia patula ad placentam delatam, ſed per dilaceratos ac diſruptos venarum canales inde effuſam eſſe demonſtrat. Figura dictae tabulae altera monſtrat *arterias ſuper interna vteri ſuperficie diſtributas*, quae ſimili modo, ac venae, ſtipatiſſimum rete efformant in membrana vteri interna expanſum, quod in ipſam filamentoſam oui membranam producitur, itemque in placentae ſuperficie apparet: nec tamen flatus in has arterias immiſſus ad vaſa vmbilicalia, ſed in membranam filamentoſam penetrat. Anguillularum in modum, reflexae conſpiciuntur maiores in eo loco, vbi placenta adhaeret, minores in reliqua vteri ſubſtantia. Tertia figura exhibet *ſecundarum tunicam filamentoſam*, quam extra omnem dubitationis aleam ponere anniſus eſt Cl. Auctor, ſimulque de oui placentaeque adhaeſione et cum vtero commercio ea repetit, quae quondam in regia ſocietate Gottingenſi praelegerat et quae ſupra * iam a nobis commemorata fuere. Figura quarta ſiſtit *tubae aperturam in vterum*, quae ſemilunari figura in cauum matricis hiat. Figura quinta depingitur *apertura canalis ceruicis in vterum;* figura ſexta *apertus canalis ceruicis*, in quo ſinus, arbuſculi ſpeciem referentes, apparent, qui mucum illum ſeu tenacem ac rubram gelatinam fundunt, quae totum ceruicis canalem et ſuperiorem vaginae partem replet.

Tab.

* vid. Commentar. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 199.

Tab. VII. varias partes exhibet; figura nimirum prima *internam ceruicis vteri ſuperficiem*, vbi columnulae ceruicis, ſinus mucoſi cum ſuis orificiis, veſiculae ſ. oua NABOTHI in conſpectum prodeunt: figura ſecunda ſiſtit *vterum virgineum*, cuius vera et accurata delineatio huc vsque non proſtitit cum vario modo peccent icones ab auctoribus exhibitae ad naturam, vt aiunt, non depictae, quarum tamen optimae cenſentur EISENMANNI, GRAAFII, SMELLII, quanquam et in his ceruicis nimia conſpicitur tenuitas ſuſam addit vteri eiusmodi et ratione figurae et ratione craſſitiei deſcriptionem: Figura tertia, *poſterius vteri virginei*, figura quarta *anterius eiusdem planum* exhibet: figura quinta *ouarium ſiniſtrum feminae partum non enixae*: figura ſexta *veſiculas Graafianas*: ſeptima *perſciſſum ouarium feminae parturientis*, octaua *corpus luteum ex cadauere feminae illico a partu mortuae*: nona *ouarium foeminae, quae vnicum partum edidit*: decima *in medio perſciſſum ouarium cum corporibus luteis*: vndecima *dextrum ouarium perſciſſum cum extenuatis corporibus luteis*: et duodecima tandem *duas maſſulas flauas cum rimis circularibus* exhibet. Addidit tunc Noſter tabulas quasdam, in quibus vteri, vaginae, ouariorum, cunctarumue partium genitalium dimenſiones in feminis variae aetatis inueniundas comparat ac determinat, ſimulque quaedam notatu digna, in his partibus detecta, deſcribit. p. 31.

X.

IOANNIS CHRISTIANI DANIELIS SCHREBERI lithographia Halenſis exhibens lapides circa Halam Saxonum reperiundos, ſyſtematice digeſtos ſecundum claſſes et ordines, genera et ſpecies cum ſynonymis ſelectis et deſcriptionibus ſpecierum; praefatus eſt IOH.

IOACH. LANGIVS, Math. P. P. O. Acad. Imp. Nat. Cur. et Reg. Boruſſ. Scient. Collega. Cum figuris aeneis. Halae impreſſit Ioh. Iac. Curt. 1759. 8vo pl. 7½, tab. aen. I.

Prodiit hocce ſpecimen iam praecedente anno ſub diſſertationis forma, a qua noua haecce, quam indicamus, editio praeter formam in eo differt, vt huic acceſſerit Cl. LANGII praefatio et appendix de creta terreſtri teſtaceorum, cum additis infra pluribus deſcribendis figuris aeri inciſis tubulorum
p. XIX. et corpuſculorum quorumdam teſtaceorum. Praemittit vero Cl. Auctor in fronte huius lithographiae poſitiones quasdam generaliores, in quibus diſcrimen inter lithographiam et oryctographiam declarat, auctores varios, qui lapidibus Halenſibus obſeruandis operam impenderunt, enumerat, regionem ipſam tractus Halenſis, quibusue terminetur finibus, exponit, aliaue plura peragit. Neque vero in eo cum Cl. SCHREBERO conſentimus, quod, nimis fere iniurius in celebres germanicos lithologos, GESNERVM V. C. AGRICOLAM variosque recentiores contendat, methodicam diſpoſitionem parum in germania conſuetam eſſe, ſed potius ibidem barbara, arbitraria, exoleta, indeterminata, ficta, ludicra aut ſeſquipedalia plurium praeferri determinatis ſyſtematicorum. *Linnaeanum* ſyſtema, quod, quo iure, viderint alii, pro praeſtantiſſimo habet, ſequutus eſt in deſcribendis ſuis foſſilibus, adiecit tamen et aliorum, WALLERII, et da COSTAE ſynonymias. In enumerandis terris breuem ſe eſſe propterea dicit, quia Cl. LANGIVS eas ſub examen vocauerit, et ſine dubio ſua obſeruata aliquando ſit publici iuris facturus. Arte formatos lapides, et eos, quos ad varios vſus ſuperſtitioſe adhibet vulgus, vt faeces lithologiae iure ſilentio praeteriit.

His

His peractis primam aggreditur claſſem, quae *petras* continet. Siſtit earum ordo primus *vitreſcentes*, quarum agmen ducunt *cotes*. In ipſa glebarum deſcriptione ita verſatur, vt primo loco nomen cum definitione, tunc ſynonyma auctorum, locum deinde characteresque et externos et chemicos et tandem vſum, cui ſoleat inſeruire, declaret. Inter cotum ſpecies, quarum varias recenſet, illa prae aliis argilloſo-glareoſa, venis ochraceis, lamellis horizontalibus fiſſilibus, falſo *marmor Giebichenſteinenſe* a LERCHIO appellata, annotari meretur, monet tandem, eam non eſſe confundendam cum topho, ab OLEARIO *Nußholzſtein* dicto, quamquam etiam *Nußholtzſchiefer* nominari ſolet. Excipit *cotes quartzum*, quod aqueum, album, tinctum et ſubcotaceum occurrit. *Silicum* inueniuntur tam *cretaceus vagus* cum ſuis ſpeciebus *carneolo, chalcedonio, achate, iaſpachate*, quam *marmoreus rupeſtris* et *margaceus rupeſtris* ſiue *iaſpis*. Ordo ſecundus exhibet *calcareas petras*, quarum primo adducit *marmor*, cuius variae reperiuntur ſpecies vel *ſolubiles* vel *fixae*. Sequitur *ſpathum* varie comparatum, quod excipit *ſchiſtus*, cuius prima ſpecies nigra ſcilicet et friabilis ſat frequens in comitatu Mansfeldico et circa *Wettin*, *Löbegin*, *Giebichenſtein* etc. effoditur, vel cupri diues, vel lithantracibus ſuperimpoſita. Tertium ordinem conſtituunt *apyri* lapides, qui *micam* et *talcum* offerunt, in variis agri Halenſis regionibus varia ſub forma inuenienda. Claſſis ſecunda *mineras* ſiſtit, quarum ordo primus *ſalia*, *natrum*, *ſelenitem*, *nitrum*, *muriam*, *alumen* et *vitriolum* exhibet, quorum omnium ſpecies quaedam ex tractu Halenſi commemorantur, praeſertim vero fontium ſalinorum longa additur deſcriptio. Alter ordo *ſulphura* continet. Occurrit rariſſime quidem *ſuccinum opacum*, ampelitidi inhaerens, fruſtulis paruis circa *Dölau*. Bituminum ſpecies quoque inueniuntur. Aſphaltum rariſſime, carbones vero foſſiles frequen-

p. 1.

frequentiſſime in ſtratis prope *Wettin* maxima in copia effodiuntur et diuerſo reſiduorum cinerum colore differunt. Pyritarum lamellae lithantracibus Wettinenſibus inſperſae ſaepe occurrunt, nec deſunt pyritae cryſtalliſati diuerſae figurae. In ordine tertio, qui mercurialia exhibet, *arſenicum rubens cupreum* reperitur vulgo *Kupfernickel* dictum, ſchiſto cuprifero prope *Golwitz* immixtum. *Ferri mineras intractabiles* in ſinu ſuo fouet regio Mansfeldenſis; *cuprum* et *nudum* interdum, et *mineraliſatum*, praecipue vero *ſchiſtus cupri* in variis locis magna ſatis copia effoditur, qui in venis ſenſim in horizontalia ſtrata mutatis occurrit. Lithantraces quoque circa *Wettin* et *Eisleben plumbum particulis cubicis* fouent; ex ſtanni mineris vero nonniſi *corneus cryſtalliſatus* (*Schörl*) et *granatus* recenſentur, in agris paſſim obvii. Claſſis tertia enumerat *foſſilia*, ordoque primus *concreta* continet, et longum *ſaxorum* ſ. *lapidum diſſimilium* catalogum adfert. *Tophos* poſt ſaxa deſcribit, ad quos refert ſic dictos *zingiberites* eosque ſub forma varia occurrere in multis locis affirmat. Subnectit *Stalactitem* eiusque ſpecies et tandem *aetitem* addit, cuius aliae ſpecies embryonem terreſtrem fixum, aliae embryonem lapillulofum liberum recondunt et frequenter inueniuntur. *Petrificata* ordinem ſecundum huius claſſis efformant. Primo recenſet *helmintholithos*. *Madreporas* varias, *aſtroitas*, *milleporas*, *tubularias*, *alcyonia* cet. in notabili copia reperiri aſſerit, monet vero contra Cl. LERCHIVM ea omnia calcareae non ſiliceae indolis deprehendi. Teſtaceorum, in petras mutatorum, quoque multa copia effoditur et omne fere cochlearum concharumque genus petrificatum invenitur in agris Halenſibus, ex quibus prae ceteris nominanda erunt *nautilites*, *cornua ammonis*, *orthoceratiti recti*, *aſteriae ſingulae* et *columnares*, *belemnites* et quae ſunt id genus alia; inter conchitas vero

hyſtero-

hyſterolithus ſiliceus et *conchites anomius*, ab aliis *concha triloba* appellatus, notatu digna videntur, quem poſteriorem tamen non ad conchas, ſed ad cruſtacea animalia ignota adhuc pertinere et forſan inferiorem partem animalculi petrefacti ab Anglis *Dudley-ſtone* * nominati eſſe coniicere nobis liceat. *Echinitas* quoque et *mammillares* et *fibulares* et *faſtigiatos* reperiit Cl. Auctor, echinorumque varias in lapideam maſſam mutatas particulas. *Encrinum* addit prope *Ophauſen* effoſſum, rariſſime tamen hocce petrefactum in agris Halenſibus occurrere monet. Ex *Enthomolitorum* genere commemorat *carabi aurati thoracem cum elytris* in ſtalactite contentum, prope *Rothenburg* repertum. *Ichtyolithos* in ſchiſto exhibet copioſe comitatus Mansfeldicus, in marmore vero expreſſae piſcium imagines inueniuntur circa *Eſperſtaedt*. *Gloſſopetras* diuerſimode figuratos aliosque piſcium dentes circa *Ophauſen* et *Querfurt* occurrere monet. Refert ad *ornitholithos* petrefactum nidi auium in topho fuſco prope *Beichlitz* et *Zabenſtaedt*, quod tamen incruſtatis tantum non petrefactis annumerandum eſt. *Animalium quadrupedum* dentes et oſſa ſatis copioſe circa *Querfurt*, *Openhauſen*, *Eſperſtaedt* in petream maſſam mutata occurrunt. *Phytolithorum* omne genus lithantracibus vel tophis immixtum offert regio Halenſis in variis locis, et verum *lithoxylum* prope *Weſenitz*, *Dieskau*, *Querfurt*, *Halam* inuenitur interdum ſiliceum interdum cotaceum. Ex graptolithorum genere dendrites varii reperiuntur, quorum ea potiſſimum notari meretur ſpecies, quae in ſylua prope *Saltzmünder* inuenta fuit marmorea, coloris pallide flaueſcentis, arbuſculis nigris non ſuperficialibus ſed ſecundum omnem lapidis dimenſionem percurrentibus inſignita; ſtellis etiam ac punctis informibus picti lapides occur-

* vid. Tranſact. Philoſoph. Vol. XLVI ad 1750 No. 496 pag. 598.

occurrunt. Tertius ordo terras recenſet, quarum varias adfert Cl. Auctor ad margas, ochras, cretas, argillas, arenas et humum pertinentes.

In adiecta tandem appendice deſcribit Cl. Auctor cretae cuiusdam rariorem ſpeciem. Terra haecce calcarea ex zoophytorum teſtis comminutis orta in aggere piſcinae prope pagum *Nietleben* effoditur. Rudior alia, alia ſubtilior eius deprehenditur varietas. Vtraque conſtat particulis *farinaceo-aceroſis* non cohaerentibus, impalpabilibus, albis, inquinantibus, figurae, ſi obiter ſpectentur, inordinatae; leuiſſima eſt, aquae innatans, cum acidis efferueſcit et in iis ſoluitur. Lente vitrea viſa ſiſtit haec terra particulas difformes ex diffractis teſtaceis ortas, quae triplicis generis eſſe videntur, aliae enim cochlearum lacuſtrium, aliae tubulorum ſimplicium, dentaliformium aliae exuuias oſtendunt *. Adſunt quoque in hac terra corpuſcula minima, oui ſiguram referentia oblique ſtriata, quae in figura addita illuſtrat, et auctoritate b. ROESELII aſſerit eſſe peculiarem vermiculorum aquaticorum ſpeciem hucusque vere incognitam.

* Terram huic fere analogam in pago, Lipſiae vicino *Störmenthal* dicto, magna ſatis in copia inuenimus, quae innumeras comminutas teſtas continet, et ob inde ortam calcaream indolem ad agrorum fertilitatem augendam adhibetur, margaeque nomine ab oeconomicarum rerum peritis appellatur.

XI.

XI.

Abhandlung von der Verwandſchaft und Aehnlichkeit der electriſchen Kraft mit den erſchrecklichen Lufterſcheinungen entworfen von IOHANN FRIEDRICH HARTMANN 16 *Bog. in* 8. *nebſt* 1 *Kupfertafel, Hanover* 1759.

h. e.

Tractatio de ſimilitudine, quae inter vim electricam et meteora, ab igne et luce pendentia, deprehenditur auctore IOH. FRID. HARTMANN.

Ornauit hunc libellum Cl. KAESTNERVS praefatione, qua docet, quod, quos committere ſolent phyſici in eruendis naturae rebus, ſaepe viam ad veritatem errores aperuerint. Hanc praefationem excipit altera, ab ipſo Auctore conſtructa, vbi et inſtituti rationem declarat, et res, de quibus in libro ſuo exponit, generatim indicat. Tractationem quod attinet, tribus potiſſimum partibus continetur, praemonitis quibusdam, parte hiſtorica de experimentis electricis libero aëre inſtitutis, et phyſica, qua accuratiorem effectuum cauſſarumque, ad hanc electricitatem pertinentium, tradit explicationem nouem capitibus, 1. de materia electrica, quae nubibus fulmineis ineſt, 2. de fulgure eiusque variis formis atque figuris, 3. de apparitionibus electricis, quae turribus nauibusque obſeruantur, 4. de fulguris effectu, 5. de illis fulgurum generibus, quae ſupra infraque terram incenduntur, 6. de tonitru eiusque natura in genere, 7. de reſonantia tonitruum, 8. de reſonantium tonitruum effectibus, 9. de reliquis meteoris ab igne et luce pendentibus, quibus electrica indoles competit.

Non dubitamus gratiſſimum fore, ſi, quae Cl. Auctor ſincero veritatis ſtudio et modeſta in ſentiendo libertate propoſuit, cum lectore communicamus.

Cl. BENIAMIN FRANKLINVS primus fuit, qui materiam fulmineam, in terrae atmoſphaera natantem, eandem eſſe reperit cum electrica materia, vt videre eſt ex litteris, ab eo Philadelphiae ſcriptis et ad COLLINSONIVM miſſis; id, quod experimentis etiam mirifice comprobatum eſt. Poſtea eodem ſucceſſu hoc experimentum repetitum fuit in Gallia an. 1752 cum virga ferrea placentae piceae inſiſtente; deinde ab aliis quoque inprimis MONNIERO, NOLLETTO, WINKLERO, BOSE, LVDOLFO, VERRATO, RICHMANNO etc. quare non eſt, vt quis dubitet, vtrum electricitatis beneficio explicari debeant meteora ignea, nec ne.
p. 39. Inueſtigandum modo eſt, adſitne materia electrica in atmoſphaera telluris tanta copia, quanta ad efficiendum fulgur requiratur? Deinde, quo pacto fieri poſſit, vt materia electrica in aëre, velut alia corpora in materia electricitatem non propagante poſita, excitetur? Denique, qua ratione electricae
p. 44. materiae motus perfricando poſſit elici? Ex phaenomenis fulmineae tempeſtatis perſpicuum eſt, nubes, et tonitrua et fulgur producentes eadem materia contineri, quam adeſſe cognoſcimus in electricitate arte facta. Sunt vero eiusmodi nubes duplicis generis, aliae per ſe electricae, aliae non item
p. 46. electricae. Nubes per ſe electricae vapores complectuntur ad ignem electricum producendum idoneos, quique vel e terra vel mari euehuntur. Eiusmodi vapores aeri, tanquam corpori idio-electrico immiſcentur, hinc impeditur, quo minus electricitas diſpergatur. Vt aliis corporibus non electricis communicari poſſit haec electrica vis, aqueis

vapo-

vaporibus in aëre ſuſpenſis opus eſt. Ignis electricus et vulgaris cum vaporibus aqueis coniunctus efficit, vt aër, per eos diſtributus, ſe expandat et in ſublime properet. Particulae aquae ſe inuicem attrahunt, dum aëreae ſe repellunt. Si vaporum p. 52. aqueorum vis attrahens maior eſt vi repellente particularum aëris, humores confluunt et guttatim in terram delabuntur. Quodſi aër multis humoribus igneque electrico foecundus eſt, vno ictu ignis e nube prorumpit, efficitque fulmen cum ſonitu et ſtrepitu coniunctum. Hinc intelligitur, cur fulgur et tonitru eo loco, vbi plures adſunt montes, oriatur, quod ideo fit, quoniam nubes foecundae ad montes appulſae non modo humores ſuos dimittunt, ſed montes quoque ex ea, quae primum accedit, et ſimiliter ex altera, tertia etc. ignem electricum vaporum conflictu eliciunt; hinc fulgur, tonitrua et pluuia. Iam nubes ob pluuiam amittit ex parte corpora non electrica, remanente tamen aëre, qui ab alio aëre et ſimul a nubibus aqueis aliisque corporibus non electricis circumdatus vel cum his vel cum aliis rebus eminentioribus v. c. montibus, arboribus etc. electricam vim communicat, quare iterum fulgurat. Sed non ita neceſſarii ſunt montes, vt ſine eis nec fulgur neque tonitru exiſtere poſſit, nam iis quoque locis, quae ad planitiem expanſa ſunt, experientia docente, obſeruantur. Electrica enim nubes alteri, quae electrica non eſt, obuiam veniens ignem tradit, atque ambae aquam dimittunt et fulgur et tonitru excitant. Saepe p. 53. fulminea tempeſtate pluribus locis ſimul fulgurat, quod ſi contingit, plures nubes electricae ad alias non electricas appelluntur. Quae res quidem nemini mira eſſe vix poteſt, quoniam ſimile quid experimentis iam cognoſcitur, inprimis eo, quod a Cl. MVSSCHENBROEKIO nomen habet, cuiusque rationem et modum inſtituendi Cl. WINKLERVS

tertia

tertia parte tentaminum electricorum memoriae prodidit. At, cum hoc experimento, ea lege, qua praeſcriptum eſt, inſtituto, facile accidere poſſit, quo minus exoptato euentu ſuccedat, aliud mente excogitauit Cl. Auctor quod ita ſe habet: ſumſit quadraginta globos trilibrales ferreos, qui ad tormenta bellica, vt appellant, inſtruenda, adhibentur, eosque poſuit in orificiis calicum vinariorum ex vitro paratorum. Hos calices in tabula lignea ſatis eleuata ita ſtatuit, vt vnus ab altero eodem, iuſto tamen, interuallo diſtaret. Cum primo globo ex ferro confecto, vt iam monuimus, connexus erat globus aeneus intus cauus, cuius dimetiens trium digit. fuit, huic affixa erat catenula ex filis orichalceis connexa, tum experimenti Muſchenbroekiani ope nouem lagenis adhibitis et huic ſphaerae aeneae et reliquis globis ferreis electricam vim communicauit. Extremum quoque globum ferreum copulauit, cum eiusmodi globo aeneo intus cauo, qui in diametro ſex digitos habebat, vna cum catena ad nornam erecta. Quibus rite ordinatis electricam materiam more conſueto excitauit, et non ſine admiratione percepit aridum ſonum atque fragorem continentem, totque ſcintillas ſtridentes vidit, quot globi aderant; luminis vero apparitiones ordinem calicum ſequebantur, maxima tamen celeritate. Cum haec omnia ex voto ſuccederent, calices vitreos vna cum globis ferreis ad modum ſinuoſorum et anfractuoſorum ductuum ſtatuit in tabula aliqua, quae ope trochleae et eleuari et deprimi ad lubitum poterat. Excitata materia electrica, vt ante, vidit eiectas cum crepitu ſcintillas ſequi eosdem ductus anfractuoſos et ſinuoſos, quae in fulmine incenſo apparere ſolent. Poſtea loco globorum ferreorum ſumſit oua gallinacea ſatis magna, vbi praeter ſcintillas fragrantes, quas emittebant haec oua in vniuerſum omnia, tanquam

tanquam ignea et egregie ſplendentia, non ſine iucundo ſpectaculo, conſpiciebantur. Decem vel duodecim globis ferreis vel ouis idem experimentum repetiit exoptato ſemper euentu et cum effectu.

Aeſtatis tempore fulmineae tempeſtates longe frequentiores ſunt atque vehementiores, quam alio tempore, nam calore ſolis aer maxima velocitate in amplum ſpatium diffunditur, et cum paullulum calor ceſſet, denuo comprimitur; quod cum haud ſine aëris particularum frictione fieri poſſit, aër vero ad corpora per ſe electrica pertineat, neceſſe eſt, vt tali frictione fluidum, quod complectitur aër, electricum excitetur. Adſunt quoque aeſtatis tempore eiusmodi vapores electrici maiori copia. Fulguris forma et figura varia eſt, mox curua et vnduloſa, mox falcata; ſaepe ſinuoſos ſequitur ductus. Interdum accidit, vt ſerpentinae lineae aſſimiletur; ſaepe quaquauerſum ſe expandit; quae quidem fulguris apparitiones omnes pendent a copia, ordine et ſitu nubium cum per ſe electricarum, tum non electricarum. Ad loca editiora eminentioraque nubes fulmineae ſaepe appelluntur, hinc fit, vt a fulmine libera non ſint. Quam ob rem periculoſum eſt tempeſtatis fulmineae tempore a pluuia aliisque incommodis ſub arborum elatiorum frondibus ſe liberare velle. Fulgur in plano ingreditur veſtem pluuia madefactam, ſi vero ſicca eſt, in corpus; glis enim aqua imbutus ope experimenti muſchenbroekiani enecari non potuit. Vehementia et poteſtas fulguris a duabus pendet cauſſis, primum a corporibus partim electricis partim non electricis, ſatis tamen magnis; deinde ab intervallo horum corporum, nam quo maius hoc eſt, eo efficacius et craſſius, producitur fulmen.

p. 63.

p. 70.

p. 80.

p. 91.

Interdum flammula aliqua in acuminatis rebus conſpicua eſt, vt in virgis ferreis ex aedium acumine erectis, in turribus et malis aut funibus nauium;

quod

quod ideo fit, quia cuſpides corporum metallicae ita comparatae ſunt, vt electricam materiam attrahant, colligant lumenque electricum efficiant. Fulmen varia corpora diſcutit et confringit hac ratione: electricae nubes quando ad alias non electricas, vel ad res in ſublimi poſitas accedunt, non modo fulmen generant, ſed percutiuntur etiam, atque corpora quibus communicata eſt electricitas, terebrantur. Quandoque fulmen corpora rariora, ſi contigua adfuerint denſiora, ſine noxa tranſit;
p. 121. quae res, cum magnam affinitatem habeat cum electricis tentaminibus, ita ad electricam rationem commode exigi poterit. Nam partes illorum corporum, vbi electricum fulmen oritur, motu ita excitantur, vt tanto maiori impetu id fiat, quanto vehementius exiſtat fulmen. Rariora vero corpora fulmine non afficiuntur, ex eadem cauſſa, qua glans plumbea tenui papyro firmiter obducta ad candelam admota liqueſcere incipit, illaeſa tamen papyro. Atque mollium corporum partes non ita mouentur, calefiunt et reſiſtunt, quam illae, ex quibus metalla conſtant. Porro ſcintilla electrica, quae in metallum irrumpit, continet materiam ad metallum pertinentem, quod itaque funditur, dum haec materia exquiſite ſoluta incredibili celeritate regreditur, metallumque integre penetrat, particulas ſoluit et disiungit. Contra electricae partes corporum metallum ambientium v. g. corii, ligni, papyri, quamquam ſolutae et diffuſae, tamen non ita tenues et ſubtiles ſunt, vt regrediendo in ſuum corpus partium cohaeſionem diſſoluere valeant.

p. 129. Inprimis ſunt iſta fulmina admiratione digna, quae homines et animantia reliqua vno temporis articulo ſine vlla in corpore nota conſpicua enecant. Huius rei plures quidem poſſunt eſſe cauſſae, quarum praecipua tamen eadem eſt, quae in electriſato corpore conquaſſationem efficit, quippe electrica

materia,

materia, cum ſcintilla edita ſit, emanat contrario ſenſu atque effluuia ſibi occurrunt. Iam, cum cauſſae haec effluuia mouentes pares ſint et aequales, ſequitur, vt haec effluuia ſibi obuiam venientia aequali tempore aequale ſpatium deſcribant et occurſus in pectoris medio fieri debeat. Hinc mirum non eſt, ſi in ea corporis parte, quae valde tenuis eſt, et ſubtiliter fabricata, pulmones puta, eiusmodi perniciales effectus exiſtant.

An terrae motus omnes electricitatis beneficio p. 148. poſſint explicari, magna quidem eſt quaeſtio, placet tamen Cl. Auctori rationem et cauſſas in ea quaerere; quare, ad confirmandam rem primo, quae terrae motum antecedunt enarrat, deinde phaenomena tradit cum ipſo terrae motu coniuncta et copulata.

Fulmina interdum in ipſa terrae ſuperficie, p. 154. naſci videntur, huius phaenomeni cauſſa haec eſſe poteſt: Eo tempore, quo fulminat, adſint nubes fulmineae neceſſe eſt, nunquam enim exiſtit et inflammatio et fragor in ipſa terrae ſuperficie, niſi eiusmodi nubes e vertice appareant. Ergo ſine omni dubitatione fulmen eiusmodi loca in terra appetit, vbi nutrimentum aliquod capere poſſit. Quanquam fulgur non ſemper coniunctum eſſe ſolet fragore aliquo atque tonitru, tamen cauſſa eſt fragoris, vbi ſaepe fit, vt materia coarctata, compreſſa et ab electrico fulmine incenſa ex atmoſphaera in terram labatur, quam Cerauneum vel lapidem fulminarem, vulgo appellant. Sunt et alii quidem lapides v. c. Lyncis, Belemnitae, Lyncurii etc. qui fulmini tanquam cauſſae attribuantur, ſed fabulis adnumeranda res eſt. Quidam ceraunei ſeu lapides fulminantes ad ſcorias pertinent, quae tum, cum fulmen res tangit et fundit, in eis efficiuntur. Fragores vel ſimplices ſunt, vel multiplices et repetiti. Simplices vna cum fulgure et oriuntur et deſinunt, p. 193. ſimilesque ſunt eis, quos tormenta bellica excitare ſolent;

ſolent; raro tamen audiuntur. Tonitru ex tot ſonis compoſitum eſt, quot fulgura ſe inuicem excipiunt, eademque celeritate vnus ſonus alterum ſequitur, qua fulmen vnum alterum producit. Itaque vehementer falluntur, qui ſibi perſuadent, durationem fragoris omnem a montibus circumſectis eſſe deriuandam; quodſi verum eſſet, ſequeretur, omne tonitru, ex vno et ſimplici ſono conſiſtere, totque montes requiri, quot reſonantes fragores perciperentur, quanquam negari non poteſt, quod, qui in vallibus reſonant fragores,
p. 216. ſatis bene tonitrui ſonum imitentur. Inſignis quidem eſt fragor ille, qui fulminea tempeſtate auditur, eumque longe ſuperat, quem per electricitatem excitamus, ſed mira res non eſt, nam ſi electrici radii arte producti dimetiens eſt vnius lineae, erit fulguris diameter ex eadem ratione trium pedum, itaque motus fulmineae materiae erit ad motum electricae materiae artificialis, vt 27000000 ad 1. Interdum fulminat, cum coelum ſudum et ſerenum ſit, nullo fragore percepto, cuius phoenomeni ratio haec reddi poteſt; etiamſi coelum ſerenum appareat, tamen multum aquae in aëre ſuſpenſum haeret, quod cognoſcitur ex eo, quoniam nonnunquam pluere ſolet nullis adparentibus nubibus, ergo adſint neceſſe eſt in atmoſphaera humores aliique vapores inconſpicui quidem, tamen ad fulgur generandum idonei. Illi igitur vapores aeri innatantes, qui electricam vim habent, dum aliis non electricis obuiam veniunt, efficiunt, vt eius-
p. 230. modi fulgura ſine fragore oriantur. Cum his fulguribus conueniunt quoque alia meteora ab igne et luce pendentia, veluti ignis f. draco volans, ſtellaeque cadentes. Vapores enim inflammabiles ſimili ratione vt puluis pyrius, ſpiritus vini, quinta eſſentia vegetabilis etc. electrico igne accenduntur. Atque magnam etiam affinitatem habet bolus vel

globus

globus ardens rapidiſſime per aërem delatus cum cono illo lucido in pertica quadam apparente, quem Cl. VERRATVS, MATERVCCIVS et BORELLVS, Bononiae in obſeruatorio viderunt fulmineo tempore. Sunt eiusmodi globi vel tantum lucentes ardentesque, vel lucentes et cum fragore diſſilientes. Supereſt aurora borealis, qua in explicanda naturae indagatores valdopere inter ſe diſcrepant. Cl. Auctor vt hactenus plurima meteora ignea declarauit ex electricitate, ita omnem operam nauat, vt hanc borealem lucem ad electricam rationem exigat. Duas inprimis cauſſas huius phaenomeni eſſe ſtatuit, alteram materiam quandam phoſphoraſcentem, quam appellant, vnde tremores vaporum inflammatorum originem caperent; alteram deinde electricam quandam materiam, ex qua fulmina illa et fulgura eſſent deriuanda. Adeſſe autem talem materiam electricam, colligit Cl. Auctor partim ex inflammationis indole, quae vno tantum ictu, vt in fulgure adſpectabilis eſt, et euaneſcit; partim ex eo, quia lumen boreale aequinoctiorum tempore inprimis, aequinoctio autumnali frequentiſſime, conſpicitur, quo vapores ad fulmineam materiam generandam idonei maxima copia e terra vehuntur.

XII.

De Lucenſium thermarum ſale tractatus Auctore IOSEPHO BENVENVTO, Ph. ac Med. Doct. Societat. Imperial. Germ. ac Reg. Goetting. Collega. Lucae 1758. Excudebat Ioſeph Salani, 8. pl. 3 ſine praefat.

Quum, referente Cl. Auctore, nullus ſcriptorum, qui Lucenſes thermas expoſuerunt, huius ſalis naturam ac indolem ſcrutatus eſſet, Cl. BENVE-

p. 2. NVTVS, hunc ipſe in ſe ſuſcepit laborem. Docet igitur primo modum, quo hic ſal paratur atque coquitur: quod fit, ſi aeſtiua tempeſtate radiis ſolaribus, hiemali vero leuiſſimo igni aqua thermalis exponitur, et quando cuticula in huius ſuperficie adparet, in locum frigidum collocatur, et cryſtallorum expectatur ortus. Ex libris decem aquarum balnei calidi (*vulgo del d'occione*), hac vſus methodo, ſcrupulos nouem cum ſeptendecim granis ſalis accepit. Reliqui adiacentes fontes, quos Cl. Auctor omnes nominat, plus vel minus eiusmodi exhibuere ſalis. Sal autem tali modo paratus non purus, ſed cum quadam adhuc mixtus eſt terra, cuius naturam potius *lapidoſam*, quam *bolarem*, *argilloſam*, vel *calcariam* dicit: poſcit enim, vt calcaria terra mercurii ſublimati ſolutionem flauo colore imbuat, quod cum illa terra minime accidit. Et
p. 7. ſic de ceteris qualitatibus. Rectius igitur illam margae albae, vel agarico minerali adnumerari autumat: id quod ex nonnullis illi adhaerentibus pro-
p. 11. prietatibus probare conatur. Separata deinde rite terra a ſale in praedicta ſalis quantitate ex aqua balnei calidi acquiſita, reperit illius terrae ſexaginta duo grana, reliquam vero partem ſalem purum
p. 15. fuiſſe ſuſpicatur. Idem cum ceteris, ex reliquis fontibus remanentibus mixturis fecit, et variantem proportionem terrae et ſalis inuenit. Progreditur ad ſalis examen; hunc cum ſpiritu vitrioli permiſcet, et leuem obſeruat efferueſcentiam, quae in permiſtione cum oleo tartari prorſus abeſt, lacteus enim color tunc animaduertitur. Plumbi ac argenti tincturae cum ſpiritu nitri paratae, ſal iſto ſaturatae, albeſcunt. Crucibulo hic ſal inditus et igni vehementiſſimo per bihorium expoſitus, neque, quod mirum, fuſus fuit, neque in calcem aut vitrum mutatus. Sal vero ſic coctus ac toſtus et in aqua rurſum ſolutus, elegantiſſimas

exhibet

exhibet cryſtallos, quae tamen non diu durant, ſed in puluerem faceſſunt. Ex his Cl. Auctor concludit, ſalem, e thermis Lucenſibus coctum, medium p. 21. vocari poſſe, atque a ceteris ſalibus, qui e celebrioribus thermis parantur, non differre. Et quamuis, dum ſupra memorata experimenta, quibus indoles neutra huius ſalis euincitur, inſtituerentur, interdum indicia ſalis alcalini exhiberet, e mediorum claſſe ideo non excludendum eſſe, quia hoc propterea eueniret, quod alcalinae moleculae minus cum acidis cohaererent. Expoſita ſalis natura ad eius- p. 23. dem effectus in corpus humanum tranſit. Qui igitur ab aliis ſalibus neutris praedicantur, hos merito expectat a ſuo ſale Cl. Auctor. Laudat illum imprimis in morborum curatione, qui a viſcidorum crudorumque humorum in ventriculo ac primis viis haerentium ſaburra proficiſcuntur; porro in obſtructionibus et viſcerum infarctu, vbi praeſertim ſolida roborare neceſſe ſit. Incipientem etiam hydropem hunc ſalem curare obſeruauit, vbi ſcilicet lymphatica vaſa nondum diſrupta erant. Conducit p. 29. quoque nephriticis affectionibus, reliquisque morbis, qui vrinae meatus affligunt, praecipue quum a viſcidis tenacibusque humoribus, arenulis et calculis ortum ducunt. Hac occaſione aliquot pericula circa calculorum diſſolutionem facta recenſet, quo magis virtus ſoluendi calculos ex hiſce cognoſceretur. Enarratis cum calculi fruſtulis factis experimentis, quae cum illis a Cl. SPRINGSFELD cum aqua thermarum Carolinarum inſtitutis, et a nobis * recenſitis, multum conueniunt, inde colligit, ſalem Lucenſem in aquis rurſus ſolutum, omnino diſſoluere calculos, hinc in calculo affectis multum eſſe effecturum, praeſertim ſi aqua thermalis ſyringae ope ſimul in veſicam iniiceretur. Plures adhuc morbos refert Cl. Auctor, quibus ille ſal mede-

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. III. p. 541.

medetur, quare et aquas huius ſalis additione ſtimulare, earumque vim pro morborum conditione augere ſuadet. Verum enim vero non ſali ſolum, ſed etiam terrae, qua cum ſal permiſtus eſt, ſingulares attribuit effectus. Inter quos primarii ſunt, ſolidorum debilitati mederi, acidum abſorbere, et
p. 41. humorum acrimoniam demulcere. Non ignorat Cl. Auctor plurimos ſcriptores terreis remediis tantum facultatem aciditatem corrigendi in primis viis concedere, et illa ad ſanguinem per vaſa lactea deferri negare. Sed his opponit Cl. HAMBERGERI ratiocinia, quibus contrariam ſententiam in Diſſert. *de modo agendi terreorum*, ſtabilire adniſus eſt: ſed et ad Cl. FLORIDI de PLVMBIS experientias, qui in Diſſertat. *de Font. Nucerianis* probavit, ſe neque in ventriculis, neque inteſtinis animantium, poſtqam terram illam Nucerianam deglutiiſſent, nihil eiusmodi terrae reperiſſe. Adducit tandem exemplum matronae, inueterato fluore vterino laborantis, quae quatuor vnciis huius terrae ſenſim deglutitis perfecte ſanata fuit.

Prodiit etiam libellus de ſale thermarum Lucenſium patrio idiomate a Cl. Auctore conſcriptus *, et acceſſit epiſtola ad Doctorem AGOSTINI, Praepoſitum Templi Cathedralis Aglienſis, directa, in qua vires medicae diuerſorum fontium Lucenſium in variis morbis breuiter indicantur, et Cll. Vir. DVCCINI et ZANTECVRI, ſcripta de his aquis, quae circa initium huius ſeculi prodierunt, diiudicantur.

XIII.

* Del ſale delle aque termali di Lucca Trattato di GIVSEPPE BENVENVTI Dott. di Med. cet. Con vna lettera in cui ſi deſcriuano le infermita nelle quali conuengono le medeſime acque, in Lucca 1758. 8 cum indicibus p. 104.

XIII.

Vermiſchte Schrifften aus der Naturwiſſenſchaft, Chymie und Arzneygelahrheit. Franckfurt an der Oder, bey Siegmund Goebler, 1759. 8. *Alph.* 1 *Bog.* 7.

h. e.

Commentationes varii argumenti ad phyſicam, chemiam et artem ſalutarem ſpectantes etc.

Laudandus hic labor eruditus, qui in vſum phyſices, chemiae et medicinae inſumitur, variorum argumentorum, ad dictas ſcientias ſpectantium, collectionem exhibet. Editorem huius diarii Cl. FRIDERICVM CARTHEVSERVM, Med. Doct. eſſe, ex praefatione, eundemque virum in chemia, mineralogia et arte medica praeſtantiſſimum haberi, ex aliis, ab ipſo erudite conſcriptis opuſculis diu iam animaduertimus. Ad ipſius inſtituti rationem, quod attinet, non ſolum elaborationes, vernacula noſtra, ſed et alias alia lingua conſcriptas et in vernaculam translatas, diſſertationes porro Francofurti editas et nonnulla demum ſcripta, nouiſſime edita, ſummum locum in hac collectione obtinere, deprehendimus. Vt itaque lectores noſtri de praeſtantia huius diarii certiores fiant, ſpeciminis loco nonnulla hinc inde decerpere liceat.

In parte prima agitur,

1. *De gradibus affinitatis inter ſales alcalinos fixos nonnullasque alias materies.* p. 6. Doctrinam de affinitate corporum, cuius veſtigia hinc inde apud chemicos, multis abhinc annis claros, deprehendimus, primus omnium Cl. GEOFFROY, vir in arte medica et inprimis chemia et materia medica quondam peri-

 tiſſimus,

tiſſimus, in ſyſtema redegit, tabulam de ea exhibuit, inque hac ipſa ita rem expoſuit, vt vno quaſi intuitu diuerſi affinitatis gradus cerni et apprehendi poſſent. Quemadmodum autem nunquam res inuenta ab initio, vt perfecta ſtatim et abſoluta, haberi poteſt, ita etiam et haec de affinitate corporum doctrina comparata eſſe videtur. Licet enim tabula illa, quam laudatus vir exhibuit, optima ſuo tempore aeſtimata fuerit, multum tamen augmenti a chemicis, noſtro tempore peritiſſimis, accepit, ita tamen, vt multa adhuc ſuperſint, quae forte a poſteris addi et emendari poterunt. Praeſens commentatiuncula, quae ad amplificandam iſtam doctrinam aliquid confert, affinitatem ſalis alcalini fixi cum aliis corporibus commemorat, quae perfectior eſt, quam illa, quae in tabula, a Cl. GEOFFROY edita, continetur. Iſte nimirum vir affinitatis gradus inter dictum ſalem et alia corpora ita conſtituit, vt primo acidum vitriolicum, dein nitroſum, porro acidum ſalis communis, tum acidum aceti et tandem ſulphur ſe inuicem exciperent. Noſter autem, plurium corporum meminit, quae cum alcalino ſale fixo affinitatem habent. Gradus, quos huius viri experientia ſtabiliuit, ſequentes ſunt: amant nimirum coniunctionem, cum alcalino ſale fixo: 1. Acidum ſalis natiui vrinae. 2. Acidum vitriolicum. 3. Acidum nitroſum. 4. Acidum ſalis communis. 5. Acidum ſulphuris volatile. 6. Acidum aceti. 7. Acidum tartari ſeu cremor eiusdem. 8. Tandem ſulphur, ſal ſedatiuus ex borace obtinendus, oleum aethereum, oleum vnguinoſum, antimonium, arſenicum, ferrum et cuprum, quae vltima, reſpectu ſeptem priorum, debiliorem amicitiam, cum ſale alcalino fixo alunt et a quolibet ſeptem priorum facili negotio ſeparari ſuique iuris fieri poſſunt. Quamuis autem ſal ſedatiuus et arſenicum, ſi cum

nitro

nitro aut ſale communi miſcentur magnoque igne vrgentur, acidum nitroſum et ſalis communis ab alcalino ſale ſeiungant et maiorem inde affinitatis gradum, quam memorata acida, cum ſale fixo habere videantur, hanc tamen anomaliam minime verum, ſed ignis tantum effectum eſſe et definitum proinde gradum affinitatis inter ſalem ſedatiuum aut arſenicum et ſalem alcalinum fixum neutiquam tolli, conſiderate Noſter monet.

2. *De effectibus medicis granorum chermes.* Haec grana, quae corporibus regni animalis accenſentur, ex aequali fere portione partium gummoſarum et reſinoſarum conſtant et virtute tonica ſeu leniſſime adſtringente pollent. Quae quidem virtus ita ſe habet, vt textum fibrarum firmando has neque rigidas neque immobiles reddant neque etiam ſecretiones, motus et excretiones humorum impediant, ſed potius promoueant. Multo etiam ſecurius adhibentur, quam alia, quae olea aetherea et partes balſamicas aromaticas in mixtione fouent, quibus autem illa omnino carent. Hinc ea optimo cum ſucceſſu in illis propinantur morbis, qui a debilitate ſeu relaxatione ſolidorum et inprimis neruoſarum ac membranoſarum partium dependent, quorſum v. g. memoriae imbecillitatem, vertiginis quasdam ſpecies, epilepſiam idiopathicam aliasque conuulſiones, hypochondriacum malum, ventriculi debilitatem et haemorrhagias, nullis aliis remediis obedientes, referas. Quod ad vſurpandi modum attinet, grana iſta in ſubſtantia aut ſuccum eorum recentium expreſſum, vel per ſe, vel cum ſyrupis balſamicis et pulueribus exhibere, praeſtat. In liquida forma ſpiritus nitri dulcis, qui ex vna parte ſpiritus nitri fumantis et quindecim aut ſedecim partibus ſpiritus vini rectificatiſſimi paratur, optimum menſtruum hic praebet et remedium dein largitur, cui praeſtantiſſima ineſſe virtus dicitur. p. 22.

In parte II deprehenduntur,

p. 83. 1. *Meditationes et obſeruationes de liquore nectarii plantarum.* Hic liquor examinatus magnam cum melle apum ſimilitudinem oſtendit et eandem mixtionem easdemque partes conſtituentes, quae in melle reperiuntur, habet. In vtrisque enim principium ſaccharinum cum pinguibus inprimis mucilaginoſis et aquoſis partibus mixtum eſt, ita tamen, vt in liquore nectarii maior copia aquae, quam in melle, reperiatur. De caetero experimenta inſtituta eadem phaenomena in hoc liquore, quam in melle, demonſtrant. Quocirca liquorem iſtum mel natiuum eſſe et in apibus aquoſa parte orbata firmiorem et tenaciorem tantum mixtionem obtinere ideoque a melle, reſpectu partium eſſentialium, neutiquam differre, colligitur. Sed quem in finem iſte ſuccus plantis datus eſt? Anne iſte ſingularem in plantis vſum praeſtat multumque ad promouendum floris incrementum aut ſeminis fructificationem confert? Plurimi quidem botanicorum ſententiae iſti fauent; cum vero Noſter, tentamina hunc in finem fecerit et nectaria in napello, dum in flore fuit, ſollicite auulſerit neque vllam mutationem in floribus et fructificatione obſeruauerit, iſtum proinde ſuccum, dictam ob rationem, plantis conceſſum non eſſe, eundemque potius vt partem ſecretam, vſui plantarum non deſtinatam, ſed in vſus hominum aut ad alendas apes a Creatore plantis datum eſſe, arbitratur. Quaeritur autem, an iſte ſuccus in plantis venenatis venenatam pariter indolem ſemper habeat, aut eam neceſſario adeſſe oporteat. Id negandum prorſus eſſe, Noſter exiſtimat, cum plures dentur plantae, quae non in omnibus partibus eandem indolem venenatam oſtendant imo potius ſalutarem exhibeant. Pariter etiam quaeſtionem, num plantae nectaria, a petalis diſtincta, habentes pro venenatis ſemper, vt Cl.

LIN-

LINNAEVS tradit, habendae ſint, negandam eſſe, autumat. Vix enim indoles plantarum ex interiori earum ſtructura detegi poterit, ſiquidem plantae reperiantur, quae quoad ſtructuram maxime conueniunt et multum, ratione effectus a ſe inuicem diſtant. Verum quidem eſt, multas plantas, quarum hanc ob rem mentionem fecit Cl. LINNAEVS, venenatas eſſe, nonnullas tamen, quas pariter venenatas cenſuit, ſalutares in corpore effectus praeſtare et multas adeo, nectaria a petalis diſtincta gerentes, innoxias eſſe, obſeruationes et experimenta hinc inde ſatis ſuperque euincunt.

In parte III agitur,

1. *De modo agendi et virtutibus medicis ſalis ſedatiui.* Cum ſic dicto ſali ſedatiuo, ope acidorum ex borace ſeparato, virtus anodyna et antiſpaſmodica a nonnullis hinc inde aſſignata ſit, vera autem eius virtus, ob parcum hactenus vſum, nondum plane conſtet, dignus ea propter iſte ſal cenſetur, qui diſquiratur, quo deinde aſſignatae iſtae vires pateſcant. Cum itaque dictus ſal, vt experimenta probant, in aqua tepida facile ſolubilis ſit, magna inde cum probabilitate colligendum eſt, eum etiam a ſuccis ventriculi et inteſtinorum facile ſolui; hinc a ſale iſto, cum ad ſecundas vias duci facile queat, non adeo magnam aut ſenſibilem in dictis viſceribus mutationem produci, Noſter autumat. Aſt in ſanguinem eum tunc demum agere ex figura eius facile augurari poſſumus. Conſtat nimirum iſte ſal ex cryſtallis teneris aculeatis, quae ab aqua quidem ſoluuntur, ſed non niſi in moleculas ſimilares, id eſt, tales, quae eadem figura, in maioribus conſpicienda, praeditae ſunt, diuiduntur. Quo circa ſal iſte, ob memoratam figuram, craſſum viſcidum et haerentem ſanguinem incidendo reſoluit, quae reſolutio eo magis expectanda foret, cum ſal iſte, p. 163.

 per

per vaſa ductus, latera eorum ſtimulando, ad viuidiores contractiones diſponat. Inde ergo obſtructiones, a viſcido atque tenaci ſanguine pendentes, tolli, atque eo ipſo calorem febrium praeter naturalem nec non deliria, poros cutis aperiendo perque hos materiem inflammabilem explicatam eliminando minui ideoque ſanguinis circulum pacatiorem et aequabiliorem reddi, ſequitur. Cumque etiam ſpaſmi dolorifici ſaepe ab eadem hac cauſa proueniant, ratio itidem patet, cur dicto ſali antiſpaſmodica et ſedatiua virtus adſcribenda ſit. Eandem hanc virtutem aliam etiam ob rationem ſali iſti tribuendam eſſe, experimenta iterum probant. Haecce nimirum, ſales alcalinos volatiles eo ipſo obtundi et in actione ſua mutari, oſtendunt, vnde colligendum eſt, quod, ſi dolor ab acrimonia alcalina volatili, vt fieri ſaepe ſolet, dependeat, ſal iſte acrimoniam iſtam obtundendo dolorem tollat inſimulque, ob eandem etiam rationem, ſales nimirum alcalinos volatiles inuoluendo, ſal iſte in febribus malignis optimo cum ſucceſſu exhiberi poſſit. Sub forma pulueris aut, quia facile ab aqua ſoluitur, in potionibus ad ſcrupulum vnum tuto eum exhiberi, vel etiam in morbis, absque febre, in ſpiritu vini ſolutum ad guttas 50 vel 60 propinari, vtilis haec commentatio ſuadet.

p. 182. 2) *De ligno bituminoſo circa Francofurtum ad Viadrum effoſſo.* Hoc lignum in fodina, vbi lithantraces effodiuntur, in magnis fruſtis repertum eſt, cuius textura, ſecundum longitudinem fibroſa eſt et cum ea conuenit, quae in quercino aut abietino ligno animaduertitur. In nonnullis fruſtis cortex adhuc conſpicitur. Color eius ex nigro fuſcus eſt, inque ſuperficie hinc inde peregrinum, quid adhaeret. A lithantracibus pondere diſcernitur, quippe quod in illis maius eſſe ſolet. Igni admotum lignum flammam facile concipit et in cineres

cineres teneros ex rubro flauos ſenſim reducitur. Fumus, qui ex accenſo exit, ingratum bituminoſum, vt lithantrax, ſpargit odorem, cum quo ligni inſimul accenſi odor mixtus eſt, qui eo inſuper manifeſtatur, quod oculos irritet et lachrymas alliciat. Hoc lignum verae vegetabilis proſapiae et violentis cauſis, inundatione v. g. eo delatum eſſe optima cum probabilitate ex dictis notis characteriſticis coniiciendum eſt.

3) *Obſeruationes de terra oleis immixta.* Terram p. 191. copioſam in oleis vegetabilibus et mineralibus contineri, varia phaenomena oſtendunt; ipſam autem hanc terram indolis calcareae eſſe, experimenta cum hac ipſa et oleo vitrioli inſtituta confirmant. Si namque oleum terebinthinae cum oleo vitrioli miſcetur et digeritur, poſthac aqua affunditur et euaporatur laborque, hic aliquoties repetitur, materies ſpiculis, argenteo nitore ſplendentibus conſtans, obtinetur, quae terram ſeleniticam aut compoſitum gypſeum ſiſtit. Quodſi nunc materies iſta cum lixiuio alcalino miſcetur, acidum materiem iſtam relinquit et lixiuio ſe aſſociat, et terra calcaria fundum petit. Inde terram hanc vere calcariam eſſe colligitur, cum notum ſit, quod terra quaeuis, quae ope acidi vitriolici in gypſum mutatur, calcareae indolis ſit.

5) *De corporibus inflammabilibus regni mineralis.* p. 216. Omnia corpora inflammabilia, quae regnum minerale hactenus ſuppeditauit, ad duas tantum claſſes, ad bitumina nimirum et ſulphura retulerunt. Hic autem trium corporum mentio facta eſt, quae neque ad hanc, neque ad illam claſſem referri poterunt, ideoque peculiares claſſes conſtituere videntur. Primum corpus ſingulare ſiſtit illa materies, quae in Fionia anno 1736 et 1740 ex mari extracta eſt. Dicta materies, ſeuo ſimilis, aquae innatat

inque

inque oleo amygdalarum calido et ebulliente, ſpiritu vini tartariſato ſoluitur, tenaci aliqua portione relicta. A bitumine iſta et ſulphure in eo differt, quod accenſa alium, ac illa, ſpargit odorem et, poſt deflagrationem, materiem ex nigro fuſcam, nec inflammabilem, nec fundendam relinquat. Hinc ſingulare corpus, ſeui mineralis nomine inſigniendum, eſſe dicitur. Alterum corpus exhibet balſamum iſtud natiuum, de monte Benna ſeu Bonna in Perſia manans, cuius Cl. KAEMPFERVS meminit. Hoc nigrum, viſcidum, inodorum inſipidumque eſt, in aqua facile ſoluitur et in deſtillatione praeter phlegma et ſpiritum, ſub forma vaporis conſpiciendum, oleum demum craſſum, nigrum, inodorum et acre largitur, quo inprimis et, quod quoque in aqua ſolubilis ſit, a bitumine et ſulphure differt. Tertium demum corpus inflammabile iſtud, argillae immixtum et ope lixiuii alcalini fortis ſeparatum, principium eſt, quod a ſulphure in eo diſcrepat, quod foetido illo odore, quem ſulphur in alcali ſolutum habet, careat; a bitumine autem, quod cum nitro mixtum et deflagratum bituminoſi nihil quidquam exhibeat.

In parte IV, occurrit

p. 243. 1) *Diſquiſitio, num coloratae terrae bolares acidum vitriolicum contineant?* Licet plurimi hactenus in dictis terris acidum vitriolicum aſſumſerint, Auctor tamen anonymus ob experimenta quaedam, hanc ob cauſam inſtituta, ſententiae iſti non fauet. Cum enim dictae terrae deſtillatione et decoctione cum aqua nullum acidi veſtigium praebuerint, neque etiam, cum lixiuio alcalino coctae aut cum ſiccis ſalibus alcalinis mixtae et per aliquot tempus in crucibulo ignitae, poſtmodum elixiuatae tartarum vitriolatum exhibuerint, acidum proinde vitriolicum in dictis terris prorſus non deprehendi, colligitur.

2) *Me-*

2) *Meditationes de ſale quodam medio.* Si quando liquor iſte acidus, in deſtillatione ſpiritus nitri dulcis remanens, cum lixiuio, ex ſoda parato, ad ſaturationem vſque miſcetur, filtratur et euaporatur, tenerae octaedrae obtinentur cryſtalli, nudo oculo vix deſcernendae. Hae, prunis iniectae, diſſiliunt quidem, ſed non ſcintillant, et in oleo vitrioli absque vlla efferueſcentia, ſpuma tantum oborta, ſoluuntur, ſapore, vt tartarus vitriolatus, amaro gaudent, ſed hoc ipſo facilius citiusue in aqua ſoluuntur. Salem hunc, absque vllo dubio, virtute reſoluente, aperiente et refrigerante praeditum, tartaro vitriolato aut arcano duplicato ſubſtituendum aut, ob ſolubilitatem, anteponendum eſſe, huius commentationis Auctor arbitratur. p. 254.

3) *Commentatio phyſica et anatomica, cur hepar in infante pro proportione maius eſſe ſoleat, quam in adulto.* Auctore Cl. HARNISCH. Voluminis iſtius cauſae ſequentes adducuntur: In hepar nimirum infantis et inprimis foetus plura, quam in adulto inſeruntur vaſa, inde fit, vt maior etiam ſanguinis copia eo deferatur. Cum autem hepar in infantibus maxime ſpongioſum ſit facileque extendi queat, non poteſt inde fieri, quin maius iſtud adipiſcatur volumen. Cum deinde craſſus ſanguis adferatur, isque facile haerere poſſit, natura ea propter id praecauit et haepar ſpongioſius et amplius infantibus dedit, quo ſanguis facilius circumduceretur. Cum denique ventriculus ad perficiendam coctionem impuritatumque ſeparationem calore indigeat, eoque etiam ad promouendum ſanguinis circuitum lieni opus ſit, tantum ea propter hepati volumen datum eſt, quo ventriculus et lien obtegi et calefieri poſſint. His itaque perpenſis mirum non eſt, cur hepar maius in infante, quam in adulto reperiatur et quam ob rem, ceſſantibus iisdem cauſis, hepatis volumen in adulto poſthac deſcreſcat. p. 262.

In parte V continetur,

p. 333. 2) *Inueſtigatio medico-practica, vnde ortum ducant variolae et quaenam earum ſit medendi methodus.* Auctore eodem. Ortum huius morbi latere et in miaſmate quodam nobis incognito, quod veteres το Θεῖον τι vocarunt, conſiſtere, huius vero naturam ſubtilis ſalinae acidae et ſulphureae indolis eſſe, ex phaenomenis et effectibus patere Noſter putat. Quod ad curationem pertinet, eos primo taxat, qui, calorem metuentes, hunc ſtatim ab initio remediis refrigerantibus et acidis compeſcunt. Tali enim modo variolarum eruptionem impediri et viſcidas tenaceſve ſeroſi et lymphatici humoris partes viſcidiores reddi, oſtendit. Reiicit deinde illam methodum, quae in euacuatione aluina, quorſum omnia purgantia et clyſmata referuntur, conſiſtit. Obſtructionem enim aluinam, tolerandam omnino, in hocce morbo plus prodeſſe, quam diarrhoeam et inprimis effici, quo minus retrogrediantur variolae, purgantibus autem et clyſmatibus regreſſum ſaepe accelerari haecque ideo non niſi tempore deſquamationis exhibenda eſſe, arbitratur. Qui tandem calidioribus et sſentiis alexipharmacis variolas tractant, hacque methodo miaſma expellere tentant, hos ipſos valde etiam peccare, aſſerit. Cum itaque ipſa natura miaſma iſtud a peripheria ad centrum ducat et viam quaſi oſtendat, hanc ideo deſerendam non eſſe, exiſtimat. Vt itaque ſcopus iſte obtineatur, Noſter ea propter talia exhibet, quibus quidem materies expellatur, neque tamen calor, neque putredo adaugeantur. A primo nimirum ſtadio ad tempus ſuppurationis vſque antimonium diaphoreticum, cornu cerui praeparatum, vel in puluere, vel in aquis deſtillatis exhibet, et, quo maturatio perfectior obtineatur, mixturam inſuper ex herba ſcordii, cardui benedicti, betonicae, radice liquiritiae,

violae

violae et foeniculi, cum ſpiritu vini paratam praebet, tempore autem deſquamationis lenia euacuantia, ſanguinemque depurantia vſurpat, hacque methodo complures varioloſos reſtitutos eſſe, perhibet.

In parte VI reperiuntur.

1. *Annotationes de interno olei vitrioli vſu in medicina.* Licet concentratiſſimum iſtud acidum, cum aqua copioſa dilutum, multis hactenus ad curandos morbos in vſu fuerit, id tamen ob rodentiſſimas particulas, aqua nequaquam delendas, ſuſpectum haberi debet. Verum enim inter duo iſta liquida coniunctionem non eſſe, ſed meram tantum particularum acidarum disiunctionem, varia experimenta demonſtrant. Quodſi autem coniunctio nulla ſit, oleum proinde vitrioli, cum aqua mixtum et in corpus introductum, aqua vel in vapores a calore reſoluta, vel in poros, quos illud acidum intrare nequit, ſe inſinuante, in ipſo corpore rurſus colligitur, concentratur et rodentem ſuam vim exſerere poteſt. Aliter res comparata eſt, ſi cum ſpiritu vini idem illud acidum miſcetur et deſtillatur; tunc enim, vera coniunctione facta, particularum vis rodens non ſolum tollitur, ſed et nullo modo in corpore euoluitur. Inde acidum vitriolicum, hunc modum ſi exceperis, parcius vel nunquam in corpus intraducendum eſſe videtur. p. 403.

3. *Variae annotationes chemicae.* Ex his ſequentia notamus. 1) Propoſitio illa, ſales, aqua ſolutos, ſpiritu vini praecipitari omnes, vniuerſalis non eſt. Dantur enim, quos ex aqua ſpiritus vini non deiicit. Pertinent huc ſal ammoniacus vulgaris, nitrum ſic dictum flammans, ſal volatilis ſuccini et ſal ſedatiuus, ex borace ſeparatus. Cauſa eſt, quia dicti ſales eodem modo in ſpiritu vini, quam aqua ſoluuntur, hinc etiam altera propoſitio, ſales nimirum, ſpiritu vini ſolutos, aqua praecipitari, pariter vniuerſalis non eſt, et cauſa eadem habetur. 2) Acidis mineralibus non omnia p. 416.

acida

acida vegetabilia liberari, ſal iſte ſiccus volatilis, ex benzoe ſeparatus, docet. Cauſa in arcto ſalis connubio cum partibus oleoſis quaerenda eſt. 3) Signum acidorum mineralium perfecte dulcificatorum habetur, ſi ab admixtis ſalibus alcalinis nulla oritur effervescentia. 4) Praeter acetoſellam aliae dantur plantae, ex quibus pari modo ſal eſſentialis acidus obtineri poteſt. Nominantur hic Geranium peltatum, Geranium acetoſum, Berberis dumetorum C. B. et forte plures aliae, de quibus nullum dubium eſt, quin, adhibita induſtria, ſal eſſentialis extrahi queat. 5) Principii vaporoſi ſeu halituoſi partibus plantae conſtitutiuis annumerati ſpecies hactenus quatuor conſtitutae ſunt; ſpiritus nimirum balſamicus, ſpiritus acidulo balſamicus, vapor narcoticus, tandem halitus acris; quibus cunctis ſua quaeque virtus eſſe ſolet. His noua addi poteſt ſpecies, vapor nimirum melleus, qui odore dulci non ſolum verum etiam virtute ſingulari, emolliente, a caeteris ſe diſtinguit. 6) Notatu dignum eſt, acidum nitri antimoniati, cum acido nitroſo conueniens, ope aquae fortis, quod tamen idem eſſe videtur, quid? quod ſpiritu ſalis, qui acido nitri multo debilior eſt, et, quod magis mirandum, acidis adeo vegetabilibus, e. g. ſale eſſentiali acetoſellae ſeparari poſſe. Hinc caueant practici, ne ſalem acetoſellae, vt mos eſt, cum nitro antimoniato miſceant et aegris exhibeant.

p. 434. 4) *Obſeruatio de diuretica et lithontriptica parietariae virtute* Auctore Cl. HARNISCH. Huius plantae, cum butyro coctae et partibus genitalibus harumque regioni calidae applicatae virtutem memoratam duobus exemplis probare hic annititur.

XIV.

NICOLAI LAVRENTII BVRMANNI, Diſſ. inaug. de Geraniis. L. Bat. ap. Th. Haak 1759. 4 mai. plag. 7 tab. aen. 2.

Medici et Botanici Clariſſimi IOHANNIS BVRMANNI veſtigiis inſiſtens eruditiſſimus filius difficile, confuſum et ampliſſimum plantarum genus ita hoc ſpecimine illuſtrauit, ordinauit, nouisque adductis ſpeciebus auxit, vt plena tandem et abſoluta, fere eiusdem hiſtoria dici mereatur. In prooe- p. 4.
mio Cl. Auctor quaedam de vegetatione plantarumque proprietatibus docte diſſeruit, aſſumſitque triplex vaſorum genus, vaſcula ſcilicet ſuccoſa, quae praeparationi alimenti adſumti inſeruiunt, vtriculos, qui ſecretum ſuccum conſeruant et tracheas, quae elaſticum aerem continent; primariam vero vegetationis cauſam in atmoſphaera poſuit, quae nunc calidior, nunc frigidior, elaſticitate ſua vaſorum latera magis minusue premit, efficitque vt humores ſe mutuo petant, ſurſum per dilatata et fere vacua vaſcula propellantur ac in nutritium ſuccum convertantur, quod nutrimentum, vel ex aere, vel aqua, vel terra, vel ex omnibus ſimul recipiunt, ſeligendo ex iisdem illas heterogeneas partes, quae ipſis conveniunt; hinc in locis editioribus, vbi aer admodum purus, plantae non tam late creſcunt, quam in depreſſioribus, qui multis foecibus, terreſtribus particulis, aqueisque humoribus abundant. Aqua inprimis neceſſarium pro vegetatione dicitur requiſitum, quae vero coctione adeo inepta redditur, vt, eadem, licet refrigerata, plantae irroratae fuerint, ſucceſſiue decreuerint, et mortuae fuerint; cum e contrario turbulenta et putrida aqua humectatae laete progerminare ſoleant. Terra, qua talis, ſtirpibus modo fulcrum, nullum vero nutrimentum

praebet, eadem vero alias putrefactas et corruptas partes accipit, quae percolatae, dilutae, praeparataeque lixiuium quaſi ſaponaceum conſtituunt, ſpecifice nutriendis plantis aptiſſimum. Stirpes enim ſuas quaſi habent idioſyncraſias, nec vbique laete creſcunt, ſed quaedam id proprium habent vt editiores et ſicciores, aliae decliuiores et humidiores locos, aliae aquam pro ſuſtentaculo et nutrimento eligant, aliaeque paraſiticae inueniantur. Ita vario modo vegetant plantae ſimulque et reſpectu firmitudinis ac durationis tempore diuerſae exiſtunt. Semina poſthac ſtudioſe conſiderauit Cl. Auctor; duplicem horum adſumſit membranam, eandemque ſemina ab exſiccatione nimia conſeruare, abſorptumque ex terra ſuccum cotyledonibus tradere aſſeruit. Cotyledones, ex ſpongioſo parenchymate et vaſculis in glomeres coactis conſtantes, ſuccum pro foetus nutritione praeparant, plantulae tradunt, eandemque ad euolutionem diſponunt et excitant. Embryo ſingulari funiculo cotyledonibus adhaerens in radiculam et plumulam diuiditur, radicula ſemper verſus exteriora locatur, primum excreſcit, et ſenſim veram radicem format, dum plumula, folia et reliquam plantae partem continens, aſcendit et ſuccos, in radice iam elaboratos, recipit.

His praemiſſis Cl. Auctor ad Gerania redit; et
p. 11. eorum locum natalem, culturamque, externum habitum, nominum etymologiam, generis characterem, et ſpecierum differentias, deſcriptiones, ac ſi quae notae ſunt virtutes accurate expoſuit. Terram ſabuloſam, non pinguem amare, et aquam, vna vice nimia in quantitate datam, reſpuere, modica vero, quo ſaepius irrorentur, eo laetius creſcere docuit. Species omnes, corolla regulari, vel irregulari inſtructas, licet genere haud immerito ſeparauerint Riuinus et Cl. Auctoris Parens, tamen ex autoritate huius epochae botanicorum, et reliquarum

quarum fructificationis partium conuenientia vno ſub nomine coniungi melius poſſe cenſuit. In deſcribendo genere, obſeruationem, CONSTANT. SCEPIN. adduxit, qui in Geranio phaeo ad baſin germinis inter calicem et corollam glandulas quinque nectariferas ſubrotundas flauas, inſignes, ſimilesque, modo minores, in ſyluatico et robertiano; ac totidem glandulas, ſtamina ſuſtentantes in ſanguineo obſeruauit. Eiusmodi etiam in carnoſo et cicutario LINNAEVS Cent. I deſcripſit. Monuit vero Cl. Auctor, nectarium hoc naturam in africanis ſpeciebus in ea calicis tubuloſi parte collocaſſe, quae illis proprius, et extenuatus tuberculum calcaratum efformat. Species nominauit et deſcripſit ſeptuaginta quatuor, easque in quatuor ordines diſpoſuit, ſuntque, vel 1) *pedunculis vnifloris*, vel 2) *bifloris*, vel 3) *multifloris*, vel 4) *calycibus monophyllis* inſtructae; qui vltimus ordo in *fruteſcentes*, *herbaceas*, et *acaules* plantas denuo diuiditur. Cuilibet ſpeciei nomen ſpecificum, quod characteres diſtinctiuos ſelectos optimosque contineat, vel ex LINNAEO deſumptum, vel de nouo conditum praemiſit, addito ſemper triuiali quodam nomine, ſynonyma ſelecta et icones inprimis ſtudioſe annotavit, patriam ſpecialem commemorauit, et breuem, et concinnam deſcriptionem vbique adpoſuit.

De ſingulis nunc dicere, atque omnia repetere hic neutiquam poſſumus; illas potius, quae primo hic deſcriptae, definitae delineataeque fuerint ſpecies modo annotabimus. Viginti quinque ſunt ſpecies; quae in Illuſtris LINNAEI, nec ſpeciebus, nec centuriis editis nominibus ſpecificis inſignitae inueniuntur, et hinc, vel plane in iisdem deficiunt, vel modo varietatum titulo notatae fuerunt. Harum quasdam alii iam commemorarunt botanici, alias ex Venerabilis Parentis theſauris botanicis deſumſit, aliasque in Herbario OLDENLANDI inuenit,

 obſer-

obſeruationibus huius Cl. Botanici additis illuſtra-
p. 16. tas. En harum Catalogum. 1) *Geranium* (ſpinoſum)
pedunculis ſimplicibus vnifloris, foliis cuneiformibus ſinuo-
p. 17. *ſis, ramis nodoſis ſpiniferis.* 2) *Geranium* (ranun-
culoides) *pedunculis longiſſimis vnifloris, foliis orbicu-*
p. 27. *lato multifidis, radice tuberoſa.* 3) *Geranium* (puſil-
lum) *pedunculis bifloris, petalis bifidis, caule proſtrato,*
foliis reniformibus palmatis, laciniis linearibus acutis.
4) *Geranium* (pyrenaicum) *pedunculis bifloris, foliis*
multifidis, laciniis obtuſis inaequalibus, petalis bifidis.
p. 28. 5) *Geranium* (incanum) *pedunculis ſubbifloris, foliis*
palmatis multipartitis, laciniis pinnato linearibus, ſubtus
tomentoſis. Icon ex Herb. OLDENL. adiecta. 6)
Geranium (aſphodeloides) *pedunculis bifloris, foliis*
multipartitis orbiculatis, laciniis acutis, radice tuberoſa.
p. 29. 7) *Geranium* (moſchatum) *pedunculis multifloris, caly-*
cibus pentaphyllis, floribus pentandris foliis ouatis inci-
ſis, cotyledonibus pinnatifidis. HALLERVS iam a cicu-
tario diſtinguit, a LINNAEO pro varietate aſſumptum.
p. 30. 8) *Geranium* (romanum) *pedunculis multifloris, cali-*
cibus pentaphyllis, floribus pentandris, foliis pinnato
inciſis, foliolis acutis rugoſis, caule nullo. 9) *Geranium*
(alpinum) *pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis,*
floribus pentandris, foliis pinnatis, foliolis inciſis, et
p. 32. *crenatis, radice tuberoſa.* 10) *Geranium* (chium)
pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis, foliis cor-
dato inciſis, ſuperioribus multifidis. LINNAEVS varie-
tatem dicit. 11) *Geranium* (alceoides) *pedunculis*
multifloris, calycibus pentaphyllis, foliis lyrato multifi-
dis, cotyledonibus lobatis. 12) *Geranium* (betoni-
cum) *pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis, fo-*
p. 36. *liis lobato pinnatis, crenatis, obtuſis.* 13) *Geranium*
(tabulare) *calycibus monophyllis, foliis peltatis rotun-*
datis, anguloſis, dentatis, glabris, caule fruticoſo,
cuius delineatio appoſita, et licet folia nigro circulo
inſcripta ſint, tamen omnino diſtincta et ab aliis,
p. 46. ſimili nota inſignitis ſpeciebus, diuerſa. 14) *Gera-*
nium

nium (maritimum) *calycibus monophyllis, foliis cordato ouatis ſubtrilobis crenatis, caule nullo.* Noua plane ſpecies, cuius prolixam deſcriptionem ex Cod. MSS. OLDENL. addidit Auctor. 15) *Geranium* p. 47.
(glaucum) *calycibus monophyllis, foliis ouato oblongis ſerratis, caule nullo, radice lignoſa.* Aliqualem deſcriptionem SHAWIVS dedit, iconem vero nitidam Cl. Auctor ex GARCINI herbario edidit. 16) *Ge-* p. 48.
ranium (arenarium) *calycibus monophyllis, foliis pinnatifidis, foliolis oblongis, inciſo ſerratis, caule nullo.* 17) *Geranium* (lupinoides) *calycibus monophyllis, foliis orbiculatis inciſis tomentoſis linearibus, radice tuberoſa.* 18) *Geranium* (longifolium) *calycibus monophyllis,* p. 50.
foliis ſimplicibus, oblongo lanceolatis, radice tuberoſa. 19) *Geranium* (hirſutum) *calycibus monophyllis, foliis ouatis laciniatis rugoſis radice turbinata.* 20) *Geranium* (pinnatifidum) *calycibus monophyllis, foliis duplicato pinnatifidis, laciniis linearibus obtuſis, radice turbinata.* 21) *Geranium* (proliferum) *calycibus monophyllis, foliis pinnatim diuiſis, foliolis tri et quinque partitis, linearibus, radice turbinata.* 22) *Geranium* p. 51.
(oxaloides) *calycibus monophyllis, foliis ouato haſtatis carnoſis, radice rapacea.* Quinque has ſpecies iconibus delineatas dedit Cl. Auctor. 23 *Geranium* (fe- p. 52.
rulaceum) *calycibus monophyllis, foliis laciniatis, multifidis, radice tuberoſa.* 24) *Geranium* (bifolium) *calycibus monophyllis, foliis binis cordato angulatis, radice rapacea.* 25) *Geranium* (trifidum) *calycibus monophyllis, foliis ternis trilobis et trifidis, radice rapacea.* Praeter ſeptem notatas ſpecierum icones, etiam Geranium *ſcabrum, glaucum* et *hirtum* LINN: delineauit; et ita decem ſpecierum egregias icones exhibuit.

Diſſertationi huic addita eſt CASIMIR. CHRISTOPH. SCHMIDELII Epiſt. Gratul. ad N. L. BVRMANNVM de medulla radicis ad florem pertingente pag. 10. tab. aen. 1.

Medullam radicis ad caulem protrudi, diu notum fuit phyſicis; hinc vmbellatarum radices ſicceſcere et poroſas fieri eo tempore, quo caulis ex radice ſurgit et fructum profert, monet Cl. Auctor. In *auricula vrſi* ex media radice incipit, et ex capite demum eius emergit ſcapus, qui cuticula cingitur, ſub qua cortex mollior et liber reconditur, in medio haerente medulla. Ita hic apparatus per ſcapum ad pedunculos floris pergit, ibidemque cuticula cum maxima corticis parte in calicem et liber in corollam abit, interior vero libri lamina capſulam format, cui globulus medullaris includitur, qui terminus eſt medullae, huc non interrupto nexu continuatae, huicque demum ſemina veluti placentae inhaerent. Hanc theoriam Cl. Auctor variis ſpecialibus exemplis comprobare et nitidis iconibus illuſtrare ſtuduit. Adduxit *Helleborum nigrum*, viditque in eodem cuticulam, cum cortice toto ſuperficiem ſubſtantiamque petali conſtituere, librum vero partim exteriora verſus corticis ductum ſequi, et ſubſtantiam ac ſuperficiem interiorem petali formare, partim receptaculum fructificationis extus cingere, ibique nectaria et ſtaminum filamenta ablegare, germen inueſtire, atque in ſtylis terminare; medullam vero ex radice in ſcapum ſe dimittere, flori ſeſe appropinquare, denſioremque factam meditullium receptaculi penitus implere, immo vsque ad germinis cuiusque interiora ſeſe inſinuare. In *Anagallide luſitanica* corticis maxima pars conſumitur in calicem, eius autem paries interior librum quaſi dirimit et in capſulam ſeſe continuat, eius integumentum externum efficit, ſtylum et germen inueſtit, ibique euaneſcit; et liber, poſtquam ad calicis principia peruenit, a lamina interna calicis intercipitur; corolla, libri pars, ſtaminibus originem praebet, et medulla ex pedunculo aſcendens, receptaculum commune non ſolum, capſulamque

ſemi-

ſeminalem continuo ductu replet, ſed et canalem quaſi in centro format, qui per receptaculi capſulaeque medium erigitur et in ſtylo tandem finitur. Haec duo exempla adduxiſſe ſufficiat. Similem apparatum in *Lyſimachia ciliata*, *Polygala ſ. Chamaebuxo*, *Sideritide montana*, *Geranio ſanguineo*, *Ambroſia maritima*, *Heliantho giganteo*, et *Aſtere nouae Angliae* obſeruauit et deſcripſit Cl. Auctor, tandemque concludit, duas in plantis exiſtere partes eſſentiales, medullam ſcilicet et librum, attamen in quibusdam, praeſertim ſimplicioribus ſolam medullam ſufficere, hocque aſſertum *Ricciae* exemplo confirmare ſtuduit.

XV.

IOBI BASTERI M. D. Acad. Caeſ. Societ. Reg. Lond. et Holland. Socii opuſcula ſubſeciua, obſeruationes miſcellaneas de animalculis et plantis quibusdam marinis eorumque ouariis et ſeminibus continentia. Liber primus. Harlemi apud Ioh. Boſch. 1759. 4. plag. 6 tab. aen. 6.

Corallia, Keratophyta, Corallinae, aliaeque vegetantium marinorum ſpecies, in plantarum numero, mari creſcentium, eſſe, communis olim ſententia fuit, neque ab vllo in dubium vocabatur, donec Cl. PEYSSONELLVS nouam in medium proferret, quae primum quidem paucis arridebat, poſtea tamen, cum Cl. TREMBLEYVS aliique multa polyporum genera detexiſſent, applauſu praeſtantiſſimorum virorum magnam vim obtinuit. Eſt autem PEYSONELLI ſententia haec: Corallia, Lithophyta, Corallinas atque alias plantas marinas nil niſi horum animalculorum eſſe opus vel partem corporis ſaltem conſtituere. At monet Cl. Auctor,

 hanc

hanc rem non ita firmatam eſſe, vt non poſſis eam rationibus reuellere.

p. 9. Plantarum marinarum duo genera ſunt, quarum aliae maritimae, aliae marinae dicuntur. Maritimae in littoribus creſcunt, marinae ſub aqua adhaereſcunt rupibus, vel fundo maris inſident. Sunt autem, vt Cl. TOVRNEFORTIVS commemorat, plantarum marinarum genera quatuor, mollium ſeu flexilium, lignearum, petroſarum et quae extrinſecus durae, ſpongioſa intrinſecus materia repletae ſunt. Plantarum mollium nonnullae foliis ornatae ſunt, velut Algae quaedam, Fuci; aliae, vt Alcyonia et Spongiae, foliis carent. Ad petroſas pertinent Coralliorum, Madreporarum, fungorum marinorum etc. ſpecies omnes; ligneae complectuntur Lithophyta, Lithoxyla. Alcionium IMPERATI durum, extrinſecus durum eſt, intrinſecus molle, ſpongioſumque.

Quaecunque in mari aluntur plantae, a terreſtribus maximopere diſcrepant. Marina planta tota quaſi radix eſt, neque vt terreſtris planta, ſi a multis inſectis infeſtatur, extemplo languet et moritur. Semen plantarum marinarum, vel humor tenax et glutinoſus eſt, vel ſaltem in hoc humore glutinoſo deliteſcit, eaque eſt peculiari proprietate, vt cum aqua marina non miſceatur, ſed cuique corpori obvio adhaereſcat. Haec, quae hactenus diximus, in introductione huius libelli tradita ſunt; ſequuntur iam ſpeciales diſputationes de Coralliis, Keratophytis, Corallinis et Alcyonio.

p. 13. Quae in apicibus et cortice coralliorum interdum in conſpectum veniunt, non eſſe flores, vt comes MARSIGLIVS opinatus fuit, ſed polyporum quoddam genus ob conſenſionem, quam cum polypis aquarum dulcium habere ſoleant, accurate Cl. PEYSSONELLVS docuit. Hoc, cum ſit certiſſimum, non ita tamen intelligendum eſt, quaſi

beſtiolae hae corallia tantae duritiei fabrefeciſſent. Nam ſi hoc ita eſſe dicatur, largiendum ſit neceſſe eſſet, vt vermes terreſtres conſtruant fungos atque erucae et ſirones arbores efficiant et plantas. Quare Cl. Auctori videtur, animacula, quae cortici coralliorum et lythophytorum inſident, hunc corticem effeciſſe, adeo, vt cortex ille ſit tantum cellularum congeries, quas tanquam domicilia ſua inhabitent. Ad modum vero, quod attinet, quo Corallia producuntur, ille nondum rite innotuit.

Titanokeratophytorum cortex, ſi probe ſiccatus eſt, admodum tenuis eſt et digitis facile abſtergi poteſt, neque vllam communionem cum ſubiecto lithophyti ligno habere videtur. Quod profecto non fieret, ſi polita ligni ſuperficies aeque ac aſper cortex a polypis conſtructa fuiſſet. Quare nulla apparet ratio, cur Keratophyta et Titanokeratophyta, cum maxime in modo creſcendi, radicibus etc. conueniant, diuerſas ſpecies eſſe ſtatuamus. p. 17.

In eadem Corallinarum ſpecie valde diſcrepantes polypi ſaepe inueniuntur, et eadem polyporum ſpecies in diuerſiſſimis habitat corallinarum ſpeciebus. Sed dicet aliquis, has corallinas omnes ab eiusmodi beſtiolis eſſe confectas. Hoc ſane ab omnium inſectorum natura alienum eſſe videtur. Nam animal, ratione non gaudens, ſemper inſtinctum ſequitur, et, dum agit, ad eandem normam agit, veluti apes, araneae etc. Iam ſi polypos corallinarum effectores eſſe contendas, neceſſe eſt, vt iidem ſemper easdem non diuerſas efficiant, aut ſi corallinae non propriae ſunt polyporum domunculae, ſed earum cutis, ſequitur, vt cutis ſemper eiusdem formae foret. p. 20.

Corallinae commode diſtribuuntur in Conferuas et Sertularias. Conferuae ex baſi absque trunco multos, tenues et longos ramos ſiue folia emittunt, in quibus ſaepe veſiculae ſeminales conſpiciuntur.

Sertulariae a plana baſi exſurgunt duroque corpori adhaereſcunt; ex baſi truncus exit, qui in ramulos vel folia expanditur, vbi comprehenduntur oblongi articuli ita connexi, vt ſuperior, qui tenuior ſit, craſſiori ſit inſertus. Quodſi igitur ſertulariae polyporum eſſent productum, cur non potius eadem trunci et ramulorum craſſities?

p. 23. Alcyoniorum quinque ſpecies examinauit, nempe 1) Alcyonium veſica marina appellatum, quod tantum eſt ouarium cochlearum vulgarium; 2) Alcyonium ramoſodigitatum, aſteriſcis vndique notatum. Eſt hoc peculiare vegetans, quod extrinſecus ad attactum corio aſſimilatur, cauitatibus refertum, in quibus ſemper polyporum ſpecies nidulatur, in ſuperficie etiam, quae communi cute obtegitur, multi reperiuntur polypi. 3) Alcyonium ſiue fucum folio ſingulari longiſſimo, lato, in medio rugoſo. 4) Alcyonium, quod pulmo marinus dicitur. 5) Alcyonium molle ramoſum. Haec in externa ſuperficie, gelatinae ſimili, plurimos et paruos continent polypos. Intrinſecus cellulae conſpicuae ſunt, inter has et ſuperficiem externam innumerabilia puncta nigra apparent, quae ſeminia eſſe, veriſimile videtur.

p. 25. Hac abſoluta, de plantis marinis, parte, ſequuntur de polypis ſeu animalculis, quae in deſcriptis plantis reperiuntur, deſcriptiones. Vniuerſae polyporum ſpecies pertinere videntur ad genus meduſae vel vrticae marinae, quas Cl. Auctor in tres ſpecies diſtribuit; 1) in polypos, qui cellulas inhabitant, easque nunquam relinquunt; ſunt, qui corticem floriferum, quem dicunt, Keratophytorum conſtituunt; 2) in polypos, qui Sertulariis, Alcyoniis nonnullis et Eſcharis inſident, hos vidit natantes relinquentesque ſertulariae apices. 3) In ſpecies maiori forma, quales ſunt vrticae marinae, cellulis, cortice et baſi firma carentes; poſſunt hi libere

quo-

quoquouerſum in mari natare, quamuis ſaepius ſe corpori duro affigant. Polypi cellulas inhabitantes ſunt maxime vulgares, albeſcentes, pellucidi, minimae formae.

In quolibet corpore marino inueniuntur hi et eorum quilibet diſtinctum et ſeparatum conſtituit animal, cum vicinis nullam communionem habens, cum poſſit brachia contrahere, expandere, ex cellula cum corporis parte erepere, ingredi, nullo in vicinis obſeruando motu. Qui in variis ſertulariae cernuntur ſpeciebus polypi, magnitudine et forma differunt. Horum quemlibet quoque peculiare eſſe animal, experientia docuit. Nam Corallinas, quibus inſident, ſponte relinquunt et per aquam natant. Maximis polyporum ſpeciebus Cl. Auctor nomen p. 28.
polyporum ruberrimorum, ſeu incarnatorum tribuit; plerumque in corallinis tubulariis laryngi ſimilibus reperiuntur. Infima corporis parte affiguntur cauitatibus Corallinae ex quibus tamen facile elabi poſſunt. Si corallina tubularia multis viuentibus polypis obſeſſa ſpiritui frumenti immittatur, molle corpus polypi ſe contrahit, tubulus vero prae duritie figuram retinet. Ex quo intelligitur, polypum et corallinam tubulariam, quam inhabitant, eſſe duo corpora valde diſtincta. Polypus incarnatus duobus generibus brachiorum conſtat, quibus facile ab aliis polyporum ſpeciebus internoſci poteſt. Infima corporis pars, cui cauda adhaeret, corallinam tubulariam ingreditur et rotunda eſt. In media parte corpus quaſi pyriforme conſpicitur, vbi craſſiori parti 12, 14 brachia inſerta ſunt. Poteſt hoc corpus pyriforme polypus longe extendere, atque iterum contrahere. In medio partis ſupremae huius corporis pyriformis os polypi eſſe poſitum videtur. Saepe in ea parte, vbi corporis pars pyriformis planitiei affixa eſt, deprehenſae ſunt exiguae rotundae veſiculae. Oua polyporum eſſe has veſiculas Cl. Auctor opinatur.

Omnia

Omnia polyporum oua, quotquot contemplatus eſt, ſemper diſcreta apparebant, ex quolibet ouo tantum vno prodeunte polypo. Polyporum, qui ſemper in eodem manent loco, miſtio locum habere nequit; illi tamen, quibus eſt libera per mare natatio, veluti
p. 33. capitis meduſae, mutua copula propagant ſobolem.

Immenſus eſt inſectorum marinorum numerus; ex his examini ſubiecit tantum ea, quae oſtreis accreſcunt aut Corallinis oſtreae inſidentibus. In fine de nonnullarum cochlearum et inſectorum marinarum propagatione et ouariis egregie diſputat. Quaelibet tabula, quae adiecta eſt, ſeparatim et dilucide explicata eſt.

Conſpectus alterius libri, iamiam praelo ſubmittendi, nobiſcum communicatus, huiusmodi eſt: diſſeretur de Zoophytis; de Oſtreis; de Cancellis; de Penicillo marino; de Serpulis ſeu animalculis, quae tabulis lapideis habitant; de hirudine piſcium; de Doride ſeu marina limace, nuda, ſpinis mollibus hiſpida; de Eſchara lapideſcente, conglomerata, foliolis tenuibus, criſpis, nondum deſcripta; de auditu piſcium. Profecto elegantes de animantibus marinis dicendi materiae, quas ſperamus, Auctorem eadem diligentia eſſe deſcripturum, quam in prima parte non ſine iucunditate perſpeximus.

XVI.

Quaeſtio medica: An rachitidi rubia tinctorum? Praeſide M. LVDOVICO-IOANNE BAPTISTA COSNIER. Doctore Medico. Proponebat Marinus-Iacobus-Clarus Robert. Pariſiis 1758. 4 mai. plag. 1.

Quaeſtio haec, in affirmatiuam partem reſoluta, ita exponitur. Signis, quibus rachitis dignoſcatur, adductis oſtenditur, oſſium hanc affectionem

ex

ex acida humorum craſi naſci. Id varia experimenta, cum oſſibus inſtituta, et phaenomena, in infantibus obſeruanda, confirmare videntur. Cum enim aceſcentium eſus familiaris ſit, eaque bile minime efficaci infringi nequeat, in infantibus atque iis inprimis, qui nullo exercitio mouentur, ſaburra acidomucoſa in primis viis colligitur. Lentus hicce mucus, tunicas ventriculi obducens, vires eius peſſundat, hinc repetito chyli viſcidi acidi craſſique affluxu ſanguis craſſeſcens ad acidam indolem vergit et in motu retardatur, inde autem acido-ſeroſus liquor in partibus et inprimis oſſibus ſtagnat. Tunc autem ſpicula acida, ſero innatantia, motu quodam inter laminulas oſſeas intruſa, elementa earum diducunt et expeditiorem ſero pandunt viam, quo tota oſſium compages imbuta molleſcit et intumeſcit. Cum vero rubia tinctorum peculiarem vim in oſſa exſerat, haecque, vt experimenta docent, in iunioribus tingat et, quod notandum eſt, obſtructos meatus aperiat, craſſos humores attenuet, viſcidos abſtergat, hosque motu circulatorio aucto, per renes extra corpus pellat, inſimul autem ventriculi vires reſtauret, eam igitur directe rachitidem impugnare et multum ad eam debellandam conferre, Noſter, experientia fretus arbitratur, hocque remedium ſub decocti forma exhiberi iubet.

XVII.

XVII.

Quaeſtio medica: An bilis ſapo acido - alcalinus? Praeſide M. MARINO - IACOBO-CLARO ROBERT. Doctore Medico. Proponebat Ioſephus Duſſans. Pariſiis, 1759. 4 mai. plag. 1.

Vt quaeſtio haec rite exſolui poſſit, ad bilis elaborationem ante omnia attendendum eſt. Chylo nimirum in inteſtinis tenuibus elaborato et a vaſis lacteis recepto, partes eius acido oleoſae per venas meſaraicas ad hepar feruntur, in quo acidum euoluitur et cum ſanguine, ab omnibus viſceribus abdominis reduce, maximeque oleoſo, miſcetur, ſicque ſapo acidus exoritur. Altera parte chyli, in inteſtinis craſſis a foecibus ſemiputrefactis ſecreta, alcalinus ſal per vaſa ad haepar, oleo turgens, deducitur cumque eo miſcetur, ſicque alcalinus ſapo generatur. Ambo iſti ſapones, nunc generati, ſe inuicem amplectuntur et coniunguntur, et ex hoc connubio tandem ſapo acido-alcalinus emergit. Aſt acidum in bile vere contineri, praeter chemicam analyſin, docet ſapor amarus, qui ſemper ex intima mixtione acidi cum oleo enaſcitur. Cauſa autem, cur ambo iſti ſales ſibi inuicem iungantur ſicque neutrum ſalem conſtituant, in oleoſo principio quaerenda eſt. Eo enim alteruter ita irretitur, vt, cum ſui iuris non ſit, nullum inde conſortium in ſtatu naturali locum vnquam inuenire poſſit.

XVIII.

XVIII.

Noua phyſico - medica.

Membra Regiae Scientiarum Academiae Pariſienſis *), quae anno 1759 die ſeptimo aprilis in viuis adhuc fuere.

Annus receptionis. Honoraires.

1725. Monſieur le Comte DE MAVREPAS, Miniſtre d'Etat, Commandeur des Ordres du Roy, Honoraire de l'Académie des Belles Lettres.

1726. M. le Comte D'ARGENSON, Miniſtre d'Etat Honoraire de l'Académie des Belles Lettres.

1731. M. le Duc DE RICHELIEV, Pair et Maréchal de France, l'un des Quarant de l'Académie Françoiſe.

1740. M. le Comte DE ST. FLORENTIN Miniſtre et Secrétaire d'Etat Chancelier des Ordres du Roy, Honoraire de l'Académie des Belles Lettres.

1743. M. le Duc DE CHAVLNES, Pair de Françe, Capitaine-Lieutenant des Chevaux-Legers de la Garde du Roy, Lieutenant Général des Armées et Chevalier des Ordres de Sa Majeſté.

1743. M. TRVDAINE DE MONTIGNY Conſeiller d'Etat et Ordinaire au Conſeil-Royal, Intendant des Finançes.

1746.

* Catalogum hunc, cuius alteram partem nunc cum lectoribus noſtris communicamus, alteram proxime daturi, Pariſiis accipiendi occaſionem habuimus ideoque ipſum ſine aliquo commiſſo errore deſcriptum eſſe ſperamus. Num autem in deſcribendis membrorum nominibus gallico, an latino, idiomate vti vellemus? diu quidem dubitauimus: interim illud eligere, quam huius vſu obſcuriores fieri maluimus.

1746. M. DE MACHAULT, D'ARNOUVILLE, Miniſtre d'Etat, Commandeur des Ordres du Roy.

1749. M. le Comte DE MAILLEBOIS, Chevalier des Ordres et Maitre de la Garde-robe du Roy, Lieutenant Général des Armées de Sa Majeſté.

1750. M. DE LAMOIGNON DE MALESHERBES, Premier-Preſident de la Cour des Aydes.

1751. M. ROUILLE, Miniſtre et Secretaire d'Etat, Commandeur des Ordres du Roy, Surintendant Général des Poſtes.

1755. M. MOREAU DE SECHELLES, Miniſtre d'Etat.

1755. M. Le Cardinal DE LUYNES, Archévêque de Sens, Premier Aumonier de Madame la Dauphine.

Penſionnaires Vétérans.

1723. M. DE MAUPERTUIS, de l'Acad. Françoiſe et Preſident de l'Academie Royale des Sciençes et Belles Lettres de Pruſſe.

1724. M. PITOT, Chevalier de l'Ordre de St. Michel, de la Société Royale de Londres, Directeur du Canal Royal et des travaux publics de Languedoc, Cenſeur Royal.

1725. M. GODIN, Colonel d'Infanterie au ſervice de S. M. C. Directeur de l'Academie des Gardes Marines d'Eſpagne, des Académies Royales des Sciences de Londres, de Berlin et d'Upſal. Cenſeur Royal.

1742. M. DE LA SÔNE, Premier Médécin de la Reyne, Cenſeur Royal.

Pen-

Penſionnaires ordinaires.

Pour la Géométrie.

1718. M. DORTOVS DE MAIRAN de l'Acad. Françoiſe, de la Société Royale de Londres, de celle d'Edinbourgh et d'Vpſal, de l'Academie de Petersbourg et de celle de l'Inſtitut de Bologne, et Ancien Secretaire perpetuel de l'Academie Royale des Sciences.

1727. M. CAMVS, Examinateur des Ecoles Royales de l'Artillerie et Ingénieurs, Secretaire et Profeſſeur de l'Academie Royale d'Architecture.

1733. M. FONTAINE, de l'Acad. de Berlin.

1741. M. D'ALEMBERT de l'Academie Françoiſe, de la Soc. Royale de Londres, de celle de Berlin, de l'Acad. Roy. des Belles Lettres de Suede et de l'Inſtitut. de Bologne.

Pour l'Aſtronomie.

1735. M. CASSINI DE THVRY, Maître des Comptes, de l'Acad. de Berlin et de la Société de Londres.

1735. M. LE MONNIER, Lécteur du Roy en Philoſophie, de la Société Royale de Londres et de celle de Berlin.

1731. M. MARALDI.

Pour la Mechanique.

1731. M. CLAIRAVT, des Sociétés Royales de Londres d'Edinbourgh, d'Vpſal et de Berlin; de l'Acad. de Petersbourg et de celle de l'Inſtitut de Bologne, Cenſeur Royal.

1739. M. L'Abbé NOLLET, de la Société Royale de Londres, de l'Inſtitut. de Bologne, des Acad. des Sciences de Rouen et d'Erford,

Maître de Phyſique et d'Hiſtoire Naturelle des Enfans de France, Profeſſeur Royale de Phyſique experimentale au College de Navarre et à la nouvelle Ecole de l'Artillerie.

1739. M. DE MONTIGNI, Tréſorier de France, de Paris, Commiſſaire du Conſeil, de l'Acad. Roy. de Berlin.

Pour l' Anatomie.

1708. M. WINSLOW, Docteur Regent de la Faculté de Médecine de Paris, Interpréte de la langue Teutonique à la Bibliotheque du Roy et Ancien Profeſſeur d'Anatomie et de Chirurgie au Iardin du Roy, de l'Academie Royale de Berlin.

1722. M. MORAND, Chevalier de St. Michel, de la Société Royale de Londres, des Academies de Petersbourg, de Stockholm, Bologne et Florence, Chirurgien et Inſpecteur General des hopitaux militaires de Paris, Cenſeur Royale.

1741. M. FERREIN, Docteur Regent de la Faculté de Médécine de Paris, Lecteur Royale en Médécine et Profeſſeur d'Anatomie et de Chirurgie au Iardin du Roy.

Pour la Chimie.

1725. M. BOVRDELIN, Docteur Regent de la Faculté de Médécine de Paris et Profeſſeur de Chimie au Jardin Royal, de l'Academie de Berlin.

1730. M. DE LA CONDAMINE, Chevalier de St. Lazare, de la Société Royale de Londres, des Academies de Berlin, de Petersbourg, de Bologne, de Cortonne et de Nancy.

1735. M. HELLOT, de la Société Royale des Londres.

Pour

Pour la Botanique.

1725. M. BERNARD DE IVSSIEV, Secrétaire du Roy, Docteur Regent de la Faculté de Médécine de Paris, Demonſtrateur des plantes au Jardin du Roy, de la Société Royale de Londres.

1728. M. DV HAMEL DV MONCEAV, de la Société Royale de Londres, des Académies de Palerme et de Beſançon, Honoraire de la Société d'Edinbourgh, et de l'Academie de la Marine Inſpecteur Général de la Marine.

1743. M. GVETTARD, Docteur Regent de la Faculté de Médécine de Paris, Cenſeur Royal et Médécin Botaniſte de S. A. S. Monſeigneur le Duc d'Orleans.

1743. M. LE MONIER, le jeune, Docteur Regent de la Faculté de Médécine de Paris, de la Société Royale de Londres et de l'Acad. de Berlin.

Sécrétaire.

1731. M. DE FOVCHY, Auditeur des Comptes, Aſtronome du Roy, de la Société Royale de Londres.

Treſorier.

1733. M. DE BVFFON, de l'Acad. Françoiſe, Intendant du Iardin Royal des plantes, de la Soc. Roy. des Londres, de celle d'Edinbourgh, de l'Ac. de Berlin, de l'Inſtitut. de Bologne.

Aſſociés Libres.

1747. M. le Marquis DE MONTALEMBERT, Lieutenant Général des Provinces de Saintonge

et Angoumois, Meſtre de Camp de Cavalerie et Cornette des Chevaux legers, Chevalier de l'Ordre militaire de St. Louis, et Gouverneur de Villeneuve d'Avignon.

1750. M. le Comte DE TRESSAN, Lieutenant Général des Armées du Roy, Grand-Maréchal des Logis du Roy de Pologne, Commandant en Toulois, Baroir et Lorraine Françoiſe, de la Société Royale de Londres, de l'Académie de Berlin, de la Société d'Edinbourgh et Honoraire de celle de Nancy.

1751. M. QVESNAY, Doctеur en Médécine, Prémier Médécin Ordinaire du Roy.

1756. M. BELIDOR, Brigadier des Armées du Roy, Cenſeur Royale et Inſpecteur Général de l'Arſenal.

1758. M. DE CHABERT, Lieutenant des Vaiſſeaux du Roy, de l'Académie de Berlin, de l'Inſtitut. de Bologne et de l'Academie de Marine.

Aſſociés Vétérans.

1714. M. DE L'ISLE, Lecteur et Profeſſeur en Mathematique, de la Société Royale de Londres, de Stockholm, d'Vpſal, de Berlin, de l Inſtitut. de Bologne, ci devant Prémier Profeſſeur d'Aſtronomie dans l'Academie de Petersbourg.

1724. M. SENAC, Conſeiller d'Etat ordinaire, Prémier Médécin du Roy, Surintendant des Eaux minérales et medicinales de France, Cenſeur Royal.

1743. M. BOUVART, Doctеur Régent de la Faculté de Médécine de Paris.

1743. M. IOSEPH DE IVSSIEV, le cadet, Doctеur Régent de la Faculté de Médécine de Paris.

1744.

1744. M. BERTIN, Médécin de la Faculté de Paris.
1752. M. LIEUTAUD, Médécin des Enfans de France.

Aſſociés Ordinaires.

Pour la Géométrie.

1746. M. DE PARCIEUX, de l'Académie des Sciences de Pruſſe et de celle de Suede, Cenſeur Royal.
1749. M. le Chevalier D'ARCY, Colonel à la Suite du Régiment de Cavalerie de Fitz james.

Pour l'Aſtronomie.

1741. M. l'Abbé DE LA CAILLE, des Académies de Petersbourg, de Stockholm, de Berlin, de celle de l'Inſtitut de Bologne et de la Société Royale de Göttingue, Profeſſeur de Mathematique.
1753. M. DE LA LANDE, de l'Acad. Roy. des Scienc. de Berlin.

Pour la Mechanique.

1744. M. le Marquis DE COURTIVRON, Chevalier de l'Ordre militaire de St. Louis.
1746. M. DE VAUCANSON.

Pour l'Anatomie.

1748. M. HERISSANT, Docteur Regent de la Faculté de Médécine de Paris et de la Société Royale de Londres.

* *

Pour la Chimie.

1742. M. MALOVIN, Médécin Ordinaire de la Reyne, Ancien Profeſſeur de la Faculté de Médé-

cine de Paris et de la Sociètè Royale de Londres, Cenſeur Royal.

1744. M. ROVELLE, Apothicaire et Demonſtrateur en Chimie au Iardin du Roy.

Pour la Botanique.

1744. M. D'AVBENTON, Doſteur en Médecine, Garde et Demonſtrateur du Cabinet d'Hiſtoire naturelle du Jardin du Roy, de la Société Royale de Londres et de l'Académie de Berlin.

* *

Aſſociés Etrangers.

1731. M. MORGAGNI, Docteur en Médecine et Prémier Profeſſeur d'Anatomie dans l'Vniverſité de Padoue, de la Société Royale de Londres et de l'Acad. de Pétersbourg.

1739. M. le Marquis DE POLENI de la Société Royale de Londres et des Acad. de Petersbourg et Berlin.

1748. M. DANIEL BERNOVLLI, Profeſſ. en Phyſique, de la Société Royale de Londres et des Acad. de Petersbourg et de Berlin.

1748. M. BRADLEY, de la Société Royale de Londres et Aſtronome de S. Majeſté Britanique.

1750. M. le Baron VAN SWIETEN, Prémier Médécin et Bibliothécaire de leurs Majeſtés Imperiales.

1753. M. HALES Secretaire du Cabinet de S. A. R. la Princeſſe de Galles, de la Société Royale de Londres.

1754. M. le Baron DE HALLER, Médécin et Conſeiller au Conſeil Souverain de Berne, Préſident de la Société Royale de Gottingue et Membre des Academies de Londres, Petersbourg, Berlin etc.

1755.

1755. Milord Comte DE MACCLESFIELD, Préſident de la Société Royale de Londres.

1755. M. EULER, Directeur de l'Acad. Roy. des Sciences de Pruſſe, de l'Acad. Impériale de Petersbourg et de la Société Royale de Londres.

Adjoints.

Pour la Géometrie.

1751. M. LE ROY.

1756. M. le Chevalier DE BORDA, Cheval leger de la Guarde du Roy.

Pour l'Aſtronomie.

1753. M. LE GENTIL DE LA GALAISIERE.

1759. M. l'Abbé CHAPPE D'AUTEROCHE.

Pour la Mechanique.

1758. M. BEZOUT, Cenſeur Royal.

1758. M. le Comte de LAURAGAIS.

Pour l'Anatomie.

* *

* *

Pour la Chimie.

1745. M. MACQUER, Docteur Regent de la Faculté de Médécine de Paris, Cenſeur Royal.

1752. M. BARON, Doct. Regent de la Faculté de Med. de Paris, Cenſeur Royal.

Pour la Botanique.

1758. M. FOUGEROUX.

1758. M. TILLET.

Pour la Geographie.

1730. M. BUACHE, Premier Geographe du Roy.

Adjoint Veteran.

1741. M. l'Abbé DE GUA DE MALVES, ci devant Lecteur Royal en Philoſophie.

Veritatis ſtudium atque fidem cuiuslibet hiſtorici ſummam eſſe debere legem probe intelligentes, hanc quidem ſemper nobis etiam voluimus eſſe praefixam: praeter omnem tamen noſtram expectationem accidit nuperrime, vt de Cl. HERMANNO BOERHAAVE DE GORTER Med. D. retulerimus *, eum inter medicos, publica auctoritate *Amſtelodami* conſtitutos, obtinuiſſe locum, quem tamen ne vacuum quidem factum fuiſſe ideoque in illum etiam ſurrogari potuiſſe neminem, ab amico quodam Amſtelodamenſi moniti et veriora docti, publice nunc declaramus. Quemadmodum vero Cl. GORTERI meritis atque famae derogare aliquid nullo modo volumus, ſic et noſtrae famae atque fidei gratia illud aſſerere poſſumus, ab amico quodam alias fide non indigno viſo notitiam illam ita nobis exhibitam fuiſſe, vt de illius veritate minime dubitare poſſemus; id, quod nobis quidem ſatis ingratum eſſe, forte non ſecus, ac ipſi Cl. GORTER, quilibet ſibi perſuadere poterit. Quam ob rem doctos illos viros, quibuscum literarum colimus commercium, quam maxime rogatos cupimus, vt de rebus nouis, ad nos pertinentibus, nihil niſi, quod certum ſit atque indubitatum, ad nos referre velint. Alium inſuper errorem in eundem iam citatum commentariorum noſtrorum locum praeter noſtram quoque culpam irrepſiſſe fatemur, tres nimirum phyſicos iuratos conſtitutos eſſe *Amſtelodami;* quum ibi tamen quatuor medicis publicae ſanitatis curam traditam eſſe, ab eodem amico accipiamus.

In Academia Iulia Carolina dicta, quae floret *Helmſtadii*, virorum ſuo tempore illuſtrium, HEISTERI atque KRÜGERI obitu, duos locos inter medicorum ordinem vacuos factos fuiſſe, vel ex noſtris quoque conſtat commentariis, in quorum vnum

* vid. Commentar. noſtr. Vol. VIII. P. I. p. 182.

vnum iam ſubſtitutum eſſe legimus virum Cl. PETRVM IMMANVELEM HARTMANN Med. Doct.

Porro in *eadem* Academia Phyſices Profeſſoris P. Ordinarii munus, quo olim IO. NICOL. FROBESIVS functus fuerat, nuperrime traditum eſt, Viro Cl. GODOFREDO CHRISTOPHORO BEIREIS, quod is etiam auſpicatus fuit edito programmate *de vtilitate et neceſſitate hiſtoriae naturalis.*

Londini obiit nuperrime die viceſimo nono menſis nouembris anni huius 1759 vir, dum viueret, in felici potiſſimum artis chirurgicae exercitio praeſtantiae famam conſecutus, BROWNE LANGRISH, Med. Doct. inter medicos nonnullis optimae notae ſcriptis, in primis egregio illo libro: *modern Theory and Practice of Phyſic;* vti etiam alio: *A new Eſſay on muſcular motion* valde clarus factus.

IO. SCHREVDER et PETRVS MORTIER iunior, bibliopolae Amſtelodamenſes, operis alicuius ſuſceperunt editionem, cuius mentionem eo magis a nobis iam putamus eſſe faciendam, quo magis illud gratum viris doctis fore opinamur. Vaſtum nimirum illud opus, quod *Hiſtoriam et Commentarios Regiae Scientiarum Academiae Pariſienſis* continet, prelo huc vsque denuo ſubiicere et minore forma edere conſueuerunt, vti inter omnes conſtare confidimus. Vltimus, qui ex hac officina prodiit, tomus eſt nonageſimus nonus, quo operis Pariſienſis annus 1751 finitur. Huic tomo nunc adiiciendum curant centeſimum, qui conſpectum quaſi generalem progreſſus omnium ſcientiarum et artium in hoc opere huc vsque pertractatarum ita exhibebit, vt ſecundum quodlibet ſcientiarum in ſuas claſſes diuiſarum genus vno ſermonis flumine breuis tradatur epitome omnium rerum in cunctis praegreſſis voluminibus comprehenſarum. Quo tomo nunc cente-

 ſimo

ſimo totum illud opus, ad hunc vsque terminum perductum, *primae centuriae* nomine claudent, ita vt ſecuturorum voluminum ſeu tomorum tituli paulo mutati hac ratione inſcribi debeant: *Seconde Centurie de l' Hiſtoire et Memoires* etc. *Tom.* I *contenant l' Année* etc. Primi itaque, qui ſecundae centuriae initium facient, tomi prodibunt ſub finem menſis ſeptembris 1760, et annum laborum illius Academiae huius ſeculi quinquageſimum ſecundum complectentur. Quum itaque horum nonaginta nouem, quos iam ediderunt modo dicti bibliopolae, tomorum copiam, quam adhuc habent reſiduam, in vnum quaſi volumen ſub nomine nimirum *primae centuriae*, ii velint redigere hacque ratione in poſterum quoque vt vnum opus vendere, rogatos cupiunt viros doctos, quos vnus forte aut alter deficiat ex illorum numero, velint ideo breui ſua dare nomina et, qui ipſis adhuc deſint, tomos coëmere: praeterlapſo enim aliquo temporis ſpatio ſingulis potiundi tomis forte carebunt opportunitate. Silentio inſuper praeterire nolumus, praeter tres diu iam editos tomos *indicis generalis omnium argumentorum in Hiſtoria et Commentariis* iam ſatis commemoratae Academiae *contentorum*, ipſius quoque tomum quartum prodiiſſe, ad annum vsque 1751 extenſum, ita vt his quatuor tomis centuriae illi primae additis, haec totius operis pars prima quaſi dicenda nunc prorſus finita ſit.

Memoria IOANNIS HARTMANNI DEGNERI, Medicinae Doctoris, Ciuitatis Nouiomagenſis Conſulis et Archiatri, Academiae Naturae Curioſorum Collegae.

Natus ille erat *Suinfurti*, quae vrbs in circulo imperii germanici franconico ſita vel ideo nominis adepta

adepta fuit celebritatem, quod Caeſarea Naturae Curioſorum Academia primam ſui originem ibi ceperit. Permultorum ea ſagaciorum ingeniorum iam ferax mater *Noſtrum* quoque proferebat anno ſuperioris ſeculi octogeſimo ſeptimo die menſis iulii vndeuigeſimo, patre ampliſſimo, IOANNE HARTMANNO, viro iuris peritiſſimo, liberae Rei publicae Suinfurtenſis ſenatore et ſcabino redituumque praefecturae ad ſacrum equitum ordinem Teutonicum pertinentis, quae vulgo *commenda* appellatur, *Munnerſtadenſis* ac coenobii *Bildhuſani* curatore ſummo; matre autem, ANNA CHRISTINA, filia Viri, dum viueret, illuſtris atque munerum et nominis et meritorum dignitate grauiſſimi, IOANNIS MICHAELIS DE FEHR, Med. D. liberae S.R.I. Rei publicae Suinfurtenſis Iudicis Caeſarei priuilegiati primae inſtantiae, qui ſolet ibi nominari, Praetoris Imperialis, Academiae Naturae Curioſorum Praeſidis ſecundi et Auguſtiſſimi Imperatoris LEOPOLDI Archiatri. Vterque *Noſtri* parens omne nunc ſtudium multumque curae in eo ponebant, vt filius liberali educatione fruitus, in omni doctrinae genere, quod puerilis aetas modo capere poteſt, inſtitueretur. Adoleſcens deinde factus fertilisque ingenii vim commonſtrans ideoque inſignem ſpem de ſe faciens, in gymnaſium introducebatur patrium, in quo induſtria ſciendique cupidine non parentibus ſolum et praeceptoribus, ſed et aliis viris ſolidae eruditionis fama atque laude conſpicuis ita ſe probabat, vt illorum ſibi magis magisque amorem confirmaret, et apud hos quoque multum ſibi conciliaret gratiae meritumque applauſum. Purioris itaque religionis praeceptis iam a teneris inde hauſtis et elegantiorum deinde literarum fundamentis ſedulo poſitis, ad altiora nunc tendens Academiam Saxonum Halenſem tum temporis celeberrimam petebat anno huius ſeculi

nono.

nono. Quamuis autem ſingulari aliquo inſtinctu in artis medicae ſcientiaeque naturalis ferretur culturam, patris tamen voluntati reſiſtere nolens, illud quidem ſtudium haud negligebat, tamen iuris prudentiae, cui ipſum dicauerat pater, ſeſe dabat ideoque STRYKII, LVDWIGII, BOEHMERI, THOMASII atque GVNDLINGII, eximiae famae magnique nominis virorum, intererat lectionibus, nec leues ex illis fructus capiebat. Interim fieri non poterat, quin naturae adflatu ductus et artem ſimul medicam callere vellet, ideoque FRIDERICVM HOFFMANNVM inprimis aliosque in hac arte claros viros ſequeretur. Quum autem hiſce ſtudiis atque laboribus per triennium vacaſſet, ad patrios lares redire cogebatur, vtroque parente intra octiduum orbatus. Quam acer vero ſit inſtinctus naturae et quam diu ille perduret, inter omnes conſtat. Licet itaque hoſpes atque peregrinus in ſcientia iuris minime *Noſter* eſſet, in ſuam ipſe nunc tamen veniens tutelam, ſuo quoque indulgebat ingenio et medicinae ſtudio totum ſe tradebat. Alia inſuper erat ratio, quae incitamentum hoc augebat. Auus enim maternus, iam ſupra nominatus, IO. MICHAEL DE FEHR, ampliſſimum cum celeberrimis diuerſarum gentium medicis habuerat commercium. Illum enim cum IOANNE LAVRENTIO BAVSCHIO, medico Suinfurtenſi doctiſſimo, ex primis fuiſſe iam alibi narrauimus *, qui Academiae Naturae Curioſorum dederant originem eamque ſtabiliuerant. Illarum vero nunc literarum, ab vtroque illo viro relictarum, diuitiae in manus *Noſtri* perueniebant, quarum crebriore lectione mirifice et ita delectabatur, vt artis ſalutaris iam per ſe auidus eo nunc maiore

* vid. Acad. S. R. I. Naturae Curios. Hiſtoria conſcripta ab eiusdem Praeſide A. E. BÜCHNERO; cuius ſummam exhibuimus in Commentariis noſtris Vol. VI. P. I p. 3.

maiore illius cognoſcendae penitius, ac huc vsque potuerat, et ſuo tempore faciendae cupidine incenderetur. Quamuis enim iam tum temporis, quum Halae commoraretur, illi arti ſcientiaeque naturali aliquod tribuiſſet tempus: horas tamen modo ſubſeciuas illius ſtudio impendere, itaque, quod gratum vereque vtile eſt in ea, delibare tantum, haud vero deguſtare prorſusque percipere potuerat. Nunc vero non conſummati ſolum medici imaginem ibi inueniebat expreſſam, ſed quam ſcientiae plenum quoque, quam iucundum, quam conueniens animo permulta cognoſcendi cupido, et quam ampli, in hominum ſalutem ſeſe diffundentis, vſus medica ſit ars, perſpicue et ipſa teſtante experientia inde intelligebat. Itaque nunc in eo erat totus, vt, quidquid ſibi in illius cognitione deeſſet, nunc demum ſupplere, et quo modo illam ad aliorum commoda applicaret, percipere vſuque ipſo poſſet diſcere. In priuato quidem muſeo multum ſtudii atque laboris tribuebat huic doctrinae generi: ſibi tamen ſolum ſe non ſufficere cito ſatis intelligebat, praeſertim quod legum medicarum, in collegiis quidem tradi ſolitarum, coram lectis tamen aegrorum applicandarum rationem, ſiue ſic dictam medendi methodum, attinet. Caſu nunc quaſi tum temporis acciderat, vt *Berleburgi*, quod non ignobile in Comitatu Witgenſteinenſi oppidum eſt, doctiſſimorum virorum concio eſſet famigeratiſſima, adeo vt permulti iuuenes huc confluerent ſcientiarum cupidiſſimi. Quam eruditorum virorum coloniam et *Noſter* quoque inuiſebat, vt praeter alios, quos ſequebatur praeceptores, IOANNEM inprimis IVNCKERVM, qui Halenſis deinde Academiae decus fuerat factus et ornamentum, nuper tantum e viuis egreſſum, ſibi eligeret doctorem inque facienda arte ducem, cuius ſingulari quoque fruebatur amicitia, ad vitae vsque finem ſancte culta. Anatomen

quoque

quoque in illo loco, id quod mirari quis forte poſſet, inueſtigandi nanciſcebatur opportunitatem, qua etiam, quantum demum poterat, vti haud negligebat. Quemadmodum vero ipſius praeceptor, IVNCKERVS, STAHLII inprimis ſcripta quam ſolertiſſime perſcrutatus, ſententiis eius de re medica vix non omnibus ex animo ſubſcribebat easque ſuis tradebat diſcipulis; ſic et chemiam ab ipſo viro prae aliis ante ipſum medicis incredibili ſtudio atque ſagacitate inueſtigatam, a permultis erroribus repurgatam, principiisque longe firmioribus ſtabilitam, colebat vnaque eius diſquirendae cupidinem in *Noſtro* excitabat. Quo factum eſt, vt is partem illius et phyſicam et in primis pharmaceuticam, multo ſtudio multaque induſtria pertractaret; qua de re ab ipſo exarata *diſſertatio phyſica de Turfis, Acidulis Vbbergenſibus et phoſphori vrinae praeparatione*, (quam deſcriptam videre poteris in *diſſertatione de phoſphoris et phoſphoro vrinae*, Auctore P. N. LOTICHIO, Medico Experientiſſimo), egregie teſtatur *. Poſtquam

* Editus fuit hic liber Traiecti ad Rhenum in forma, quam octauam dicimus, anno 1729 ſub titulo: IOH. HARTM. DEGNERI *diſſertatio phyſica de Turfis, ſiſtens hiſtoriam naturalem ceſpitum combuſtibilium, qui in multis Europae regionibus et praecipue in Hollandia reperiuntur ac ligni loco vſurpantur.* Alteram *de acidulis* diſſertationem, vti et illam, quam Cl. LOTICHIO Auctore editam fuiſſe, ab amico accepimus, nunquam videndi habuimus occaſionem. Quod illud porro opuſculum *de Turfis* attinet, Germanice quoque illud prodiit incognito interprete Francofurti et Lipſiae anno 1731 ſub ſpecioſo hoc titulo: *Teutſchtlands neu entdeckte Goldgrube*; *das iſt*: IOH. HARTMANN. DEGNERI, *phyſicaliſche und chymiſche Erörterung vom Torf, vorſtellend einen natürlichen Bericht von den brennenden Waſen, ſo in den mehreſten Landſchaften, inſonderheit in Holland angetroffen, und an ſtatt des Holtzes gebraucht werden: zum nützlichen und nöthigen Unterricht bey dem von Tag*

quam igitur Doctoris Medici honores meritus fuerat, vt eos quoque conſequeretur, Traiectum ad Rhenum deſcendebat ibique, doctrinae ſuae meritorumque ſpeciminibus publice exhibitis, diſſertatione potiſſimum ſua inaugurali, *de notabili quodam caſu febris petechialis cum cholerico - cauſodeo complicatae*, publici iuris ibi facta atque in eadem academia ex cathedra defenſa, honoribus, quos petierat, anno huius ſeculi decimo ſeptimo exornabatur. Sibi huc vsque inſeruiens, nunc quoque vt aliis fieret vtilis, *Elberfeldam* tranſiit, aegrorum ibi curam in ſe ſuſcepturus. Quamuis autem fini ſuo ſatisfaciendi largam hic loci inueniret opportunitatem, altero tamen anno poſt abibat *Nouiomagum*, ſedem ibi figens perpetuam. Eum quidem primum ſibi nunc praefixum habebat finem, vt aegrotantium ſaluti operam ac fidem pro omnibus nauaret viribus, id, quod etiam tanta fide tantaque dexteritate tamque felici ſucceſſu praeſtabat, vt apud ciues non ſolum, ſed exteros quoque ampliſſimam ſibi conciliaret exiſtimationem: interim tamen ſalutaris artis campum ſemper extendi poſſe atque debere a ſui cultoribus, probe perpendens, literarum culturae ſemper in muſeo vacare ſimul pergebat, et in primis obſervationes in aegris obuias notatuque dignas diligenter omnique fide colligebat, quarum multas et *Academiae Naturae Curioſorum Actis* et *Collectionibus* ſic dictis *medico-phyſicis Vratislauienſibus* inſerebat, multum inde famae apud viros doctos conſecutus. Summo, itaque iure honores merebatur, quibus ab Academia Naturae Curioſorum cohoneſtabatur, inter ſocios nimirum ipſius relatus ſub *Argonautae*

quarti

Tag zu Tag ſich mehr einfindenden Holtzmangel in Teutſchland: *aus dem Lateiniſchen überſetzt von* DOMANDROS. Hic et illic quidem a ſenſu verborum phyſicorum aberraſſe dicitur interpres; caeteroquin tamen eius diligentia laudatur.

quarti nomine, quippe quod eo magis ipſi videbatur honorificum, quo maiore olim cum dignitate illud geſſerat auus maternus, DE FEHR. Quam prudens autem atque ſollers fuerit medicus, vel nobis non monentibus teſtatur liber anno huius ſeculi trigeſimo octauo Traiecti ad Rhenum ab ipſo editus, quo *Hiſtoriam medicam de dyſenteria bilioſo-contagioſa, quae* 1736. *Neomagi et in vicinis ei pagis epidemice graſſata fuit*, perſpicue, docte ac vtiliter, exponit. Multo is cum applauſu a viris doctis exceptus tamque auide emtus fuit, vt ante paucos annos denuo ſubiiceretur prelo, cuius vere auctae editionis mentionem a nobis quoque ſuo tempore factam fuiſſe *), lectores noſtri procul dubio recordantur. Inſignem hominum multitudinem infeſtauerat tum temporiis iſte morbus, magnam quoque ſtragem efficiens, contra quem vero feliciter depellendum *Noſtri* eminebat dexteritas cuius fama illud inſuper ipſi conciliauerat emolumenti, vt Ampliſſimus ciuitatis Nouiomagenſis Senatus phyſici, qui ſolet appellari, prouinciam paulo poſt capeſſendam ipſi offerret; quo etiam munere tam ſpectata integritate fungebatur, vt illi, antea duobus, vel quoque tribus vna medicis demandari ſolito, ab anno huius ſeculi quadrageſimo tertio ad vitae vsque finem, ex Auctoritate illius Senatus, praeeſſet ſolus. Liber ipſe, quem modo nominauimus, non exemplar ſolum exhibet, ad cuius normam obſeruationes morborum conſcribi debeant; ſed induſtriae quoque et artis noſtrae pomoeria extendendi cupidinis, qua *Noſter* flagrabat, eximium praebet documentum. Varia enim vſu nondum ſatis cognita remedia illum adhibuiſſe effectusque inde obſeruatos rite annotaſſe inde patet. Quam rem quoque vlterius comprobat carcinomatis ope ſolani furioſi, vel Atropae LINNAEO dictae herbae, infuſi, perſa-

* vid. Commentar. noſtr. Vol. VI. P. II. p. 267.

perſanati obſeruatio a Cl. LAMBERGEN, Groningenſi Profeſſore meritiſſimo, feliciter ſuſcepta atque deſcripta, a nobis quoque olim fuſius enarrata *. Huic enim de illius remedii viribus denuo factae obſeruationi *Noſtrum* vel ideo dediſſe occaſionem inde patet, quod illius vim contra morbos cancroſos iam expertus, laudauerat hoc fere nouum medicamen Cl. WINTERO, Leidenſis Academiae Profeſſori Celeberrimo, qui hoc deinde ea propter, quod *Noſter* illud tentaſſet, commendauerat Cl. LAMBERGEN; circa cuius vſum id quoque ſilentio praeterire nolumus, quod vterque Vir iuſtam medicinae doſin experiundi inueſtigaturus, quilibet vnam eandemque deprehenderit. *Noſtri* tamen non in medendo ſolum peritia; ſed publica quoque fides atque auctoritas, quam ſibi comparauerat, nobis eſt laudanda. Si quis enim vir bonus, honeſtus atque muneribus gerendis idoneus, publicam quoque adipiſci velit exiſtimationem, huius, prae aliis, medico practico, in hominum multitudine verſanti, frequens ſubnaſcitur occaſio, cuius veritatis *Noſter* quoque ſuppeditat teſtimonium. Tantam enim ſibi gratiam, vti apud ciues atque ſenatum, ſic et in aula Sereniſſimi GVILIELMI, Arauſionenſis et Naſſouienſis Principis et totius foederati Belgii Gubernatoris, conciliauerat, vt ab hoc ſeculi huius anno quinquageſimo primo ciuitatis Nouiomagenſis muneri Senatoris, poſtea Scabini, tandemque quinque annis poſt ab illius Principis vidua, Sereniſſima et Regia Principe, ANNA, foederati Belgii Gubernatrice, conſulatus dignitati in eadem ciuitate admoueretur. Quo maiora nunc ipſi incumbebant officia, eo magis quoque ipſius fides, diligentia, tum in conſiliis ferendis, cum publicis gerendis negotiis dexteritas, ita eluceſcebant, vt apud aulae proceres gratia,

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 261.

gratia, ſenatum fiducia et amicitia, ciues tandem amore atque auctoritate polleret, omnium vero ſatisfaceret expectationi. Conſulatus inprimis dignitas eo gratior ipſi erat, quo maioris illam habebat felicitatem, quod CORNELIVM VARELIVM VONCK, virum in re publica aeque ac literaria illuſtrem, quocum intima iam huc vsque ſibi interceſſerat familiaritas, in eodem munere nanciſcebatur collegam. Singularem porro *Noſtri* in ſalute rei communis amplificanda tuendaue induſtriam poſt mortem quoque laudant ciues, vt nullam partem temporis, ne in morbo quidem, ad otiandum ſibi conceſſerit. Eo itaque magis acerba illis eſſe debuit iactura, quam morte ipſius fecere die ſexto Nouembris anni 1756, quum obdormiendo potius, quam moriendo, animam ſalutemque committeret Deo, quem per totam vitam coluerat et cui moribundus etiam confidere poterat; poſtquam per anni fere ſpatium a ventriculo male affecto, et vti veri ſimile erat, ſcirrhoſo facto, omnia, quae et qualia ingeſta fuerant, quotidie reddente, corpus extenuatum vitaeque longiori omne nutrimentum ſubtractum fuerat. Quod res *Noſtri* domeſticas attinet, illud adhuc remur eſſe commemorandum, quod matrimonium bis inierit; prima vice anno ſeculi decimo octauo, quum in illud duceret matronam pietate animique caſtimonia commendatiſſimam, CATHARINAM GERTRVDEM BRAHMIAM natam, viri dum viueret, Experientiſſimi CHRISTIANI KALCKHOVII, ad aulas Berolinenſem et poſtea Monaſterienſem in Veſtphalia medici praecipui viduam. Hoc autem connubio optumae coniugis morte anno 1740 ſoluto, alterum iniit matrimonium anno 1742 cum virgine virtutibus ſpectatiſſima, ANNA CATHARINA GERTRVDE, Viri ſumme Reuerendi ALBERTI PETRI MIDDELDORFFII, eccleſiae ciuitatis, quae eſt in Comitatu Marcano,

Schwel-

Schwelmenſis, ſacerdotis meritiſſimi, filiam. Cum vtraque coniuge vitam quidem egit tranquillam, felicem, quin et hilarem, attamem nullos ex coniugio poſteros, ſed eorum loco vitae laudabiliter geſtae famam, reliquit.

Memoria AVGVSTI IOHANNIS ROESELII DE ROSENHOF, pictoris, dum viueret, inter Norimbergenſes egregii et naturalis hiſtoriae ſtudioſiſſimi.

Studium naturae ampliſſimum largiſſimos vbique patefacit campos, in quos excurrere poſſint ii, qui eius allecti deliciis, propius theſauros eiusdem percontari voluerint; hinc etiam ſine laude praetermittendum non eſt eorum virorum ſtudium, qui aliquam pro ratione ſuae vitae generis arripientes eligentesque partem, in ea curatius ornanda perficiendaque allaborant. Imaginem artificis periti et ſtudioſiſſimi nobis ſiſtit, quem eapropter mature admodum fuiſſe ereptum dolemus, AVGVSTVS IOHANNES ROESELIVS DE ROSENHOF, ex antiqua nobili proſapia oriundus, cuius proaui, ex Auſtria religionis cauſſa ſecedentes, prope Norimbergam ſedem ſibi fixerant. Naturalis quaſi ad artem caelatoriam inſtinctus in eo excitabatur, patris dum premeret veſtigia, qui, ſcalpendi in aes arte clarus, Norimbergae floruit, ad alia deinde a Duce Brunſuicenſi munera vocatus. Hic eum ex SCHALIA, Norimbergae oriunda, ſuſceperat. Nec non aui, FRANCISCI ROESELII DE ROSENHOF, eum incitauerant clara et principibus quoque viris comprobata opera, pingendi arte celeberrimi viri, cuius egregiae artis aeterna monumenta in theſauris magnatum recondita reperiuntur. Natus

autem eſt *Auguſtaeburgi*, anno huius ſeculi quinto, die menſis Martii triceſimo, quo in loco pater eius arcis curam oeconomicam habebat, vnde ſimul cum eo Goldſtallium in Thuringia abiit, vbi pater dirigendis laboribus, in montibus minerarum cauſſa inſtituendis, praeficiebatur. Prima quoque omnis ſcientiae rudimenta ipſum docuit pater optimus, quippe qui ipſum in delineandis etiam corporibus inſtruxit, qua in arte ita profecit, vt non ſolum a vidua duce Brunſuicenſi ad aulam eius vocaretur, verum etiam ad patruelem WILHELMVM ROESELIVM DE ROSENHOF pictoriae artis diſcendae cauſſa mitteretur, cuius inſtitutione per quatuor continuo annos vſus eſt. Sed ad maiora natus Noſter, in eo ſibi acquieſcendum non eſſe bene perſpiciebat, quare, quum in exteras regiones abeundi nulla ſeſe offerret occaſio, Norimbergam ſe contulit, Academiam pictorum ibi florentem aditurus. Quo facto, quanta ipſi perficienda reſtent, demum intelligens, ſeque maioribus picturis perficiendis imparem ſentiens, abiecto conſilio, minoribus picturis et ſculptoriae arti ſeſe deuouit, tam bono quidem cum ſucceſſu, vt conquiſitis inde opibus in Daniam iter tentare poſſit, ibidemque et ſuorum laborum elegantia et fautorum commendatione regii principis gratiam iniret. Per duos hic annos commoratus denuo alienas viſendi terras eum inuadebat deſiderium: abibat hinc Hamburgum; ſed graui decumbens morbo, eo ſuperato, Norimbergam demum redibat, ſuo defungens artificio, paruas conficiendi picturas atque in aes incidendi. Quae tamen in artifice laudari ſatis non poteſt naturae, quam imitari annitur, perſcrutatio, in eo tanta extitit, vt animalculorum potiſſimum minorum, quibus inſectorum nomen eſt, indagationem ſollicitam magis ſuam fecerit. Nullum itaque anni tempus, quo nouam ſibi inſectorum copiam futuram eſſe crede-

credebat, praetermiſit: campos, arua, ſiluasque indefeſſo peruadebat ſtudio, conquiſita autem mox depingebat, deinde nutriebat et ad eorum metamorphoſes attendebat; quicquid deinde obſeruarat, diligentiſſime deſcribebat. Eius vero induſtria, quum aliis non poſſet incognita manere, factum eſt, vt erucarum potiſſimum exempla ipſi mitterentur, quorum ectypa in *deliciis inſectorum*, ab eo editis, plura occurrunt. Singulari etiam fauore Cl. ADELBVLNERI, Prof. dum Norimbergae degeret, praelectionibus huius viri, in DERHAMI Phyſico-theologiam aeque ac in phyſicam experimentalem inſtitutis, intereſſe Noſtro permittebatur. Exinde vero primo ipſi enaſcebatur intentio, publice ſuas edendi obſeruationes. Bene tamen gnarus, quaenam ſit ſui ingenii vis, et qualis in deſcribendo et explicando facultas, quum iis, quae ad notiones claras diſtinctasque reddendi atque proponendi requiruntur, nunquam fuerit imbutus ſcientiis, de erudito et perito circumſpiciebat viro, qui ipſi auxiliatrices porrigeret manus, quem pro ſuo aliis inſeruiendi feruore facile inueniebat in Cl. D. GEORGIO LEONHARDO HVTHIO, qui per plures ipſi adſiſtere annos non deſiit, quippe qui non ſolum digeſſit deſcriptiones minorum inſectorum, ſed artem quoque ſecandi, et interiora minimorum animalculorum viſcera perluſtrandi, ingenue eum docuit. Notandum autem obſeruationes, claſſes et deſcriptiones inſectorum a ROESELIO ipſo conſcriptas, animaduerſiones vero eruditas, exterorum etiam, adiunctas a Cl. HVTH fuiſſe. Opus vix eſſe arbitramur, pluribus id confirmare documentis, ſiquidem vberrime id teſtentur relicta ab ipſo ſcripta, quae inſectorum, praecipue erucarum et papilionum, indolem et naturam, nec non ranarum fere omnium hiſtoriam tradunt, quae ſuis etiam locis in Noſtris Commentariis indicauimus. Plura

quoque Noſtro de lacertis aliisque animalibus ſcribendi erat intentio, niſi grauiori ſubinde eum invadente morbo tandemque praematura morte fuiſſet impeditus. Ab eo enim fere tempore, quo coniugium contraxerat, variis arthriticis vexabatur affectibus, ita vt anno huius ſeculi iamiam quinquageſimo ſecundo periculoſo tentatus morbo, toto latere ſiniſtro paralyticus euaderet; a quo morbo idoneis remediis, ipſa quoque electricitate et peritiſſimorum medicorum conſiliis aliquantum reſtitutus, iterum, quantum fractae quidem permittebant vires, priſtino ſeſe deuouit labori. Nihilo tamen minus, quum deperditam ſanitatem nondum plenarie recuperaſſet, et vagis podagricis tentaretur doloribus, ſenſim ſenſimque infarctus viſcerum nobiliorum inde enaſcebatur, qui doloris pleniſſimos motus ſpaſmodicos efficiebat, tandemque in oedema pedum crurumque degenerabat, quod ſuperueniente gangraena vitam eius, anxie hucusque protractam, anni huius ſeculi quinquageſimi noni die menſis martii viceſimo ſeptimo finiebat, poſtquam per quinquaginta tantum et quatuor annos orbi potuiſſet vtilis eſſe. Nullus autem infiſciabitur, aequa perpendens adhibitam eius induſtriam lance, neminem eſſe ipſi ſecundum habendum in rerum naturalium inquirenda et exprimenda natura, quippe qui proprio ſtudio, nulla inſtructione aliunde accepta, ad intimiora naturae penetrauerit, totique Germaniae honori extiterit, qua de re conſentientem habemus, primo nominandum loco Ill. HALLERVM in praefatione, quam egregio ROESELII operi de ranis praemiſit.

Sequentia vero a Cl. ROESELIO opera fuerunt edita:

Der monathlich herausgegebenen Inſecten-Beluſtigungen erſter Theil, in welchem die in ſechs Claſſen einge-

eingetheilten Papilionen mit ihren Urſprung, Verwandelung und allen wunderbaren Eigenſchaften aus eigener Erfahrung beſchrieben, und in ſauber illuminirten Kupffern nach dem Leben abgebildet vorgeſtellet werden. Nürnberg bey dem Verfaſſer 1746 *in* 4.

Der monathlich herausgegebenen Inſecten-Beluſtigungen zweyter Theil etc. welcher acht Claſſen verſchiedener ſowohl innländiſcher als auch ausländiſcher Inſecten enthält. Nürnberg, 1749. 4.

Der monathlich herausgegebenen Inſecten-Beluſtigungen erſter Nachtrag, in welchen verſchiedene zu denen bereits herausgekommenen Claſſen gehörige Inſecten, mit ihrem Urſprunge, Verwandelung, und allen wunderbaren Eigenſchaften aus eigener Erfahrung beſchrieben uud in ſauber illuminirten Kupffern nach dem Leben abgebildet, vorgeſtellet werden von AVGVST IOHANN RÖSEL, *Miniatur-Mahler. Nürnberg,* 1747. 4. Huius libri nos ſupra iam mentionem fecimus Commentar. Vol. IV P. II p. 215. nunc tantum addimus quarti Tomi Tabulas 34 prodiiſſe.

Hiſtoria naturalis ranarum noſtratium, in qua omnes earum proprietates, praeſertim quae ad generationem ipſarum pertinent, fuſius narrantur. Cum praefatione Ill. Viri ALBERTI VON HALLER, *Societ. Reg. Scientiar. Göttingenſ. Praeſidis. Edidit accuratisque iconibus ornauit* AVGVSTVS IOANNES ROESEL VON ROSENHOF. *Norimb. typis Ioan. Ioſeph. Fleiſchmanni* 1758 in forma regali c. figg. *Die natürliche Hiſtorie der Fröſche hieſigen Landes worinnen alle Eigenſchaften derſelben, ſonderlich aber ihre Fortpflanzung umſtändlich beſchrieben wird etc.* Huius etiam operis contenta adduximus Comment. Vol. VII P. II p. 282.

Praeter haec porro edita ſcripta adhuc ſuperſunt delineationes variae, v. c.

Opus de araneis, cuius icones iam parauit B. Auctor, nunc deſcribit ſupra laudatus Cl. D. HVTH.

Nec non lacertarum noſtratium hiſtoriam promiſerat Cl. ROESEL, vid. Comment. noſtr. Vol. VII P. II. p. 296 delineationes etiam varias iam effecerat, ſed ſine deſcriptionibus reliquit, inter quas duae chamaeleontis icones habentur.

XIX.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1758 prodierunt.

Recherches hiſtoriques et critiques ſur les différens moyens qu'on a employes juſqu' à préſent pour refroidir les liqueurs; ou l'on en indique un connu de temps immémorial et pratiqué dans la plus grande partie de l'Univers, par lequel il eſt facile, ſans nulle dépenſe et avec un ſoin très-leger, de ſe procurer, dans le plus grandes chaleurs de l'été, des boiſſons très-fraîches. (*Sine loco*), 12 (*Auctore* Cl. ROUX).

Traité hiſtorique et pratique de la cuiſine: ou le Cuiſinier inſtruit de la connoiſſance des animaux, tant volatils que terreſtres, aquatiques et amphibies de la façon de préparer les divers alimens et de les ſervir; ſuivi d'un petit abrégé ſur la maniere de faire les confitures liquides et deſſerts de toutes eſpeces, à Paris, 12 c. f. Vol. 2.

F. V. T. AEPINI ſermo de ſimilitudine vis electricae atque magneticae. Petropoli, 4.

Notes on the poſtſcript of a pamphlet intitled obſervations anatomical and phyſiological by AKENSIDE. London, 8.

Tracta-

Tractatio de miliarium origine, progreſſu, naturae et curatione. Auctore CAROLO ALLIONIO. Auguſt. Taurinor. 8.

Precis hiſtorique des nouvelles fontaines filtrantes tant domeſtiques que militaires et marines par M. AMY, à Paris, 8 mai.

Wohlbewährtes Gartenbuch, worinn nicht nur von vielen ſeltenen Geheimniſſen, ſondern auch von den Pflanzen, Blumen und andern Garten-Gewächſen, auch der Baumzucht u.ſ.w. Nachricht ertheilt wird von ISIDORVS ANTHOPHILVS, 8.

Oſſeruazioni teoricho practiche del fiſico ANTONIO DE AVGVSTINIS, nouareſe interno alle febre migliari che popolarmente ſiſono diffuſo per la Citta di Nouara nel a. 1755. in Milano, 8 mai.

IOHN ATKINS Navy Surgeon, or practical Syſtem of Surgery, with a diſſertation on cold and hot mineral ſprings and phyſical obſervations on the coaſt of Guinea. London, 8 mai. (*Noua et auctior editio.*)

CAROL. AVRIVILLIVS, Diſſ. de camphora cum oleo expreſſo iuncta. Reſp. *Matth. Theophil. Schulz.* Vpſal. 4.

IOAN. IACOB BAIERI Oryctographia Norica ſiue rerum foſſilium et ad minerale regnum pertinentium in territorio Norimbergenſi eiusque vicinia obſeruatarum ſuccincta deſcriptio cum ſupplementis anno 1730 editis recuſa. Norimbergae, fol. c. f.

CHRIST. GOTTH. BARTH, Commentatio de pulſu venarum. Lipſ. 4.

IACOB BARBEV DV BOVRG, Quaeſt. med. an trachaeotomiae, nunc ſcapellum, nunc trigonus mucro? Reſp. *Guilielm. Berthold.* Pariſiis, 4.

Formules de Médicamens, à l'uſage des Hopitaux d'Armée dreſſées par M. HYACINTHE THEODOR BARON. Sixieme Edition. à Paris, 12.

A Treatiſe of Madnes by WILLIAM BATTIE. London, 4 mai.

IO. GVIL. BAVMER, Diſſ. de mineralogia territorii Erfurtenſis. Erfordiae, 4.

WILHELM BAYLINS narrative of facts demonſtrating the actual exiſtence and true cauſe of that phyſical confederacy at Bath, made known to the public in private lettres of D. LVCAS and D. OLIVER. London.

Dell' Elettriciſmo. Lettere di GIAM BATTISTA BECCARIA. Bologna, 4 mai.

IOHANN GOTTLIEB BECKMANN, *Verſuche und Erfahrungen von der zu unſern Zeiten höchſtnöthigen Holzſaat, zum allgemeinen Beſten herausgegeben. Zweyte Auflage. Chemnitz*, 8.

A treatiſe on Fevers wherein are ſet forth the cauſes, ſymptoms diagnoſtics and prognoſties, with the method of cure, by IOHN BELL. London, 8 mai.

IOAN. CORNEL. BENEDICTI Diſſ. de debili coctione ventriculi et inteſtinorum tenuium. Lugd. Batau. 4.

GEORG. GVILL. BENEFELD, de habitu virium motricium corporis humani ad actionem medicamentorum. Gotting. 4.

De Lucenſium thermarum ſale Tractatus Auctore IOSEPHO BENVENVTO. Lucae, 8. *Idem liber eodem loco et anno, eademque forma, italice conſcriptus prodiit.*

PEHR ION. BERG Inträdes tal om Stokholm för 200 ar, och Stokholm nu för tiden i anſunde til handel och wetenskaper ſärdeles den mediciniſka. Stokholm, 8 mai.

Eiusdem Förſök til de uti Swerige gångbare ſiukdomars ut rönande för år 1756. ibid. 8 min.

CAROL. AVGVST. DE BERGEN, Elementa Anatomiae experimentalis. Francof. ad Viadr. 8.

Proble-

Problema phyſiologicum cum tabula figuratiua ipſius ſolutionem exhibente, propoſitum ac ſolutum in ſcholis Academiae Duacenae a IOAN. BAPTISTA BERNARD. Duaci, 4.

GVILLIELM BERTHOLD, Quaeſt. med. an amnii liquor foetus alimentum? Reſp. *Claud. Franciſc. Gaſpard. Humbert.* Pariſiis, 4.

BERNARD. NICOL. BERTRAND, Quaeſt. med. an raro celebranda trepanatio? Reſp. *Marin. Iacob. Clar. Robert.* ibid. 4.

Oſſervazione Chirurgiche di GIVSEPPE BIANCHI. In Cremona, 4.

ELISABETHAE BLACKWELL, collectio ſtirpium, quae in pharmacopoliis ad vſum medicum aſſervantur etc. ſeu. EISABETH BLACKWELL, *vermehrtes und verbeſſertes Kräuterbuch von* 422 *bis* 475 *Blat; illuminirt. Nürnberg*, fol. mai.

IOH. CHRISTIAN BLASCHE, *Leben des Herrn Hofrath und Prof.* GEORG ERHARD HAMBERGERS, *nebſt einer Nachricht von ſeinen Schriften und gelehrten Streitigkeiten. Jena,* 8.

LVDOVIC. CAGASCHERIE DV BLE, Diſſ. inaug. Examen bituminis Neocomenſis. Baſileae, 4.

GEORG. RVDOLPH. BOEHMER, Diſſ. inaug. de nectariis florum. Reſp. *Ioan. Frider. Meiſner.* Vitemberg. 4.

Eiusd. Progr. de ornamentis, quae praeter nectaria in floribus reperiuntur. ibid. 4.

Eiusd. Progr. chirurgiae curtorum in vegetabilibus feliciter inſtitutae varios modos recenſens. ibid. 4.

PHILIP. ADOLPH. BOEHMER, Diſſ. inaug. de nimis ſcrupuloſa humani corporis ab aere frigido defenſione eiusque noxa. Reſp. *Groſſ.* Halae, 4.

HERMANNI BOERHAAVE, de cognoſcendis et curandis morbis Aphoriſmi, vna cum eiusdem de materia medica et remediorum formulis libello, ad ſingulos aphoriſmos digeſto, et ſcriptorum

Boer-

Boerhaavianorum indice, denuo multo emendatiores et auctiores prodeunt, cum praefatione CAR. FRIDERICI KALTSCHMIED. Francof. ad Moen. 8.

IOHANN TAVFFER BOHADSCH, *Dienſt-und nutzbarer patriotiſcher Vorſchlag, wienach dem Königreich Böheim ein ungemeiner Vortheil von ſonderbarer Beträchtlichkeit jährlich zu wachſen könne. Altſtadt-Prag*, 8. *m. K.* (libellus phyſici et oeconomici argumenti.)

Eiusd. Diſſ. de ſynocho putrida epidemica huius et elapſi anni vermibus ſtipata. Reſp. *Leonhard. Anton. Verbeck.* Pragae, 4.

Catalogue du Cabinet d'Hiſtoire Naturelle, de M. BOMARE DE VALMONT. à Paris, 12.

IOANNIS BONAE hiſtoria aliquot curationum mercurio ſublimato corrodente perfectarum. Veronae, 4 min.

WILLIAM. BORLASE. Natural Hiſtory of Cornwal, the Air, Climate, Waters, Stones, Semimetals, Métals, Tin, Iron Copper, Gold found in Cornwall, Vegetables, rare Birds, Fishes, Shells. Oxon. fol.

ERNEST. GOTTLOB BOSE, Diſſ. inaug. de vulnère per ſe lethali, homicidam non excuſante. Auctor. et Reſp. *Ioan. Chriſtian Müller.* Lipſ. 4.

Sur l' Hydropiſie de Poitrine et ſur les Hydropiſies du Pericarde, du Mediaſtin et de la Pleure; par M. BOVILLET le fils, à Béſiers, 4.

PETRI BOVSQVET Diſſ. de fluxu menſtruo. Monſpelii, 4.

HIERON. BRAKENS *Roßarzneykunſt; aus dem Enliſchen überſetzt. Altenburg.*

DIONYS. PAVTIER DE LA BREVILLE, Quaeſt. med. an frequens artus amputandi neceſſitas? Reſp. *Franciſ. Ludouic. Thom. d'Onglée.* Pariſiis. 4.

CAROL. LVDOVIC. BRVCH, Diſſ. inaug. de anagallide. Argentor. 4.

FLORENTIN. HENRIC. BRVNING, Diſſ. ſiſtens ſingultum morbum, ſymptoma, ſignum. Traiect. ad Rhen. 4.

ANDR. EL. BÜCHNER, Diſſ. inaug. de habenda climatis ratione in conſideranda militum valetudine. Reſp. *Matth. Knecht.* Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de affrictu ſolidorum in motu conſtitutorum. Reſp. *Scheibel*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de mercurii ſublimati corroſiui vſu medico interno. Reſp. *Stockhauſen*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de cryſtalliſatione. Reſp. *Adam Samuel Thebeſius.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de commoda venereae luis ſine ſialagogis curatione. Reſp. *Ioan. Ludou. Telzmann.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de tincturis ſalinis alcalinis. Reſp. *Ioan. Andr. Ludou. Bothe.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de veſicatoriorum ad exanthemata a nobilioribus partibus auocanda efficaci vſu. Reſp. *Car. Nicol. Chuden.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de emeticorum in medicina caſtrenſi ſalutari et noxio vſu. Reſp. *Ioan. Andr. Wilhelm Buechner.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de medicamentorum congruo delectu in curandis morbis perquam neceſſario. Reſp. *Ioan. Gottgetreu Mueller.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de inflatione hypochondriorum frequentius ſiniſtrum quam dextrum infeſtante. Reſp. *Conrad. Zachar. Boehme.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de oſcitatione, vt ſigno in morbis Reſp. *Ioan. Conrad Finger.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de noxio caloris effectu ex aeſtuoſis capitis tegumentis producto. Reſp. *Frider. Siegmund. Graſſ.* ibid. 4.

ANDR.

ANDR. EL. BÜCHNER, Diſſ. inaug. de medicamentorum ex auripigmento praeparatorum praeſtantiſſimo vſu medico. Reſp. *Georg. Frider. Kuppermann.* Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de tuburcinationis damnis. Reſp. *Ioan. Frider. Iulius.* ibid. 4.

IOANN. BVRMANN, Wacchendorfia (*nouum plantae genus*) Amſtelodami. fol. c. f.

ANT. IOS. IOAN. NEPOMVC. DE CAMMERLANDER, Diſſ. inaug. de ſplenitide. Altorf. 4.

Tableau de la Petite-Verole par M. CANTWELL. a Paris, 12.

HVGO CAPET, Quaeſt. med. an inueteratis alui fluxibus Simarouba. Reſp. *Wilh. Fumée.* Pariſiis, 4. (*recuſa tantum. Auctor fuit* DE IVISSIEV.)

IOSEPH. CARRERE, Diſſ. de vitali corporis et animae foedere. Perpignan. 8.

FRID. AVG. CARTHEVSERI rudimenta hydrologiae ſyſtematicae. Francof. ad Viadr. 8.

IOAN. FRID. CARTHEVSERI fundamenta pathologiae et therapiae, praelectionibus ſuis academicis accommodata. Tomus I potiora morborum genera morboſque capitis et pectoris continens. ibid. 8.

Neuer Hebammen Wegweiſer oder deutlicher Unterricht, wie eine Wehe-Mutter bey allen in der Geburts-Hülfe vorkommenden Umſtänden ſich zu verhalten hat, herausgegeben von P. S. DE CHAVFEPIE. *Lübeck,* 8.

NATAL. ANDR. IOAN. BAPT. CHESNEAV, Quaeſt. med. an mammarum cancri ferro tutior, quam cauſticis ablatio. Reſp. *Maximil. Ioſeph. Leys.* Pariſiis, 4.

Diſſertation Phyſico-Medicale ſur les cauſes de pluſieurs Maladies dangereuſes, et ſur les propriétés d'une Liqueur purgative et vulnéraire, qui eſt une Pharmacopée preſque vniverſelle par M. CHEVALIER, à Paris, 12.

Refu-

Refutatio obiectionum, quae aduerſus theſes, de irritabilitate IO. FRANCISCI CIGNA, exſtant in tomo ſecundo libri, cui titulus: *Sulla Inſenſitiuita et Irritabilita Halleriana Opuſculi di varii Autori, racolti da* HIACINTO BARTHOLOMEO FABRI, Bononiae editi, ad Vir. Cel. ALBERTVM HALLERVM. Lauſannae, 4. (*Ipſe Cl.* CIGNA *ſe defendit.*)

IOH. COLBATHS *Abhandlung von dem Miſtel und deßen Kraft wieder die Epilepſie, aus dem Engliſchen überſetzt. Zweyte Auflage.* Altenburg, 8.

Remarks on a ſerious Adreſs to the Public concerning the Means of avoiding the dangers of Inoculation by THOM. COOPER. London, 8.

LVD. IOAN. BAPT. COSNIER, Quaeſt. med. an rachitidi rubia tinctorum? Reſp. *Marin. Iac. Clarus Robert.* Paris, 4.

Obſeruations on the intermitting pulſe as prognoſticating in acute diſeaſes a critical diarrhoea, or as indicating the uſe of purging remedies by DANIEL COX. London, 8. m.

The menagement of the Gout, by a phyſician from his own caſe; with the virtues of an English Plant Bardana, not regarded in the preſent Practice, but ſafe and effectual in alleviating the diſeaſe, by GEORGE CRINE. Second Edition. Lond. 8.

Obſervations Chirurgicales ſur les maladies de l'Urethre, traitées ſuivant une nouvelle méthode par M. DARAN. Quatriéme Edition, augmentée de nouvelles obſervations. à Paris, 12.

La Tablé general des Matieres contenues dans l'Hiſtoire et les Mémoires de l' Academie Royale des Sciences depuis 1741 jusqu'en 1750 par M. DEMOVRS. à Paris, 4 mai.

Con-

Contenta in hac parte.

1. Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weetenſchappen te Haarlem. Pars II. p. 387.
2. PORTERFIELD Treatiſe on the Eye. Vol. I et II. p. 401.
3. MONRO Obſervations anatomical and phyſiological. p. 415.
4. ANDOVILLE Theſes de Cataracta p. 422.
5. GAVBII Inſtitutiones pathologiae medicinalis p. 426.
6. REICHEL Diſp. de epiphyſium ab oſſium diaphyſi diductione p. 436.
7. VANDERMONDE Recueil periodique d'obſervations de Medecine etc. Tom. VII et VIII p. 444.
8. TRALLES Vſus opii ſalubris et noxius in morborum medela. Sectio II p. 475.
9. ROEDERER Icones vteri humani obſeruationibus illuſtratae p. 495.
10. SCHREBERI Lithographia Halenſis p. 499.
11. HARTMANN *Abhandlung von der Verwandſchaft und Aehnlichkeit der electriſchen Kraft mit den erſchrecklichen Luft-Erſcheinungen* p. 501.
12. BENVENVTI Tr. de Lucenſium thermarum ſale p. 513.
13. *Vermiſchte Schriften aus der Natur-Wiſſenſchaft, Chymie und Arzney-Gelahrheit* p. 517.
14. BVRMANNI Diſſ. de Geraniis p. 529.
15. BASTER Opuſcula Subſeciua Lib. I p. 535.
16. COSNIER Quaeſt. med. An rachitidi rubia tinctorum? p. 540.
17. ROBERT Quaeſt. med. an bilis ſapo acido-alcalinus? p. 542.
18. Noua phyſico-medica p. 543.
19. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1758 prodierunt p. 568.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS VIII. PARS IV.

LIPSIAE. MDCCLX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud C. G. Seyffert, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Miſcellanea philoſophico-mathematica Societatis priuatae Taurinenſis. Tomus primus. Auguſtae Taurinorum 1759 in 4. plag. 45½ tab. aen. 4.

Quum multae res phyſicae et mathematicae vel plane incognitae ſint, vel nequaquam ſatis explicatae, magnam profecto laudem merentur viri illi, qui, tum ingenio acutiſſimo ornati, tum praeclara doctrina imbuti, atque arte exercitati, in detegendis rebus, eisque explicandis tantam adhibeant induſtriam, vt phyſicae res omnes inde maximam capere poſſint incrementum. Quare, magna laude celebrandi ſunt Cl. Auctores miſcellaneorum ſupra dictorum quod phyſicae, rationis valde gnari hanc explorandarum rerum operam, in modum aliarum doctiſſimarum ſocietatum, in ſe ſuſceperint. Ex dedicatione, ad Sardiniae Regem directa, patet, hanc ſocietatem ex tribus conſtare ſociis: Equite SALVCIO, LVDOVICO DE LA GRANGE et IOH. FRANCISCO CIGNA. Duabus partibus continetur hic tomus primus, quarum

altera tradit ea, quae in ſocietate geſta ſunt, a IOH. FRANC. CIGNA latine ſcripta; altera complectitur diſſertationes et opuſcula varia a laudatis Auctoribus, aliisque confecta, quaeque partim latino idiomate, partim francogallico elaborata ſunt.

p. 3. *De Belliano problemate ſeu de ouorum elixatorum cicatricula.* Cl. BELLINVS olim ſtatuit, cicatriculam, cum oua elixarentur, a vitelli ſuperficie in centrum abire; in incubatis vero ouis eam poſt elixationem in ſuperficie manere. At docent Cl. Auctores inprimis Eq. SALVCIVS, qui huius rei cauſſa plura experimenta inſtituit, cicatriculam illam poſt quodcunque ebullitionis tempus a vitelli ſuperficie in recentibus ouis elixatis nunquam recedere. Ad albidum vero corpuſculum, quod attinet, in vitelli centro poſitum, tum in ouis non incubatis, quod BALBVS iam obſeruauerat, tum in incubatis, quod experimenta a Cl. Auct. inſtituta confirmant, non reperiri, aut obſcurius ſaltem cerni.

p. 7. *De varia barometrorum diuerſae diametri altitudine.* Num minor anguſtiorum barometrorum altitudo, capillarium tuborum exemplo, a maiori tuborum vi repellente repetenda ſit, ita tamen, vt repellens iſta vis in ſuperiori vacua barometrorum parte potiſſimum ſedem habeat, et frigore ad eam partem admoto imminui poſſit, reſtituto iterum calore adaugeri? quaeſtio mota eſt; quam Cl. BALBI affirmandam eſſe exiſtimauit *. Monet tamen Cl. CIGNA vim illam repellentem, ſi quae ſit, tuborum capillarium in vacua parte minime eſſe poſitam, quod diametro tantum reſponderet, nec vacuae partis varia longitudine mutaretur. Deinde, ſi vel maxime in vacua barometrorum parte vis

* vid. Comment. Bononienſ. T. II. P. I. p. 307 ſeq.

vis illa repellens quaerenda eſſet, eam frigore potius augeri, quam minui debuiſſe. Opinatus itaque eſt Cl. CIGNA, hanc mercurii depreſſionem in anguſtioribus barometris deberi potius relicto in vacua parte aëri, qui vel maiori copia in conſtrictioribus tubulis ſupereſſet, vel arctius ſpatium nactus, ſubiectum mercurium vehementius comprimeret, admoto autem ad ſupremam barometri partem frigore ita conſtringeretur, vt minorem preſſionem exerceret. Haec res impulit Cll Auctores, vt de experimentis cogitarent, quibus difficultatem omnem dirimere poſſent: conficiantur barometra ea, qua fieri poſſit, cura e tubulis diuerſae dimetientis, in infima parte ſurſum flexis, ita vt crura aequalia et aeque diſtantia ſint; in alterum horum crurum infundatur mercurius; ſic aër, ſi quis remanſerit, in vacua barometri parte in anguſtius ſpatium coërcebitur. Ex quo experimento atque aliis a Cll. Auct. commemoratis perſpicitur, nec vi repellenti, vacuae parti perperam adſcriptae, tribuendam eſſe mercurii altitudinem, neque eam a frigore minui, ſed potius augeri.

De corrigendis barometrorum erroribus ex calore et frigore natis. Barometrorum mutationes non ſolum ex variata atmoſphaerae preſſione ortum trahere, verum etiam ex vario caloris gradu, qui mercurii denſitatem immutet, inter omnes ſatis conſtat. Quapropter naturae perſcrutatores ſemper cogitaverunt de adminiculis, quibus commode poſſint caloris effectus ab iis, quae a grauitate pendeant, internoſci. Augmentum altitudinis mercurii ex dato caloris gradu eſſe natum, vt columnae mercurii altitudinem, quae ei calori exponeretur, tam certum eſt, vt a nemine poſſit in dubium vocari. Atque propterea, ſi barometra ex vno inflexo tubo conficiantur hac lege, vt in crure altero mercurii p. 15.

 alti-

altitudo vnius ſaltem aut duorum ſit pollicum, tum rarefactionem mercurii, tum condenſationem in eo ipſo crure tam exiguum altitudinis diſcrimen effecturum iri, vt negligi tuto poſſit. Quare altitudinum ſcalam, ſuadent Cll. Auctores, breuiori barometri cruri eſſe adponendam, vt in hac ſcala loco pollicum ſemipollices, et linearum loco ſemilineae adſcriberentur, ac pro integris pollicibus lineisque ſumerentur. Poteris etiam, ſi paullo curatius errorem e minoris cruris rarefactione natum, declinare cupias, binas conſtruere ſcalas; quarum vna ipſi barometro affigenda erit, altera breuiori barometri cruri, vt haec aſcendendo imminuatur, illa augeatur. Quamdiu iam mercurius in eadem denſitate perſeuerabit, vtraque ſcala eundem gradum oſtendet, mutata vero denſitate, diuerſi gradus prodibunt, quorum ſemidifferentia totius voluminis incrementum vel decrementum ſignificabit.

p. 19. *De fallacia methodi dimetiendi quantitatem attractionis.* Ex altero bilancis brachio vitrum ſuſpendit planum Cl. CIGNA in ſitu horizontali, et in altero aequipondio appoſito, ſuppoſitoque mercurio, vitri inferiorem ſuperficiem mercurii ſuperficiei aptauit; hac methodo, a TAYLORO aliisque tradita, arbitrabatur facile poſſe maximam illam inter mercurium et vitrum adhaeſionem definiri. Sed, fallacem hunc eſſe concludendi modum, monuit LVD. DE LA GRANGE, eamque adhaeſionem, aut omnem, aut ex parte ſaltem externi aëris preſſioni, eſſe tribuendam. Quae modo dixerat, experientia planius docuit. Vitrum oleo ſuperillinierunt Cll. Auctores et ſuperficiem madidam aquae ſubiectae applicarunt, ſed magnum quoque pondus ad id vitrum ab aqua diuellendum neceſſarium eſſe, inuenerunt. Porro vitrum ſebi ſtrato, vltra ſemilineam craſſo, operuerunt, et nihilominus fuit idem experimenti euentus;

nouem

nouem et vltra vnciarum pondus requirebatur ad ſuperficiem 10 prope pollicum quadratorum diuellendam.

De aſcenſu et deſcenſu thermometrorum variis liquoribus madentium ex inflato vento. Cl. MVSSCHENBROEKIVS animaduertit, thermometra humida, ſi vento eiusdem temperiei perflentur, aut ſi ventus ipſe humidus ſit, inſigniter deprimi. Haec res digna videbatur Cl. Auctori, quae pluribus experimentis confirmaretur. Fuit autem experimentorum hic euentus: Aqua, vini ſpiritus, acetum, lac, cremor lactis thermométrum ad deſcenſum cogebant; petroleum, eſſentia caryophyllorum, oleum oliuarum, oleum lini adſcenſum efficiebant; denique oleum tartari per deliquium ad aëris temperiem accommodatum nullam mutationem proferebat, adeo, vt inflatum aëre thermometrum plane nullum mutationis ſignum indicaret. In rei cauſſam non inquirunt, ſolummodo dicunt, hanc inopinatam rem quodammodo pugnare cum hactenus cognitis ac perſpectis caloris atque ignis proprietatibus. p. 20.

De cauſſa extinctionis flammae in clauſo aëre. p. 22. Quaeſtio illuſtris eſt, cur clauſo in ſpatio flamma diu viuere nequeat, quam, vt veritatem rei Cll. Auctores aſſequerentur, cum magna eſſet de ea doctorum virorum contentio, ad viuum eſſe reſecandam exiſtimarunt. Flammae extinctio plerumque vaporibus varii generis tribuitur ab ipſa erumpentibus, quibus aër incluſus aut abſorbeatur, aut eius elaſtica vis deſtruatur, ita vt is, qui reſiduus ſit, minorem elaſticitatem exerceat, quam alenda flamma poſtulet. Sed monuit Cl. CIGNA, hanc ſententiam plus vna difficultate premi. Sciendum enim eſt, flammam clauſo in ſpatio, vix ad aliquot pollices eleuato mercurio, iam extingui, cum in

montium acumine, vbi longe rarior aër reperiatur, commode ea viuere poſſit. LVDOV. DE LA GRANGE, cum rei momentum intelligeret, de experimento cogitauit, quo res clarior euaderet. Accenſam ſcil. candelam ita vitreae campanae ſuppoſuit, vt eius inferior limbus a tabula, cui impoſita erat candela, aliquot digitos transuerſos diſtaret. Quamquam externo aëri in campanam ſatis amplus aditus pateret, tamen periit flamma. Ex quo perſpicuum eſt, clauſam flammam ex aëris defectu aut eius abſorptione non extingui. Deinde lanternam ex albo ferro conſtruendam curauit, quae quaquaverſum exquiſite eſſet clauſa, ita tamen, vt duobus in ſuprema parte foraminibus, duobus in media, totidemque in infima pateret, quorum vnumquodque in diametro vnius pollicis erat ac ſubere ex lubitu claudi poterat. Hac adhibita obſeruarunt, bina foramina ſuperiora aut media, aut infima ſuſtentandae flammae non ſufficere, ſufficere tamen duo alia quaeuis, ſi modo eorum vnum ſupra flammam, infra ipſam alterum poſitum eſſet. Dictis foraminibus valuulae annexae erant hoc modo, vt per ſuperius foramen aër egredi, per inferius ingredi tantum poſſet. Flamma ſemper manſit viua, ſed interiit, quando valuulae contraria ratione apponebantur. Ex his ſibi putant concedi, aërem per inferius foramen ingredi per ſuperius egredi debere, vt flamma ſuſtentari poſſit. Porro non ex renouatione, ſed circumductione aëris flammam ſeruari perſpicue oſtendunt. Cum hac quaeſtione, iam explicata, coniuncta eſt, alia, ſuſtentetne flammam aëris fluxus, qui ab inferiori ad ſupremam clauſi recipientis partem dirigatur, licet huiusmodi directio directioni, quam aër circa flammam ſponte ſequitur, oppoſita ſit? Quae ſuper hac re inſtituta ſunt experimenta demonſtrant, ſolum aëris circuitum flammae ſeruandae plane eſſe ineptum.

eptum. Cum iam clarum eſſet, nec fumo aut aquoſis vaporibus, neque abſorpto aëri aut deſtructae eiusdem elaſticitati, neque ipſius rarefactioni, ob quam ad flammam circa elychnium coërcendam aër ineptus euadat, flammae extinctionem in ſpatio clauſo eſſe tribuendam; alia ſupererat hypotheſis examinanda a phyſicis propoſita, quamque ſic pronunciant: flammae nutrimentum clauſo in aëre contentum ab ipſa flamma abſumi atque id nutrimentum a nitroſis ſalibus per aërem diffuſis maxime ortum trahere. Sed experientia edocti Cll. Auctores hanc opinionem conſumti pabuli nullo niti fundamento, eamque deſerendam eſſe arbitrantur. Nam flamma ſub campanam poſita, cuius limbus in nitri ſpiritum fumantem erat immerſus, ſimiliter periit, ac ſi aqua, vel alius liquor campanae limbum obtegiſſet. Quae cum ita ſint, largiendum tamen eſt, aërem in clauſo ſpatio ab incluſa flamma corrumpi, etſi, quale ſit illud vitium, detegi nullo pacto potuit. Nam ſi ſub campanam vitream flamma ſtatuatur, donec ſponte extinguatur, et poſtea alia per eandem aperturam immittatur, haec altera temporis puncto perire ſolet. Atque aër, refrigeratus etiam, flamma ſemel corruptus diu id vitium retinet, quare id neque calori, qui dudum iam diſſipatus fuerat, neque vaporum mixtioni, qui condenſati ſubſederant, eſſe tribuendum, intelligitur. Non flammae ſolum vario pabulo nutritae, ſed carbones, quoque accenſi, quin etiam candentia metalla proximum et circumfluentem aërem ita permutant, vt alendae flammae ineptus euadat. Idcirco calore potius, qui eiusdem indolis eſt in omnibus hiſce corporibus, nec niſi gradu in ſingulis diſcrepare videtur, quam exhalantibus effluuiis aërem corrumpi ſtatuendum eſt, eoque magis, quod nec condenſatione, nec filtratione, nec vllo alio artificio hoc aëris vitium emendari aut imminui

 potuit.

potuit. Similem quoque corruptionem patitur aër per tubos vitreos candentes traiectus. Iam cum vitrum candens effluuia in aërem transmittere aut ex aëre alimentum capere, vix veriſimile videatur, ob inſignem eius fixitatem atque immutabilitatem, efficitur, vt a calore potius, quam abſorptis, aut emiſſis aëris particulis vitium ſit ducendum. Sed quaenam tandem mutatio illa ſit ab igne producta, ob quam aër ineptus euadat, quaeſtio exiſtit; rarefactionem non eſſe aut mutatum aliud quoduis adſpectabile attributum, tum vitii conſtantia, quodammodo approbat, tumque experimenta alia ab HAVKSBEO, GREENWORDIO, atque ipſis Cll. Auctoribus inſtituta mirifice docent. Vnum quaeſo afferamus experimentum ab Equit. SALVCIO commendatum: Phiala vitrea longo collo inſtructa igni ſimpliciter exponebatur. Collo veſica flaccida circumligata fuit eo conſilio, vt aër vi ignis in phiala expanſus, eadem excipi poſſet, ac frigore condenſatus iterum in phialam ingredi. Iam phiala in igne poſita, donec candeſceret, veſica intumuit, eaque ab igne remota et refrigerata, flaccida reddita eſt; fractoque tandem inuerſae phialae collo atque immiſſa flamma aliqua, protinus haec extincta eſt. Ex dictis patet, caloris vi eiusmodi mutationem in aëris particulis induci; ſed num frigoris vi alia ab hac diuerſa effici poteſt mutatio? etiam. Candelam accenſam per vitreae lagenae breue collum immiſerunt Cll. Auctores et molli cera colli orificio accurate clauſo ſiuerunt flammam ſponte extingui aëremque corrumpi; deinde glacie circumpoſita lagenam refrigerarunt et in eodem frigoris gradu per aliquot horas detinuerunt. Poſtea lagena e glacie deducta expectarunt, donec calor ad cubiculi temperiem reſtitueretur; denique reſerato collo iterum accenſam candelam in lagenam immiſerunt. His rite factis flamma aliquamdiu manſit viva.

Ex

Ex quibus patet, frigus diuturnum ad vitioſam aëris indolem corrigendam, ex ingenti calore natam, requiri. Ignis extrinſecus adhibitus corpora vaſis incluſa interdum incendit, ſaepius non. Quod ſi corpora inflammantur, in cauſſa eſt, quia, dum ſuſcepto paullatim calore ad inflammationem diſponuntur, ambiens aër ſimul calefactus corrumpitur et alendae flammae impar redditur. Aër factitius e corporibus eductus immiſſam flammam, vt phyſici tradunt, penitus ſuffocat, cuius apparitionis rationem hanc eſſe putant: cum calore aër ſic vitietur, vt flammae alendae infenſus euadat, cumque aër factitius, vel efficiente igne excitetur, vel effervescentia ſeu putrefactione e corporibus eruatur, ſequitur, illum ipſum flammae ſeruandae eſſe infeſtum. Aerem, qui reſpirationi animantium eſt pernicioſus, ineptum quoque ſuſtentandae flammae eſſe, experimenta dilucide affirmant. Quaeri tamen poteſt, vtrum reſpiratus aër flammae exitialis euadat ex eo, quod pulmonum calore affectus fuerit, an, quod intra pulmonem aut animale corpus ex alia quadam cauſſa hoc vitium proficiſcatur? De hac re quid dicendum ſit, docet ſequens experimentum: Rana poculo vitreo, ſupra lancem metallicam glutinato, incluſa, ſuffocata eſt. Vixit autem per tres ferme dies. Vna a morte hora lancis foramen aperiebatur, et per ipſum accenſa candela in poculi cauitatem immittebatur. Protinus extincta eſt. Ex his colligi poſſe, cenſent Cll. Auctores aëris corruptionem, ex ſuffocatis animalibus ortam, calori haud eſſe tribuendam, ideoque non vnam ſed plures hactenus incognitas eſſe cauſſas, quae naturalem aëris indolem mutarent, vt alendae flammae impar euaderet.

Diſſertationes et opuſcula varia. De natura fluidi p. 3. *elaſtici in puluere pyrio ſe euoluentis, Auctor. Equ.*

SALV-

SALVCIO. Quas de pulueris tormentarii vi atque effectu naturae indagatores afferre ſolent cauſſas, eae ad duo potiſſimum genera commode redigi poſſunt; ſunt, qui dicunt, pulueris huius exploſionem proficiſci a celeri ac violenta actione, qua tota permixtio ſubito et vehementer calefacta rareſit, vel ſe magna vi conuertit in fumum ſiue vaporem flammantem. Sunt et alii, qui ſibi perſuadent, ex puluere, eo tempore, quo ignem concipiat, egredi fluidum quoddam elaſticum ante fixum quaſi et compreſſum, nunc ſe vehementer explicans. Quae ſententia, quamquam longe probabilior eſt altera, tamen non ita expedita eſt, ſi de ipſa materiae indole et forma quaeras, vt nullam mouere poſſes difficultatem. Aerem eſſe, multi contendunt; non eſſe aërem vel ſaltem impurum ſeu aliis particulis conſpurcatum, ſtatuunt alii. Propter hanc rei incertitudinem ac tantorum virorum diſſenſionem incitatus Cl. Auctor experientia duce nouam in hanc rem inquiſitionem inſtituit. Primum oſtendit, non ſufficere eorum cauſſam, qui puluerem pyrium igne correptum in fumum abire flammantem exiſtiment. Deinde tradit ſubtilem quidem, appoſitam tamen fluidi ſupra dicti elaſtici analyſin; Denique, quae ab aliis contra dici poſſint, rationibus refellit ex ipſa experientia ſumptis. Ad experimenta quod attinet, haec inprimis inſtituit: Vas vitreum ſuperiori parte anguſtum ſtatuit ſuper antliam pneumaticam, cui annexus fuit tubus recuruus ex vitro paratus ſatis longus, altera huius tubi pars copulata fuit cum alio vaſe vitreo, in cuius fundo pulueris pyrii portio iniecta erat eo conſilio, vt candela accenſa ad vas extrinſecus admota puluerem ſoluere atque incendere poſſet. Sub recipiente incluſa fuit auicula, coturnix ſcil. Iam exhauſta tanta aëris copia, donec aui mortis periculum immineret, admota eſt flamma ad vas illud vitreum puluerem continens.

Puluis

Puluis ignem concepit atque auis e momento periit. Antequam puluis fundi inciperet, flamma lenta et coerulea apparuit; verum penitus correptus ſine fragore in nubeculam tranſiit. Ergo perſpicuum eſt, pulueris pyrii ſonitum et fragorem a reſiſtente aëre externo pendere, nam in rarefacto aëre exploſio ſine fragore contigit. Fluidum illud, quod in puluere pyrio valde compreſſum animaduertitur, partibus contineri inprimis acidis, vitriolicis, nitroſis et magna materiae craſſioris copia veriſimile valde eſſe videtur. Qua propter Cl. Auctor pernicioſas illas in puluere contentas exhalationes chymicis adminiculis ſeparare tentauit; quod feliciter hoc modo praeſtitit: Praeter tubum vitreum recuruum cuncta, vt in commemorato experimento, eſſe voluit. Loco huius tubi elegit alium ex pluribus tubulis ita compoſitum, vt vnus alteri, alter tertio et ſic porro inſinuari poſſet. Eis iam locis, vbi tubuli inſerti fuerant, duplex filtrum oleo, vel ſale tartari conſtans adhibuit. Hoc vſurpato tubo compoſito aërem ex parte ſubduxit, viditque auiculam ſub recipiente moribundam. Mercurii altitudo in barometro eo temporis articulo, quo puluis incendebatur, 20 digitorum; Tum auicula, quaſi recentes vires recuperans, cito ſe erexit et mercurius eo ipſo tempore ad 10 digit. vsque depreſſus fuit. Hoc experimentum manifeſte docet, fluidum illud, quod in primo experimento ſe euoluerat, non ita fuiſſe purgatum, ac in altero; atque purgatum hoc, animantium vitae non tam obnoxium eſſe, quam primum. Porro inſtituit experimenta ſuper fluido illo purgato, vt cognoſceret, an elaſtica ſua vis minor eſſet ea, quae in impuro et a peregrinis particulis non liberato fluido deprehenſa fuerat. Denique inquirit in quantitatem, qua fluidum ſaepe dictum comprimitur. Haec cum eſſent inſtituta, ita concludit, vt in puluere pyrio ſine omni dubitatione fluidum

elaſti-

elaſticum ineſſe videatur, atque aërem in granulis pulueris incluſum mirumque in modum compreſſum, dum ſtupenda celeritate ſe euolueret, tanti effectus eſſe cauſam; reliquas autem res, quae adeſſent, ſolummodo alendae promouendaeque inflammationis cauſſa eſſe.

p. 18. *Super methodo de maximis et minimis. Auct.* LVDOVICO DE LA GRANGE.

p. 33. *De integratione aequationis differentialis, theoriam ſerierum recurrentium complectentis* Auctore eodem.

p. 43. *De Analogia magnetiſmi et electricitatis diſſertatio* IOH. FRANCISCI CIGNA. Magnetica phaenomena ad electrica pertinere iam dudum doctiſſimi viri opinati ſunt. Quum ſuper eadem re meditaretur Cl. Auctor nonnulla reperit, quae, vt analogiam magnetici et electrici fluidi egregie confirmare, ita paritatem valde dubiam reddere poſſe viderentur; de quibus, cum magna ex parte non ſint animaduerſa, paullo fuſius exponendum eſſe, in animum induxit. Iam primum tradit illa phaenomena, ex quibus ſimilitudinem aliquam inter electricum fluidum ac magneticum eſſe intelligitur, quae tamen, cum ſatis copioſe a Cl. Auct. collecta ac diſpoſita ſint, prohibent, quo minus de tanto rerum numero aliquid excerpamus. Elegimus itaque hinc inde quaedam nouitatis ſpeciem habentia. *Ferrum* non minus, quam reliqua corpora magnetico fluido permeari, manifeſtum eſt ex eo, quod acus ferrea ex praelongo filo ferreo ſuſpenſa, ſi ad eam enſem in apice magnetica vi imbutum admoueris, aeque viuidos motus praeſtet, ac ſi alio corpore acus ſuſten-
p. 52. taretur. Magnes armatus tam ad maiorem diſtantiam, quam maiori virtute ferrum attrahit, ſi polus eiuſdem nominis aequalis prope virtutis ad arma-

tura

turae pedem admoueatur. Per ſpatia aëre vacua aeque difficulter magneticum flumen mouetur, ac per corpora alia quaeuis, excepto ferro, quod docet ſequens experimentum: Sub campanam pneumaticam ferramentorum congeries collocetur, et ſuprema recipientis parte conſignata, vt ad idem punctum ſemper magnetis polus aptari poſſit, ex oppoſita recipientis parte ad eandem ſigni altitudinem acus nautica ſtatuatur et tentando diſtantia maxima eruatur, ad quam acus illa nautica a magnete ad ſignum iam dictum appoſito poſſit moueri; poſtremo aër exantletur. His rite factis, patebit, magnetem ad eandem diſtantiam in acum agere, ſiue vacuum recipiens ſit, ſiue aëre plenum. p. 59.

Admiranda quidem inter fluidum electricum et magneticum ſimilitudo deprehenditur, ſed, an vnum, atque idem fluidum conſtituant, eiusdemque omni ex parte naturae atque indolis ſint, recte dubitaueris. Nam, ſi quis paullo curatius rem ponderare velit, tantas difficultates reperiet, quae, ſi non plane neganda omnis affinitas ſit, tamen valde dubiam horum fluidorum paritatem reddere poterint. v. c. Eae tempeſtatum mutationes, quae electrica phaenomena manifeſte commutant, non eodem modo magnetica afficiunt, et, quae magnetica afficiunt, non item electrica: magnes frictione naturam electricam, itaque nouam aliquam a priori diſtinctam proprietatem acquirit: Reſinoſa, ſerica corpora, quae electricum fluidum coërcent, magneticum non magis, quam cetera coërcet etc.

Eiusdem experimenta de colore ſanguinis nonnulla. p 68.
Sanginem ex homine febricante eductum et quaſſatione ſolutum in duo pocula vitrea aequalia et ſimilia infudit, horum alterum ſub recipiens pneumaticum ſtatuit, alterum in aperto aëre reliquit. Subducto aëre obſeruauit vna cum Cl. BECCARIA ſanguinem

ſpumantem admodum eleuari, atque in bullas ſenſim paullatimque increſcentes intumeſcere, quae tandem diſruptae aërem emittebant elaſticum, ex quo mercurii altitudo in appoſito indice perſpicaciter augebatur. Sanguinis color grate floridus ac rubicundus manſit. Repetitis iam diu exantlationibus ſanguis omni fere aëre priuatus demum ſubſedit et floridum colorem cum atro et nigricante mutauit. Nec ipſa modo ſuperficies, ſed vniuerſa quoque moles longe obſcurior nigriorque apparuit. Tandem poculo e recipiente educto, ſanguis paullo poſt rutilum illum in ſuperficie colorem iterum recuperauit, atque aëre profundius peruadente rutili ſtrati craſſities ita paullatim increuit, vt poſt aliquod temporis interuallum totus ſanguis aeque rutilus ac prius fuerit conſpicuus.

Quum igitur aër ſanguini admixtus ruborem efficere videatur, inde intelligi poſſe exiſtimant, 1) *cur ſanguis venae pulmonalis perinde ac arterioſus floridus ſit, cur contra arteriae pulmonalis ſanguis perinde ac venoſus atro colore inficiatur?* 2) *cur ſanguine arterioſo ac venoſo per aliquot temporis minutas partes aëri expoſito, omne coloris diſcrimen tollatur?* 3) *cur obturata trachea et impedito aëris acceſſu ad pulmonem id diſcrimen ſanguinis arterioſi et venoſi tollatur?* 4) *cur inflato in cadauere pulmone, eadem diuerſitas reſtituatur?* 5) *cur reiectus ex pulmone ſanguis ſpumoſus ac floridus eſſe ſoleat?* 6) *cur in foetu, qui pulmone non vtitur, ſanguis obſcuri et rubiginoſi coloris et aquoſus perpetuo reperiatur?* 7) *cur in eryſipelate aliisque morbis quos ingruens putredo comitatur, ſanguis intenſe floridus ac rutilus obſeruetur, aëre nempe putredinis vi ex eodem prodeunte, cur item in confirmata putredine omni prorſus aëre difflato, ſanguinis color niger et luridus euadat?* 8) *cur demum in gangraena partes emphyſematicae euadant aere vi putredinis prodeunte, tumque ſanguis ex ſcarificationibus effluens nigro colore inficiatur?*

Sanguis,

Sanguis, quamdiu ſolutus eſt, aequabili colore conſpicitur, ſi vero concreſcit, in ſuprema quidem ſuperficie ruborem conſeruat, in media tamen atque infima parte nigrum colorem induit. Vt huius rei cauſſam aſſequerentur, haec experimenta inſtituerunt: Sanguinem, ex hominis pleuritici vena eductum, aequali quantitate infuderunt in bina pocula vitrea aequalia et ſimilia. Alterum libero aëri expoſuerunt, in alterum ad pollicis altitudinem oleum affuderunt. In vtroque ſanguis coagulabatur, hoc tamen diſcrimine, vt is, qui aëri expoſitus eſſet, rutilum admodum colorem in ſuperficie ſeruaret, ea parte excepta, quae parietibus proxima erat; alterius vero ſanguis, educto per ſyphonem oleo, omni ex parte niger reperiebatur. Interea aëri expoſitus in ſuprema ſuperficie rubrum colorem iterum aſſumſit, exceptis quidem quibusdam locis, qui oleo adhuc tecti fuerant, vbi niger color ſeruabatur. Ex quo perſpicuum eſt, ſanguinis nigredinem non eſſe deriuandam a partibus grauioribus, fundum petentibus, nec ruborem a leuioribus. Quod, quam a veritate alienum ſit, experientia duce facile cognoſcitur. Abraſit cultro Cl. CIGNA ſupremam rubicundam coagulati ſanguinis ſuperficiem, vt nigricans ſtratum ſubiectum detegeret. Haec aëri expoſita paullo poſt eundem colorem priori ſimilem induit.

Poſtremo ſanguineam placentam ex poculo ſumptam, cuius ſuperficies vniuerſa nigricans apparebat, reti ſuperimpoſuit. Non multo poſt latera et ſuperficies inferior aeque florida, ac ſuprema, percepta eſt, atque ſic ſanguis quaquauerſum eodem colore fuit adſpectabilis. Ex his experimentis omnibus, credit, ſequi, ſupremam ſanguinis ſuperficiem eſſe rubram, quod aërem tangat; nigram vero, ſi aër ab eadem arceatur; ſimiliter infimam ſuperficiem, quae alias nigra apparere ſoleat,

 admiſſo

admiſſo aëre rubeſcere, et in vniuerſum omnem placentae ſanguineae ruborem a ſolo aëris attactu proficiſci. Cur autem coagulatus ſanguis ea in parte, quae aërem non attingit, nigrum colorem oſtendat, haud facile definiri poteſt; num forſitan ex eo, quod aër, ſanguini admixtus et globulis ſanguineis interpoſitus, hunc ruborem ſeruet ita, vt concreſcente cruore contentus in interſtitiis aër expellatur, vel ita fixus reddatur, vt ad ruborem efficiendum non amplius aptus ſit?

IOH. BAPTISTAE GABER *ſpecimen experimentorum circa putrefactionem humorum animalium.*

p. 75. Quinquagenarius vir absque febre, inueterato ictero laborans vita functus eſt. Cadauer integro nychtemero brumali tempore repoſitum erat loco frigido; hoc tempore praeterlapſo diſſecabatur. Craſſa inteſtina conſpiciebantur cinereis foecibus infarcta; tenuia flaueſcente muco huc illuc conſperſa; cyſticus et choledochus ductus peruii; cyſtis vero bilis in atrum vergentis ingenti copia diſtendebatur; veſicula pertuſa bilem vaſe vitreo excepit; modicum foetebat, erat viſcida et tenax. Minuſculae huius portioni vnam et alteram aquae fortis guttulam affudit: efferueſcebat atque erumpebant ad liquoris ſuperficiem aëreae bullae cum ſibilo, qui admoto ad aures vaſculo percipi poterat, atque ipſo tactu ſentiri liquorem incaleſcentem.

Quae ſuperſtes erat, bilem in tres partes diſtinguit, totidemque vitreis vaſis apertis infudit. Vnum in hypocauſto repoſuit ad triginta quinque gradus circiter Reaumuriani thermometri calefacto, alterum in alio hypocauſto, in quo calor viginti quinque eiusmodi graduum fuit, tertium denique cubiculi ſeruabat temperiem inter ſeptimum et decimum fere gradum. Elapſis viginti quatuor horis ſingulas partes acidis explorauit. Bilis, quae

triginta quinque caloris gradus paſſa fuerat, dilutior euaſerat, vixque indicia leuiſſimae efferueſcentiae praebebat; quae viginti quinque graduum calori fuerat expoſita, diluta quoque reperiebatur, cum acidis parum quidem, ſed aliquanto magis efferbuit; quae demum in cubiculi temperie ſeruata fuerat, viſcida manſit et aeque vehementer, ac ante, cum acidis feruentem motum excitauit.

Sanguis ex eiusdem cadaueris vena eodem tempore eductus rubro flaueſcente colore apparuit; cum ſpiritu nitri dilutiori permixtus ſimili ratione efferueſcere incepit, minori tamen gradu eo, quo bilis ante efferueſcebat. Idem ſanguis per tantundem temporis interuallum, quo bilis in hypocauſtis aſſeruabatur, maiorem efferueſcendi vim, quam bilis, retinuit. Ex quibus legitimo modo, putat Cl. Auctor, colligi poſſe haec conſectaria: 1) Tantam in morbis naſci poſſe alkaleſcentiam, quam dicunt, vt humores cum acidis efferueſcentiam exhibeant. 2) Leuem putredinis et foetoris gradum, qui extra corpus nullum adhuc alkali praebeat, intra animale corpus alkali producere. 3) Alkali intra corpus genitum et bile contentum admodum volatile eſſe atque expeditum,

Simili ratione et ordine explorauit quoque bilem incorruptam, ſanguinis cruorem et ſerum. Haec fluida tribus expoſuit caloris gradibus eorumque indolem cum acidis perſcrutatus eſt. Tandem inuenit, omnium humorum bilem citiſſime cum acidis efferueſcere et citius longe humanam quam bubulam, paullo tardius cruorem corruptum, omnium tardiſſime ſerum. Nec cum ſolis acidis mineralibus corrupti humores, ſed cum dilutiſſimo etiam aceto deſtillato eiusmodi efferueſcentiam efficiebant. Ex his clarum eſſe intelligitur, alkali ex miti caloris gradu in auras auolare. Quae cum ita eſſent, de modo, quo

illud ipſum alkali colligi ac retineri poſſet, cogitauit. Quam ob rem hoc experimentum inſtituit: Ex febricantibus vitreo alembico ſerum ſanguinis paucas ante horas eductum excepit, atque alembicum in hypocauſto inter viginti quinque et viginti octo gradus thermometri Reaumuriani repoſuit, collum alembici per foramen in operculo ligneo hypocauſti apertum traiecit eo conſilio, vt eidem adaptatum capitellum cubiculi decem prope eiusmodi graduum calorem ſeruaret, exhalansque vapor ibi colligi poſſet, atque in liquorem condenſari. Capitelli roſtro phialam agglutinauit, quae collectum liquorem reciperet. Alternis diebus obtinuit deſtillati liquoris drachmas tres, cui acida admiſcens varium, vario tempore, conſecutus eſt effectum. Prima portio ſeri odorem et ſaporem referebat, limpida et diaphana erat; portio, quam altera vice obtinebat, eiusdem ferme ſaporis et pelluciditatis, modice tamen olebat; atque in his cum ſecunda conueniebat tertia. Nulla hucusque, neque cum acidis, neque cum alcalicis efferueſcentia produci poterat. Quarta portio grauiter foetebat, turbida erat et opaca, coloris ſubalbentis, leuem rubelli coloris tincturam ab admixtis acidis obtinuit, ſed absque efferueſcentia. Quinta portio poſt dies decem collecta, pellucida quidem, admixtis tamen acidis efferbuit et cum ſibilo bullas, ſpumamque excitauit. Sexta portio itidem limpida vix vllum efferueſcentiae ſignum dedit. Tandem alembicum fregit, ſuperſtes erat cruſta ſubrufa glutinoſa corio ſimilis, quae peſſimum foetorem ſpargebat, ſine vllo tamen cum affuſis acidis efferveſcentia. Quod experimentum docere videtur, alkali inter viginti quinque et viginti octo caloris gradus diſſipari, quod ſi colligeretur, feruentem motum excitare valeret, maſſamque relinqueret foeti-

foetidiſſimam ad efferueſcendum propter emiſſum alkali amplius ineptam.

Sanguis intra vas accurate clauſum ſeruatus, diutius alkaleſcentem naturam retinuit, quamquam calori viginti quinque graduum exponebatur. Educto vero obturaculo vapores magno impetu eruperunt, quibus totum cubiculum ingrato admodum odore inficiebatur. Inde patet, cur corporis humani humores intra vaſa vix foetentes iam alkali contineant, cum educti et in apertis vaſis ſeruati grauem foetorem prius acquirant, quam vllum alkali indicium praebeant. Videtur itaque alkali volatile non eſſe productum neceſſarium putrefactionis, neque gradum alkaleſcentiae gradui putrefactionis reſpondere, ſed natiua ſalia oleis permixta putrefactionis vi volatilia reddi, ſi de ſtirpium partibus ſermo ſit; ſin vero de animantium partibus, alkali viſcerum actione iam inchoatum aut aliis adhuc elementis inuolutum ex putrefactione perfici aut extricari.

Faſciculus ſtirpium Sardiniae in dioeceſi Calaris p. 88. *lectarum a* MICHAELE ANTONIO PLAZZA *chirurgo Taurinenſi. Quas in vſum Botanicorum recenſet* CAROLVS ALLIONVS. In hoc catalogo vtplurimum nomina tantum, citatis optimis ſcriptoribus exhibentur, paſſim tamen obſeruationes et nonnullarum plantarum ſuccinctae deſcriptiones adduntur.

De glanduloſo ouarii corpore, de vtero grauido et p. 104. *placenta obſeruationes* AMBROSII BERTRANDI. In generationis negotio vix aliquid intelligi poterit, niſi obſeruationibus rite accurateque inſtitutis. Nuda igitur hic quaedam adfert obſeruata Cl. Auctor, quorum priora ſpectant ouariorum ſic dicta corpora glanduloſa. In virginibus vere intemeratis, aetatis variae, vidit ſtigmata ſeu granula quaedam, horum

corporum rudimenta referentia: in aliis perfecta ea et turgentia, in robuſta quadam et ſucciplena corpuſculi huius papillam gangraena corruptam conſpexit. Figuram glandis referunt haec corpora, quae profunde in ouario infixa papillam ad eiusdem ſuperficiem porrigit, mammae papillae ſimilem, mox bene deuolutam, mox minus apparentem, mox tantum verrucam referentem. Ad latus externum ouarii vt plurimum germinat corpus luteum, interdum vero totum ouarium occupat; in hominibus ciceris aut fabae mediocris craſſitiem non ſuperat, in vaccis oliuam aut ceraſum maius exaequat. Vnum plerumque eſt, rariſſime duo in eodem ouario, aut vnum in vtroque reperit. Tunica ſat craſſa renitenteque pluribus vaſculis obducta inuoluitur, quae exterius ab ouarii tunica communi tegitur. Veſiculas ſiue oua decreſcere, corpore glanduloſo increſcente, vt varii contendunt, experientia doctus negat Cl. Auctor, nec etiam conſentit cum iis, qui ex fruſtulis et lobulis renum ad inſtar compoſita haec corpora dicunt, cum potius didymo analoga, ob miram vaſculorum minimorum texturam et criſpaturam, ipſi viſa fuerint. Circa pubertatis tempus ouaria, ob confertiſſimos vaſculorum manipulos rubere ac veluti floreſcere incipiunt; ſimulque ex profundo ouarii lutei nonnulli germinare videntur villi, qui mira celeritate in papillas ſeu luteorum vaſculorum penicillos cumulantur et papulam effingunt atque ſoliditate ac amplitudine creſcunt, nec tamen quippiam referunt, quod cum luteo corpore comparari mereatur. Pullulare quoque interdum vidit Noſter alteram velut appendicem corporis lutei et eandem germinationis oſtendebat rationem, ac flos ac gemma in plantis. Aſſenſum hic praebet Ill. HALLERO, qui ea corpora lutea in femina poſt conceptum primum adparere contendit. Variant vero haec corpora glanduloſa et in plenitudinis

dinis et incrementi, et numeri, et ſubſtantiae et coloris ratione mirum in modum, et per geſtationis tempus ita decreſcunt, vt tandem in exiguam molem euadant, granula ſiue maculas tantum referentem. Haec de corporibus glanduloſis, nunc de vtero ipſo agit. Praeparatur vterus quoque ad conceptionem; hinc Noſter ea tubercula, quae HIPPOCRATES iam acetabulorum nomine deſcripſit, quae tamen plures anatomicorum aut neglexerunt aut deſpexerunt, in vtero vaccarum et cuniculorum viſa deſcribit, quae poſt macerationem eiusdem corpora glanduloſa eſſe comperiit. Eadem et in beſtiis libidine aeſtuantibus nec tamen a mare compreſſis vidit. In mulieribus tamen prius, quam conceperint, nihil tale obſeruauit, turgere ſolummodo vterum ſinusque a MORGAGNO iam viſos ampliores factos conſpexit; quam vero turgeſcentiam non a placenta adhaerente, ſed a propria vteri vi dependere vel ex eo coniicit, quod eandem in vtero a paucis diebus grauido, cui nondum adhaerebat ouulum, inuenit. Addit demum pauca, quae ad geneſin, ſitum et adhaeſionem placentae ac membranarum oui pertinent, vbi ſimul in ſcropha quondam, in qua luculenter ſatis conſpiciebantur vteri dicta acetabula, mucoſam illam ac ſanguinolentam telam obſeruatam deſcribit, cuius iam HARVAEVS mentionem fecit, quae nullam ſubſtantiam embryoni ſimilem occludebat: in aqua haec membrana non ſoluebatur, citra omnem rupturam expanſa paſſim papulis ſanguineis rubebat. p. 112.

Continuatio obſeruationum de fluido elaſtico in puluere pyrio Auctore Equite SALVCIO. Continentur in hac tractatione varia, quae potiſſimum ex ipſa pulueris pyrii compoſitione, ſuarumque ingredientium partium chemica analyſi, et diuerſa proportione declarare quidquam poſſunt, inſtituta p. 115.

 expe-

experimenta, quibus omnibus, vt ſupra iam fecit Cl. Auctor demonſtrare annititur, eſſe hoc fluidum elaſticum, niſi vere aër purus, maxime tamen ipſi analogum.

p. 1. *De natura et propagatione ſoni Auct.* LVD. DE LA GRANGE. Lectu digniſſima quidem eſt haec tractatio, et non dubitamus, fore eam mathematicarum rerum peritis longe acceptiſſimam; ſed cum mathematica ratione elaborata ſit, praetermittimus eam ex eo conſilio, quod in conficiendis noſtris commentariis ſemper ſequi ſolemus.

p. 113. *De quantitatibus imaginariis Auct.* DAVIET DE FONCENEX.

II.

Tractatus de miliarium origine, progreſſu, natura et curatione Auctore CAROLO ALLIONIO, Phil. et Med. Doct. Taurinenſi Societ. Reg. Londin. Inſtit. Scient. Bonon. Acad. Reg. Matrit. et Societ. Phyſico-Botan. Florent. Socio, nec non Societ. Reg. Monſpel. et Götting. Correſpondenti. Auguſtae Taurinorum 1758. Excudebat Iac. Ioſeph. Auondus, 8. pl. 9.

Cuius dexteritatem et ſtudium in hiſtoriam naturalem haud ita pridem praedicandi copiam nobis fecerunt duo libelli *, illius eiusdemque Cl. ALLIONII nunc alium peruoluimus libellum, ad medicinam clinicam pertinentem, qui profundam Auctoris in hoc quoque ſcientiarum genere teſtatur ſcientiam. De febre miliari libellus agit, quem mole

* vid. Commentar. noſtr. Vol. VII. P. IV. p. 601. et ibid. p. 605.

mole quidem paruum, labore autem ſcientiaque refertiſſimum deprehendimus, vt credamus, illum vix cuiquam eſſe diſpliciturum, vel ideo, quod apta et conciſa ſit conſcriptus breuitate, nec Auctor eum ex aliorum ſcriptis corradendo, ſed ex propria experientia et aegrotos obſeruando conſtruxerit.

Magno labore ab initio eius omnia conquiſita p. 3.
videmus, quae ad morbi huius originem hiſtoriamque pertinere videntur. Non ea vero ſolum collegit, quae iam litteris paſſim ea de re mandata eſſe ſcimus, ſed ad claros quoque exterarum regionum medicos eadem de cauſa litteras dedit, atque ſciſcitatus eſt, qualis iſtius morbi iis in regionibus, in quibus hi commorantur, fuerit, et adhuc ſit, origo, progeſſus, ſtatus et mutatio. Per ſe itaque clarum eſt, fieri non potuiſſe, quin completa exinde orta ſit morbi huius hiſtoria, ex qua ſub finem cap. 1 concludit: *morbi contagioſa miasmata non ab* p. 28.
aere ſimpliciter, ſed ab iis, qui in morboſa regione venenum contraxerunt, ad alia loca translatum fuiſſe, et porro: *morbum hunc loca, quae ſemel occupauit, ex integro fere nunquam dimiſiſſe; per aliquot annos ſolum aliquando ſiluiſſe.*

In cap. 2 de nomine agit et ideam morbi ſuppeditat, quae cum illa, ab omnibus medicis recepta conuenit. Vidit tamen Cl. Auctor nunquam miliaria exanthemata absque febre, quod noſtris in regionibus valde ſolemne deprehenditur, quoinde et illam ſpeciem nomine purpurae chronicae et ſcorbuticae appellandi conſuetudo apud nos inualuit, cui tamen exanthematum generi non concedit purpurae nomen.

Omnibus fere medicis communis diuiſio in purpuram albam et rubram, quarum illa vitae periculis pleniſſima, haec vero multo mitior eſſe dicitur, Cl. Auctori diſplicet, cum ſe in contrariam rationem rubra exanthemata albis longe periculoſiora vtplu-

rimum obſeruaſſe in cap. 3 affirmet. HAMILTONI quoque diuiſionem in ſimplicem et compoſitam reiicit. Nec non illam, Cl. GVERIKII, qui morbum in idiopathicum, ſymptomaticum et complexum diſpeſcebat, noſtro quidem iudicio praeter neceſſitatem, mutare ſtudet, et morbum mutatis tantum nominibus in *ſimpliciſſimum*, *ſimplicem* et *complicatum* diuidit. *Simpliciſſimum* appellat illum, vbi miliaria exanthemata cutim occupant, ſine alio, praeter febrim, corpus affligente morbo; *ſimplicem*, vbi quidem ab initio alius morbus accedere videtur, reuera vero ille abeſt, qui vero, ſi adeſt, *complicatum* efficit.

p. 38. In cap. 4 de *ſimpliciſſimo* copioſius agit, et ſigna recenſet, ex quibus morbum vel aduenturum praeſagire, vel praeſentem cognoſcere et diiudicare licet. In duo itaque diuidit hoc caput membra, in quorum altero, de morbo ante expulſionem, in altero de eo poſt expulſionem exponit, quibus praeter ea duo alia, alterum de miasmatis miliarium proprietatibus generalioribus, alterum de morbis ſuccedentibus ſubnectit. Primo in ſtadio praeter ſenſum in digitis ſtuporis pungitiui, *Granſ* nomine noti, et praeter alia ſigna, pulſum contractum et durum, non debilem, vt medicorum plurimi affirmant, ſe obſeruaſſe dicit. In altero deſcribendo ſtadio iterum Auctor nonnullas ſupponit diuiſiones, morbus quippe, vel optime procedit, dum poſt eruptionem ſymptomata grauiora miteſcunt et morbus ſeptimo die finitur, vel, vbi illa poſt eam perſiſtunt et creſcunt, aeger valde periclitatur, vel morbus cito malum habet exitum, vel diutius trahitur et tamen aeger, vel conualeſcit, vel perit. Huic morbo ſuperato interdum alii ſuccedere ſolent, et metus iis, qui ſemel eo laborauere, remanet, ne, redeuntibus primae acceſſionis et tempore et conditionibus, idem quoque redeat morbus, quod puellae

puellae exemplo confirmat, quae vndecies ab anno 1752 vsque dum Auctor haec ſcriberet, morbum hunc perpeſſa fuerat.

In cap. 5 quod *diagnoſin morbi ſimplicis* exponit, p. 50. morbos recenſet, ſub quorum ſchemate ab initio purpura homines aggredi ſolet. Mentitur vero rheumatismos, conuulſiones, eryſipelatem, anginam, pleuritidem, odontalgiam, tuſſim, coryzam et omnes morbos, ex irritatione neruorum et inflammatione vaſorum ſanguiferorum et lymphaticorum ortos. Apoplexiam ſequuta exanthemata miliaria optime eam ſoluiſſe vidit Cl. Auctor.

Cap. 6 *diagnoſin morbi complicati* docet. Socios vt plurimum purpura habet morbos: arthritidem, peripneumoniam, quae fatalis ad mortem putatur, ſi quarto die exanthemata, ad ſalutem vero, ſi ſexto aut ſerius propelluntur, febres putridas, peticulares, varioloſas, quarum pauca vidit exempla, morbilloſas, intermittentes, quae vero ſexto die in continuas mutantur. Vidit quoque Auctor ſimplicem pene intermittentem tertianam febrim, in cuius tertio acceſſu miliariae poſtulae cutim occupabant, quibus vero frigoris tempore in ſubſequente paroxysmo ſubito retrogredientibus, aeger moriebatur. Exanthemata miliaria puerperis quondam adeo infenſa Auctorem quoque non latent, quae, ſi vteri dolorem non demunt, in vitae periculum ducunt.

Quid vero hoc in morbo vel ſperandum, vel deſperandum ſit in cap. 7 proponit. p. 60. Vt acutorum omnium, ſic vel maxime morbi miliaris fallax et dubia eſt prognoſis, quae tamen plerumque eueniſſe vidit Auctor in hoc morbo, aphoriſtice exponit, vt breuibus complecti nequeamus. Paucula haec excerpere nobis libet: malum praeſagit capitis dolor in plethoricis repente ante quartum diem ceſſans: pulſus quo magis contractus, eo grauiorem indicat morbum, qui poſt eruptionem exanthematum, ſi contrahi perdurat,

vel

vel eius contractio augetur, conuulſiones et interdum malum morbi exitum expectari iubet: albeſcens et ſero lactis ſimilis vrina muriaticam diatheſin et morbi plerumque diuturnitatem ſignificat: minutae puſtulae, ſi copioſae ſunt, et dum prorumpunt non puncturam, ſed pruritum efficiunt; grandioribus longe periculoſiores cenſentur: conuulſiones poſt eruptionem eadem, qua ante eam, ſaeuitie furentes, ſpem vitae ſeruandae valde imminunt: nihil boni de coniunctione miliarium cum variolis ſperare licet.

Cap. 8 quid in ſectionibus anatomicis hoc morbo denatorum obſeruatum fuit, enarrat. Dum Auguſtae Taurinorum morbus hic primum inter puerperas ſaeuire inciperet, ex voluntate regis, Cl. BIANCHI varias inſtituit ſectiones; nihil vero praeter vterum interdum inflammatum reperit, quod ad naturam huius morbi penitius indagandam aliquid conferret. Nec plura Cl. Auctori, praeter vaſa capitis venoſa, ſanguine valde turgida, reperire contigit.

Cap. 9 breuiter docet, quomodo hic morbus ab aliis deſcerni poſſit, quod ex praecedentibus facile erui poterit.

p. 67. Cap. 10 *remediorum euentus* in morbo non complicato recenſet. Venaeſectio, prima in periodo non ſolum innocua, ſed potius ſalutifera, altera in periodo periculo non caruit. Emetica ſine purgatione aluina exanthematum facilitarunt expulſionem, quae reiterato antiphlogiſticorum purgantium vſu retardata et interdum cum aegri ſalute prohibita fuit. Neutra in periodo diaphoretica efficaciora profuere. Copioſus antiphlogiſticorum, ex acidis vegetabilibus vſus, licet exanthematum miaſma corrigat, illorumque differat eruptionem, poſt illam tamen neutiquam tutus fuit. Abſorbentia parum, plurimum diluentia et emollientia

attulerunt vtilitatis. Vlcus ex veſicatoriis miliarium proruptionem non prohibuit, vel imminuit, nec retropulſorum materiam deriuatione abduxit. Veſicatoria, quae modo proſunt, modo nocent, pulſum eleuarunt et exanthemata protruſerunt. Frictiones, cucurbitulae, praecipue cum ſcarificatione et in delirio vehementi occipiti applicatae, fotus per lintea calida et humentia, exanthemata extorſerunt, deliriaque et conuulſiones ſedarunt. Disruptis veſiculis, quae cito repullulant, et educto humore morbi ſaeuities non miteſcere, nec conuulſiones poſt eruptionem permanentes, opiatis et antiſpasmodicis coerceri ſolent.

Num vero *ante Lipſiae epocham viſa ſit miliaris febris*, quaeſtionem in cap. 11 dirimit. Exanthemata miliaria longe antiquiora eſſe variae ex DIEMERBROEKIO, CRATONE et RIVERIO allegatae obſeruationes Cl. Auctorem quidem perſuadent, nihilo tamen minus integrum morbi progreſſum ex Lipſia repetendum et vt nouum morborum genus conſiderandum eſſe cenſet; quae vero eum produxerit, cauſa ignoratur. Auctori videtur ille, vt ſudor Anglicanus, ex peſtis ſeminio, per coeli diuerſitatem mutato, ortum traxiſſe. p. 70.

In cap. 12 *miasmatis miliarium proprietates* recenſet. Aeris ope et conſortio hominum illud traduci, diu innocuum corpora inhabitare poſſe, ſingulari et propria vi ſolida et neruos tendere conuellereque, ſanguinem praecipue lympham cogere, vaſa lymphatica primum, poſtea ſanguifera inflammatione incendere, illam ex miasmatis mobili natura non conſtantem eſſe, ſed facile ſolubilem, miasma plerumque ad cutim, cuius neruis infenſiſſimum, propelli, ibique perſpirationis materiam et alios quoque humores corrumpere, hae ſunt praecipuae proprietates, ex quibus in cap. 13, in quo eius *naturam* ſtudet accuratius determinare, p. 80.

colligit,

colligit, conſtare miasma hoc ex *ſubſtantia tenuiſſima, exſtimulanti, veneno prorſus aequiparanda.* Tenuitatem comprobat mobilitas exanthematum, vim ſtimulantem, conuulſiones, venenatam vero indolem ſimilitudo, quae eſt hydrophobiam inter et hunc morbum. Hydrophobia enim eadem ac purpura producit ſymptomata, eo tantum diſcrimine, quod illa ad certa loca ſanguinem, haec vero lympham determinet, ibique retineat. Num vero hoc miasma indolis alcalinae, an acidae, an animatae ſit; Auctori quoque ignota manet res.

Ex ſuppoſita miasmatis indole nunc in cap. 14 quomodo praecipua morbi huius phaenomena explicari poſſint, demonſtrat. Sic contractionem pulſus, phaenomenon huic morbo proprium, a vi miasmatis et neruos et ſolida tendendi et conuellendi deriuat, in qua etiam, ſi addideris celeriorem humorum motum, vrinarum decolorum rationem inuenies. Cum cuticula cuti, ſenſilibus neruorum papillis refertiſſimae, nullibi firmius, quam in apicibus digitorum adhaereat, et cum humores, virtute hac ſtimulante impraegnati, ante eruptionem cuticulaeque eleuationem ibi colligantur, ratio in promptu erit, vnde ſtupor ille pungitiuus in digitis et conuulſiones oriantur, quae longe vehementiores fiant, ſequitur, ſi retrogredientibus exanthematibus, materia illorum retropulſa denudatas nunc neruorum papillas multo acutius irritat. Mortem in hoc morbo non a febris vehementia, nec cutis inflammatione, ſed a punctura neruorum cutaneorum deriuat Auctor.

Nunc in tribus ſequentibus capitibus, curatio-
p. 89. nem morbi perſequitur, quae pro ea, quam ab initio fecerat, diuiſione in tria diuidit capita, in quorum primo, cap. 15, docet, quomodo morbus ſimpliciſſimus curetur. Cum omnis hic morbus dependeat a miasmate quodam venenatae indolis ad

cutim delato, ante omnia omnis cogitatio eo dirigenda eſt, vt medicamentum inueniatur, quo haec venenata indoles, vel prorſus deſtruatur, vel ſic mutetur, vt, etiamſi ad cutim deferretur, ſolita non excitet ſymptomata; quo impetrato, plenaria ex corpore eliminatio in altera periodo eo minoris fuerit difficultatis. Eiusmodi ſpecificum medicamentum ad *febres puerperarum mali moris*, non ſolum efficaciſſimum, ſed etiam tutiſſimum ſe inueniſſe, WAGNERVS M. Lubecenſ. ſingulari epiſtola iam plures ante annos notum fecit et prouulgauit, quod I. G. GMELINVS, pro mercurio dulci habendum eſſe, experientia edoctus credit, quippe qui illum aliquoties ſalutari cum effectu hoc in morbo exhibuit. Et Cl. Auctor quoque varia cum variis medicaminibus e. g. cort. peruuiano, ſucco malorum medicorum et ſale eſſentiali acetoſellae fecit pericula, quae illum docuerunt, acida vegetabilia miasma hoc aliquantulum infringere, neutiquam vero plenarie corrigere. Acidum his ſubtilius plus forte valiturum eſſe ſperat, ſi proſtaret. Si itaque miasmatis natura plenarie immutari nequeat, videndum eſt, an medicus eius actionem praeuertere poſſet. Licet vero miasma miliare tenuiſſimae ſit indolis, neutiquam tamen prius morbum in corpore excitat, quam vel lymphae, vel ſanguini induxerit aliqualem denſitatem. Potenter reſoluente itaque quodam opus eſſe videtur medicamine, quod viam ſimul ſibi paret ad minima vaſcula. Succurrit hic Auctori mercurius ſublimatus corroſiuus Switeniana methodo exhibitus, quem quidem annon in hunc finem adhibere liceret? quaerit. Cum inter hunc morbum et hydrophobiam magna deprehendatur ſimilitudo, forte hic morbus iisdem remediis obediet, quibus illa obedire ſolet, proſperrimo certe cum ſucceſſu Cl. Auctor, more Chinenſium, moſchum cum cinnabari in homine ſexagenario, podagrico et

purpura

purpura peſſimisque eius ſymptomatibus laborante tentauit, quod vt medici imitentur, ſuadet hortaturque. Poſt miasmatis correctionem et poſt eius actioni oppoſita obſtacula ſollicitus ſit medicus, vt quam citiſſime miasma e corpore eiiciatur et a cutis peripheria prorſus arceatur. Haec medendi methodus, quam Cl. Auctor *extraordinariam* dicit, et ſe inueniſſe, ſuamque de ea conceptam ſpem ſemper impleuiſſe, refert, poſtulat, vt aeger neutiquam, ſine graui tamen errore, ſudoribus indulgeat, ſed affatim aquam ſale acetoſellae, aut ſucco citri impraegnatam bibat, poſt ſemel, bis aut ter inſtitutam venaeſectionem, aluus aegroti aliquoties, ad minimum ter, purgante antiphlogiſtico cieatur, quem in ſcopum Cl. Auctor vnciam, aut duas pulpae caſſiae, aut ſyrupum florum perſicorum commendat. Poſt horum vſum, pulſus contractionem imminui et ſudores diſparere obſeruauit; quae aluo aegri depoſuerunt, foetidiſſima fuerunt et ardoris ſenſu, ſub ipſa excretione moleſto, acrimoniam ſuam prodidere. Spatio ſeptem aut vndecim dierum aegri hac methodo priſtinam recuperarunt ſanitatem. Statim vero ab hac methodo abſtinendum eſt, ac exanthemata apparuere. Si qui vero eſſent, qui huic methodo diffideant et quibus morbi ſolutionem maiori cum periculo per exanthemata expectare placeret, eos ad ſequentia in prima periodo vt reſpiciant, Cl. Auctor hortatur: 1) vt fibrae tenſae infuſis herbarum emollientium, et ſero lactis emolliantur: 2) vt ſanguis et lympha coacta diluatur leniterque reſoluatur: 3) vt humorum circuitus liber ſit, cuius ergo venaeſectionem ſuadet: 4) vt conuulſiones cohibeantur, quod vero non antiſpasmodica nec opiata praeſtant. Altera in periodo, vbi omnia ex voto cedunt, medico ſolummodo incumbit vires aegri ſuſtinere cutimque ſeruare madentem. Vbi vero poſt exanthemata erupta

conuul-

conuulſiones perſiſtunt, ſudores imminuuntur, febris augetur cum pulſu contracto et puſtulæ ſubſident, medicus 1) expulſioni exanthematum ſuccurrat, 2) nec illa vt ſubſideant curet, 3) iis vero retropulſis, conuulſionibus lethalibus occurrat, 4) reſarciat ſeri iacturam, 5) humorumque corrigat acrimoniam. Primo ſcopo diluentia et lenia diapnoica, 2) pro varietate cauſarum frictiones, fotus, cucurbitulae cum ſcarificatione, vel plenior paullo victus et mens hilaris, 3) cucurbitulae cum ſcarificatione, vel variis locis, vel occipiti, aut hirudines, venis temporalibus applicatae, 4) frequens diluentium vſus, 5) acida vegetabilia, non mineralia, quae in hoc morbo ſuſpecta ſunt Cl. Auctori, et clyſteres ex ſero lactis faciunt ſatis.

Curatio morbi ſimplicis in cap. 16 eadem fere eſt, ac illa ſimpliciſſimi. Medicus tamen morbum, ſub cuius ſpecie purpura corpus aggreditur, perpendat et pro eius indole copiam ſanguinis mittendi determinet. Methodum morbum ſine exanthemate curandi ſupra indicatam et hic proſpere ceſſiſſe, Cl. Auctor affirmat, prius tamen, quam ſimulatus morbus diſparere incipiat, illam adhibere vetat.

Si quo in morbo vel maxime in purpura complicata medici requiritur iudicium, ne medendo purpurae, alter morbus augeatur. Regulas itaque cautionesque Cl. Auctor in cap. 17 conſtituit. quae ſumme neceſſariae videntur. Contempletur medicus naturam morbi complicati miaſmatiſque quantitatem et in eligendis medicinis contra morbum adiunctum ſit cautus ac prouidus, ne iis ſudores prouocando exanthematum eruptionem nimis feſtinet. In arthritide venae ſectio intermittatur vt et vſus diaphoreticorum, diluentia et attenuantia maximi ſunt momenti. In pleuritide et peripneumonia larga venae ſectio non diu differatur, largaque manu mitiora acida, quae vtrique morbo con- p. 105.

ueniunt propinentur, quibus omnibus praeferatur rob ſambuci. Methodus per euacuantia ſupra memorata interdum in hac morborum complicatione non ſine vtilitate adhiberi poteſt, qua foeminam ſine puſtularum eruptionem ſe curaſſe refert Cl. Auctor; dederat vero purgantia eo tempore, quo, ſudoribus accedentibus, ſputum decolorabatur. In febre putrida, praeter acida, clyſteres in vſum ſunt vocandi, quo alui fluxus perſiſtat. In febribus intermittentibus, praemiſſa venaeſectione, methodum per euacuantia antiphlogiſtica ſuadet, chinae vero vſum, ob ſtatum inflammationis vaſorum lymphaticorum et ſanguiferorum, diu differt. Peticularum miaſma ad gangraenam, miliarium vero ad inflammationem tendit, vtrique igitur in hac complicatione eſt occurrendum, maxime vero ei, quod vel quantitate, vel actione praeualeat. Mitiora acida, diluentia, corroborantia et antiſeptica conditioni aegrorum ſunt accommodanda. Peſſima eſt coniunctio variolarum et purpurae, illarum enim miaſma excitat inflammationem vaſorum ſanguiferorum, adeoque huius miasmatis intercluditur via ad vaſa lymphatica: miliarium viciſſim venenum neruos ad ſpaſmos irritat, hinc variolarum ſuppurationem impedit. Mutua itaque vtriusque morbi eſt actio, quae ſe inuicem tollit, adeoque ad deſtructionem corporis tendit humoribus gangraenoſam inducendo mixtionem. Qui vtrique malo occurratur? ne neutrum negligatur, Cl. Auctor dubius haeret, venae ſectio, emollientia, diluentia, ſubacida pro miaſmatum conditione ſunt periclitanda. In purpura puerperarum fluxus lochiorum vnice fere eſt attendendus.

In cap. 18 *animaduerſiones* et *cautelas* quasdam
p. 118. *clinicas* ſubnectit. Licet non ſolum in hoc ſed etiam in praecedentibus capitibus Cl. Auctor, more Gallorum, in ſanguine mittendo prodigus fere videri poſſit, cum in morbo miliari ſimpliciſſimo venae-

ſectio-

ſectionem ſumme neceſſariam et viro robuſto per interualla quinquaginta circiter vncias ſanguinis emittendas eſſe credat, iterum iterumque tamen medicos monet, ne nimium ſanguinis detrahendo vires aegroti exhauriant. Veſicatoria non niſi in virium torpore permittit. Sinapiſmos, quos odiſſe videtur Cl. Auctor, et *ſaeuum tormenti genus* appellat, non ſuadet. Nitrum, diaphoretica calidiora et terrea abſorbentia variis rationibus ductus omnino diſſuadet.

In cap. 19 curationem morborum ſuccedentium et in 20 prophylaxin docet.

III.

De recondita febrium intermittentium tum remittentium natura et de earum curatione variis experimentis et obſeruationibus illuſtrata, libri duo. Amſtelodami, ſumptibus Fratrum de Tournes, 1759. 8 pl. 18.

Hicce liber ab anonymo quodam conſcriptus et a non nemine, pariter anonymo, editus ſolis obſeruationibus et experientia tantum, ceu fundamento, nititur inque duos iterum libros diuiditur, quorum prior febrium intermittentium et remittentium naturam, cauſas nimirum, phaenomena aliasque affectiones, in ipſis ſeu poſt eas obſeruandas, tradit; poſterior vero in curatione earundem vnice occupatus methodum medendi generalem tum etiam ſpecialem, remedia nimirum ſpecifica dicta, conſiderat. In priori itaque, intermittentium ſpe- p. 1.
cies primo loco Noſter recenſens, tertianas tantum et quartanas veras intermittentes nominandas, quintanas vero ſextanas, ſeptanas et nonanas aut rariſſimas eſſe, aut nunquam vere occurrere et ad tertianam, vel quartanam, vno ſcilicet aut altero

paroxyſmo deficiente varioque typo inducto, referendas eſſe, arbitratur. Quotidianam febrim, natura ab iis omnino diuerſam, ex numero intermittentium excludit, duplicatas contra tertianas et quartanas veras eſſe, triplices rarius occurrere, atque quadruplices et ſextuplices, a quibusdam memoratas, inordinatos potius paroxyſmos, quam veros typos fuiſſe, Noſter autumat.

p. 6. Cauſae, a nonnullis prolatae, vtpote fictae reii-
p. 10. ciuntur, veroſimiles contra proponuntur febriumque fomitem in hepate haerere et bilem inprimis in cauſſa eſſe, oſtenditur. Expoſitis poſthac cauſis remotis de phaenomenis et primo quidem de frigore
p. 20. febrili agitur. Hocce omnes verae intermittentes manifeſtant tuncque manus, brachia caeteraque membra, inprimis maxilla inferior contremiſcunt. Aliter ſe res habet in febribus nothis, in quibus quippe non omnia membra, ſed vna tantum pars friget, reliquis interim calidis aut naturaliter exiſtentibus. Variat tamen gradus, variat decurſus, variant alia, quae iſtud ſequuntur, prout corpora
p. 26. variaeque res variare ſolent. Ex frigore oriuntur arteriarum contractio, ex hac pallor, interdum liuor et maculae cutaneae, tum ſanguinis in cordis et pulmonum cauis collectio et concretio inſimulque, externis frigeſcentibus, viſcerum aeſtus, ſiti dignoſcendus, quae vero ab hoc non ſolum ſed et a ſaburra biblioſa ſaepe excitatur. Inde autem vomitus cumque frigore neruorum actio in ventriculum et inteſtina excitentur omniumque inde partium fibrae vellicentur, varii ea propter hinc inde oriuntur dolores: illo tamen valde ſaeuiente ſenſus obtunditur, hinc variae eaeque graues oriuntur functionum turbae. Frigori ſuccedit calor, tum
p. 33. quod collecto et ſtagnante ſanguine partibusque conſtrictis vitalis vis augetur, tum etiam quod cauſa irritans febrimque inferens remanet. Deferueſcente

poſtea

poſtea febre partibusque relaxatis in colatoriis cutaneis prorumpit ſudor, pro varia vaſorum cutaneorum repletione plus minus copioſus, inque colatori s vrinariis vrina, quae, ob tenuiorem partem per ſudores detractam, craſſa, rubra et cum ſedimento emittitur.

His abſolutis apyrexia accedit, omniaque in na- p. 39.
turalem ſtatum reſtituta eſſe videntur; mali interim fomes remanet, ſtimuli inſtar vrgens, donec nouus iterum inducatur paroxyſmus. Euaneſcit itaque p. 43.
febris ſtatoque tempore redit; ſed cauſa huius euaneſcentiae et reditus incognita omnino eſt, ea tamen ſtimulans quaedam vis eſſe videtur, qua ſpiritus ſtatim vitalis attingitur, atque ea velut obruitur, ita tamen, vt, motu aucto et calore, ipſa ſubigatur ipſaque ſibi remedium ſit. Forte vero in aliis af- p. 49.
fectibus aut in variarum partium actione ineſt aliquid, quo ad detegendam periodorum febrilium cauſam duci queamus. Ita v. g. menſtrua ſtato tempore erumpere ſolent, dolores aliquando acutiſſimi velut per circuitum quendam inſurgunt et euaneſcunt, ipſae febres continuae remittunt et exacerbantur, ſicque plura alia, quorum cauſa probabiliter ex materie quadam deduci poteſt, cuius quantitas augetur aut imminuitur, vel quae acrior mitiorue fieri ſolet. Ex his itaque coniecturis, opinante Noſtro, ſtatui videtur 1) *dari in febribus intermittentibus quandam materiem, in corpore genitam, vel aliunde aduectam, quae per vniuerſas diffundatur partes.* 2) *Eam tamen praecipue hepati eſſe infeſtam, in eo eam colligi in illudque vires ſuas exſerere.* 3) *Poſtquam ad certum gradum deuenit et certa vis ei eſt addita, ipſam veluti admoto ſtimulo viſceris illius textum neruosque vellicare, ſanguinis curſum retardare, acrimoniam prauasque dotes illi conciliare.* 4) *Eam veluti facto impetu in neruos agere totumque commouere corpus et tandem ex loco primum affecto et ex omnibus aliis partibus febre inſe-*

quenti excuti et diſſlari. 5) *Denique remanere fomitem*
p. 55. *qui, ſenſim iterum auctus, easdem concitet turbas.* At vero in ipſis his febribus occurrit varietas variusque cauſae febrilis ſolet eſſe effectus, ita, vt inter hos quaedam intercedat differentia, ea nimirum, quae tertianam a quartana diuidit. At vtraque tamen vnius eiusdem eſt naturae, omnisque tantum differentia in vi intenſiori aut remiſſiori conſiſtit. Vnde autem tertio, vel quarto quoque die erumpat venenum, exponi certe nequit.

p. 60. Verum dantur febres eaeque quidem multiplices, quae ab intermittentibus alienae earum ſpeciem prae ſe ferunt, inter quas inprimis febris ſic dicta quotidiana, ſingulis diebus recurrens, eminet. Haec ad veras intermittentes nunquam referri poteſt, tum quod horroris ſenſus, vel leuis, vel etiam nullus eſt, nec vera apyrexia obſeruetur, ſed febriculae quoddam veſtigium remaneat, nec vrina lateritia appareat; tum etiam, quod aliam cauſam agnoſcat, aliamque medendi methodum requirat et, quod notandum omnino, in ea febrifuga ſic dicta ſpecifica, vel nihil prorſus proficiant, vel cuncta in peius mutent.

p. 66. Sicut autem nonnullae febres intermittentem mentiantur, ita et haec ipſa alios mentitur affectus. Sic vbi in parte quadam latet, vel colligitur materies febrilis, pars iſta ſola laborare videtur. Saeuiunt e. g. aliquando dolores, ſtatis temporibus recurrentes, pulſusque interim vix mutatus deprehenditur. Proſtant porro exempla hemicraniae terribilis, periodice recurrentis, imo proſtant alia, pro verae febris intermittentis ſobole habenda, quae doceant ſingulas quaſcunque corporis partes febris cauſa affligi poſſe. Poteſt etiam febris peculiaria ſibi adſciſcere ſymptomata, in quibus tota morbi vis poſita videtur: ita v. g. apoplexiae quaedam ſpecies et alii obſeruantur affectus, qui, a febrili

cauſa

cauſa ortum ducentes, adeo ab intermittente febri alieni ſunt, vt haec ipſa naturam mutaſſe videatur. Tandem etiam alios febris intermittens imitatur morbos, ſuo more incedentes nihilque prae ſe ferentes, quod intermittentium febrium indolem aut ſpeciem referat.

Ex his facile nunc declarari poteſt, qua ratione febris intermittens maligna ſaepe dicenda ſit. Si namque in caput omnis vis febrilis recidat, affectus ſoporoſi, apoplexiae, catalepſiae etc. obſeruantur; ſi in reſpirationis organa eadem conuertatur, catarrhi ſuffocatiui, aſthma, pleuritis, peripneumonia etc. adeſſe videntur. In ventriculum autem ita ſaepe ſaeuit, vt veram adeſſe putes inflammationem. Pari etiam ratione vi iſta febrili affligi poſſunt inteſtina, ita vt dolores acerrimi et dyſenteriae ſaepe obſeruentur. Nec raro in externas partes impetus febrilis irruit et varii generis papulas atque ſudoris anglici ſpecies producit. Tandem etiam non tam in vitae motusque principium, quam in calorem natiuum agere videtur fomes febrilis, ita, vt frigori nonnunquam nullus ſuccedat calor. Licet autem omnes recenſiti hactenus affectus ab intermittente alieni eſſe videantur, huius tamen ſoboles eſſe, certum, quo leuentur, quoue paroxyſmorum more incedant, tempus ſatis ſuperque docet, adeo, vt vera ſaepe obſeruetur intermiſſio et nonnulli aegrotantes, apyrexias tempore periculi expertes viſi, inſurgente nouo paroxyſmo in priſtinum ſtatum relabantur. p. 72.

Verum et aliarum febrium formam ſaepe induit intermittens et in remittentes, hoc eſt, vbi primus paroxyſmus nondum deſinit, cum incipit alter, atque continuas, quae tertianae duplicatae ſunt, et in quibus paroxyſmus vnus frigus habeat praeuium, alter vero nullum, mutetur. Referri huc meretur ſemitertiana, veteribus tantopere formidata p. 81.

ſeu hemitritaea, tritaeophyes ſeu tertianaria, inordinatas habens exacerbationes, ſimilisque tandem proſapiae febres ardentes, cauſi veteribus dictæ, in quibus, licet tantopere ab intermittente recedere videantur, tertianae tamen indicia occurrunt et in tertianas ſeu veras intermittentes interdum deſinunt.

p. 89. Haec, quae de mutatione febrium dicta hic ſunt, variis a Noſtro confirmantur obſeruationibus, ex quibus inſimul patet, quam variae quamue periculoſae eiusmodi febres haberi debeant.

p. 100. Signa, quibus febres intermittentes, ſub alia ſpecie latentes, detegantur, haec ſunt: ſi febres absque praeuio frigore ſubito paroxyſmorum exortu acceſſerint et pandiculationes doloresue capitis praeceſſerint, febrim intermittentem, ſub alia ſpecie latentem, eſſe, iudicabis. Si deinde notabilis paroxyſmorum remiſſio adſit, ſi ſudor poſt exacerbationem emanet, paroxyſmi eadem fere hora redeant et ſingulis aut alternis diebus ſibi exacte reſpondeant: ſi ſymptomata vehementiora, vt, deliria, lethargus, inteſtinorum tormina etc. per periodos exurgant et deſinant. Tandem, quod ſignum fere certiſſimum, ſi vrina lateritia ſit, ferim intermittentem latere certus credas.

p. 105. Sed varia etiam ex praecipuis verarum febrium, intermittentium ſymptomatibus metuenda ſunt pericula, quae quidem non perpetua ſunt, interdum tamen contingunt. Ita ex ſtagnatione ſanguinis in pulmone et hepate, quam frigus inducit, variae obſtructiones motusque inordinati; in corde, ventriculis eius et venis cauis amplioribus factis palpitationes et concretiones ſanguineae, imo, vitali ſpiritu depreſſo nec reſurgente mors, inprimis in ſenibus, metuenda ſunt. Licet autem calori, frigus ſequenti, tantum periculum non inſit, partium tamen textus earumque colatoria et functiones, ſi intenſus iſte ſit, laedi omnino poſſunt. Cum enim

cordis

cordis impetus in febre maior eſſe ſoleat, motusque ſanguinis intenſior inde dependeat, fit inde, vt plus ſanguinis in vena portarum et hepate congeratur, inque venas ex arteriis plus etiam impellatur, quam per huius viſceris ambages progredi queat. Et ex ſudore quoque profuſo, diuturno et repetito mala metuenda ſunt. Non enim tenues ſolum, ſed et craſſiores, partibus nutriendis et reparandis dicati ſucci per cutis colatoria exeunt, ſicque vitae organis, neceſſario debilioribus factis, neque tamen morbi fomite expulſo, ſed ſuperſtite, aegri maxime debiles euadunt.

Sed haec mala a ſymptomatibus pendent, alia, quae febres has comitantur, ad ipſam febrim pertinent. Ad haec inprimis referendi ſunt dolores capitis, qui non ſemper ab impetu ſanguinis in cerebrum, ſed ab ipſo veneno febrili, cerebri membranas ſtimulante, pendent. Praeter hos ſaepe etiam de variis ventriculi et inteſtinorum affectibus, vt nauſea, ciborum faſtidio, pondere, ardore et intumeſcentia abdominis conqueruntur; quae mala cuncta ex laeſis hepatis functionibus procedunt. p. 112.

Affectus, poſt curatas febres ſuperſtites, interdum ſunt dolor capitis acerrimus, ſudor enormis, viſcerum, inprimis hepatis, tumores, oedemata, hydrops aſcites et leucophlegmatia totius corporis; quae quidem mala, fomitem febris minime expulſum, ſed in hanc vel illam partem delatum, inque leucophlegmatia non in viſcus quoddam, ſed per vniverſas partes diffuſum eſſe oſtendunt. p. 119.

Ex his facile declarari nunc poteſt, cur febris toties reſurgat tamque varie regrediatur. Inprimis autem in reliquiis attendendum eſt, vtrum ſolus fomes remanſerit, febrem, ſolito more incedentem, reducens, an iſte in affectus quosdam abierit et vitia quaedam induxerit, quibus per totam vitam conflictentur aegrotantes. Haec enim ſaepe poſt febres p. 122. p. 127.

intermittentes in cadaueribus reperiuntur, ex quibus viſcerum inprimis obſtructiones et ſtatus plane mutatus annotari merentur. Cum autem tam varia et ſaepe grauiſſima, febrium harum decurſu, viſceribus inducantur mala, ſponte fere patet, quid de quaeſtione illa ſtatuendum, an ſcilicet morbus iſte per ſe ipſum ſalutaris eſſe queat.

p. 133. Progrediamur ad alterum librum, de febrium intermittentium et remittentium curatione agentem. Haec ſane difficillima habetur, quamuis a plurimis res parui omnino momenti aeſtimata videatur. Conſiſtit autem vera medendi methodus primo in remediis generalibus, euacuantibus nimirum aperientibus et diluentibus, quae aliis itidem morbis communia ſunt, deinceps in ſic dictis ſpecificis, quae non, niſi illis praemiſſis, tuto exhiberi pote-
p. 137. runt. Non autem quaeuis febris intermittens iisdem curari debet remediis. Aliam namque methodum requirunt vernales, aliam autumnales, aliam ſi mitiores vel grauiores fuerint, aliam denique prout corpus bonis vel prauis ſuccis ſcateat. Et licet mitioribus ſponte ſaepe liberentur aegri, non nocet tamen, leuia iis aperientia exhibere, quibus optime demum debellantur febres; multo magis autem diluentia aperientia leniaque purgantia vſurpanda ſunt, ſi grauiores iſtae appareant. Sed quaeritur, num incipiente ſtatim febre curam moliri, neceſſe ſit. Suadent quidem omnia, vt, quam primum fieri poterit, venenum febrile e corpore eliminetur, ne ſaeuiente eo partes omnes excrucientur: verum, vim febris eiusque genus prius noſſe, et diluentia, aperientia et refrigerantia prius, quam ad remedia ſpecifica deueniendum ſit, exhibere, nocebit nunquam, ſiquidem, hac cautione obſeruata, grauiores ſaepe febres absque vlla noxa relicta euanuerunt.

Venae-

Venaeſectio cauſae quidem febrium non medetur; aſt vrgentia quaedam ſymptomata ſi ſpectes, remedium iſtud intermittere non licet. Inprimis autem quo propius iſtae febres ad continuas accedunt, eo magis eoque ſaepius ad iſtud auxilium confugiendum eſt, imo, ſi pulſus vrgeat, febrisque nimia ſit incandeſcentia, in ſimplici etiam tertiana aut tertiana duplicata, non continua, venaeſectio ſaepe prodeſt. Abſonum contra habetur iſtud remedium, ſi vis vitalis langueat, cachexia adſit aut febris diu durauerit, vbi ſane plus damni quam vtilitatis adferet. p. 142.

Hac et diaeta tenui praemiſſa de euacuatione primarum viarum cogitandum eſt, quae, licet fomitem mali non aggrediatur, multum tamen ad curationem facit et absque ea ſaepe etiam nihil proficiat. Inprimis autem emetica hic laudanda veniunt, quibus quippe non ſolum contenta in ventriculo materies corrupta educitur, ſed et viſcera, inprimis hepar, quod prae reliquis laborat, conquaſſatur hacque conquaſſatione non ſolum in hoc, ſed, neruis concitatis, in aliis etiam viſceribus ſtagnans materies educitur ſicque vno ſaepe ictu febres tolluntur aut vis eorum ad minimum imminuitur. Laudantur inter emetica tartarus emeticus, kermes minerale, et in certa quadam conſtitutione, in qua per aluum feruntur medicamenta, ipecacuanha tartaro emetico anteponenda, cum certius ea ſubuertatur ventriculus et contenta expellantur. p. 147.

At vero emetica tum ob corporis conſtitutionem, tum ob leuiorem febris indolem in auxilium ſaepe vocari nequeunt; quapropter purgantia exhibere praeſtat omnino. Adeo autem neceſſaria ea iudicantur, vt absque iis fruſtra ſaepe tententur febrifuga; quare ab initio non ſolum aluus ſtatim ducenda eſt, quo materies et inprimis bilis corrupta eliminetur et reliquis remediis, aperientibus et diluentibus p. 155.

tibus, via pandatur, verum etiam in ipſo febris decurſu, ob nouam materiei collectionem, ea exhibenda nec vnquam, ſi rite expurgari debeat fomes febrilis, intermittenda ſunt.

p. 161. Sed ne credas hiſce ſolis omnes febres debellari poſſe. Dantur enim caſus, vbi ſola alui purgatio non ſufficit, ſed aliis remediis ſecretionum et excretionum viae aperiendae ſunt E. g. ſi febres diuturnae, vel aluus tumida aut adſtricta, bilis per cutem ſparſa vel denique obſtructiones adſint, tunc ſane diluentia, aperientia et ſaponacea cum leni aliquo purgante, vt aluus laxetur, coniuncta maxime proficua aeſtimantur. Inprimis autem iuſcula purgantia, ex lapatho ſylueſtri, cichoreo, ſcolopendrio cum ſale GLAVBERI aut arcano duplicato etc. parata, mira praeſtitiſſe dicuntur, ita, tamen, vt aluus bis terue quolibet die iſtis moueatur. Niſi enim id praeſtitum fuerit, ſcopus ſane attingi vix poterit. Requiritur autem, vt eiusmodi iuſcula per ſeptimanam imo et diutius continuentur: his enim continuatis etiam rebelles febres et obſtructiones optime ſublatas eſſe, quid? quod ſolo ſaepe ſero lactis, ſalium vegetabilium copia turgente, eundem ſcopum absque febrifugorum vſu obtineri poſſe, experientia probat.

p. 165. Quaeritur nunc, quo tempore remedia, hactenus memorata, exhibenda ſint? Venaeſectio tum in paroxyſmo, tum in intermiſſione inſtitui poteſt; in frigore vero venam ſecare, abſonum foret. Idem etiam dicendum de emeticis et purgantibus, quae noxia in frigore, ſalutaria autem ante paroxyſmum reputantur. Calida in frigore febrili exhibere, periculoſum eſt, ſi tamen vacillet ſpiritus vitalis et ſumma vrgeat frigoris vis, cardiaca temperata propinare licet. Melius tamen eſt, tunc temporis nihil moliri, aut aquam tantum calidam ingerere, quod etiam tempore ſudoris obſeruandum eſt, vbi tamen ſyru-

ſyrupum quendam e. g. corticum citri aut vini rhenani aliquid exhibere conuenit. Sed aperientia fere omni tempore conducunt, quae vero certa quadam vi donantur, quaeque obſtructiones tollere poſſunt, ea non, niſi paroxyſmo peracto in vſum vocanda ſunt.

Remedia vero, hactenus recenſita, non ipſam curationem abſoluunt, ſed viam tantum ad eam ſternunt. Itaque ſudorifera, quae cauſae febris contrariari videntur, primo loco in cenſum veniunt. Sudore certe prolicito frigus hincque ſaepe febris auerti poteſt, at nunquam iſte calidis excitandus eſt, isque tantum proficuus aeſtimatur, qui non aduerſa natura extorquetur, ſed opportune et placide, calore non nimium intenſo et ſudoriferis, ſemper aperientibus mixtis, exit. At, ſi hepar aliaque viſcera laeſa ſint, ſi deinde cachexia ſumma adſit, ſi tandem ſanguis turgeat et ventriculus prauis ſuccis ſcateat, curatio per ſudores tentanda non eſt. p. 170.

Quod ad tempus, quo ſudorifera exhibenda ſint, pertinet, ea ſane, ad praecauendum frigus, tres quatuorue horas ante paroxyſmum adhibere praeſtat. Remedia, quae huc ſpectant et lenia habentur, ſunt decocta ſaſſaparillae, bardanae, dulcamarae, veronicae, quinque radicum aperientium aliarumque forte plantarum, quibus ſudor elicitur, inprimis ſi multum ingeritur et per plures horas inſiſtitur. Idem hoc ſaepe praeſtitit aqua calida ingeſta, qua eodem modo, vt illis, frigus ſufflaminatum eſt. p. 174.

Licet autem ſudoriferis veneni febrilis effectus impediantur omnino, id tamen in corpore haeret facileque, per omnes partes diffunditur, nec aegrotantes tuti ſunt, niſi ſpecificis iſtud tollatur penitus. Ad haec, primo quidem a nonnullis referuntur p. 178.

emetica

emetica et purgantia, ſed ea proprie cauſae febrili vix aduerſa ſunt. Dantur tamen, quae vomitum et aluum cient, quibus peculiaris contra febrem inſuper ineſſe videtur virtus. Spectant huc v. g. mercurius vitae, ad ignem exhalatus, donec non amplius tumet nec vomitum moueat; ex vegetabilibus tithymali, linariae folio, abraſa cuticula, leni igne exſiccata, in puluerem redacta et ad ſcrupulum vnum exhibita; cremor tartari ad vnciam vnam pluries exhibitus, arcanum duplicatum MYNSICHTI, febrifugum RIVERII, ex ſale abſinthii et ſpiritu ſulphuris paratum, magneſia Maſſilienſis et Leodienſis, quae omnia non quidem in omnibus ſed in diuerſis caſibus ſpecifice agere queunt.

p. 183. An autem in quibusdam ſudoriferis vis illa ſpecifica? Hoc aſſerere non licet. Aſt in amaris quibusdam, aperientibus, ſalibus calcinatis, terris calcinatis imo adeo nonnullis venenis febrifuga ineſſe videtur virtus.

p. 191. Incertis his minusque tutis praeſtare videtur, cortex peruuianus, qui, neceſſaria ſi praemittantur, optime febrim debellare poteſt. Verum absque praeuia praeparatione ſi vſurpetur, remedium hoc, cum amarum, adſtringens, tonicum et aromaticum ſit, noxium ſaepe eſſe variaque mala relinquere poteſt; hinc veneni potius febrilis effectum cohibere, quam ipſum venenum delere videtur. Vt autem optimo cum fructu propinetur cortex, requiritur, vt partium internarum functiones prius reſtituantur; hinc, ne ſanguis ſtagnet in viſceribus, venaeſectio ſuſcipienda biliſque ſecretio promouenda eſt. Deinde ſi ventriculus male ſe habeat, à cortice boni quid ſperare non licet, requiritur, vt appetitus vigeat. Si porro inteſtinorum via non ſatis lubrica ſit, difficilis erit febrium

curatio;

curatio; quapropter ſemper aliquod purgans, ſed lene tantum, cortici iungendum eſt. Neque etiam cortex conducit, ſi aeſtus vrget; tunc enim, eo exhibito, paroxyſmi exacerbantur, vel febris in continuam abit. Tandem etiam obſeruandum eſt, ne cortex in paruo temporis ſpatio magna doſi vel, quod maxime nociuum eſt, in frigore febrili exhibeatur. In priori enim caſu non tuta eſt medendi ratio inque poſteriori periculoſa adeo et inconſulta.

In exhibendo cortice ſequentia obſeruanda ſunt. p. 214. Iſte nimirum non, niſi venaeſectione, ventriculi aluique purgatione et aperientibus praemiſſis, ad drachmam vnam aut vnam cum dimidia propinandus eſt; tunc vero videndum, num appetitus excitetur et leuis in cute mador oriatur, num aluus laxa et vrinae color naturalis ſit; ſin minus purgantia lenia, aperientia et refrigerantia in vſum vocanda atque cortici ſufficiens doſis tartari vitriolati addenda eſt. Si ventriculus puluerem corticis non ferat aut biliosa materies in primas vias affluat, decoctum corticis, Noſtro familiare adeoque laudatum, omni bihorio ad vncias quinque ingerendum eſt, vſque donec librae duae ingeſtae fuerint. Hocce decocto aluus laxatur et inteſtina interdum plus minus expurgantur, ita ſape, vt in certis conſtitututionibus aegri aluum vigeſies depoſuiſſe dicantur. Vt vero vis febrifuga corticis in ſecundas vias transferatur, ab omni cathartico abſtinendum eſt. Et quamuis diarrhoea, a corticis vſu orta, ſalutaris ſit, huic tamen limites quoque eſſe debent et, ſi ſponte ea non ceſſat, arte tandem compeſcenda aut temperanda eſt. Sic plures eo vſurpato a febre feliciter liberantur. Minime tamen, febre debellata, a febrifugo iſto deſiſtendum, ſed per ſex vel octo dies certa corticis doſis exhibenda eſt. Atque ſi vnquam febris tertiana duplicata curata ſit, ſtrictiori ſane diaeta, diluentibus, temperantibus et aperientibus diu

diu vſurpatis, id tandem remedio illo praeſtitum fuit. Notandum tamen, in hac febris ſpecie ſerius ad febrifugum deueniendum et non, niſi crebro vſurpatis euacuantibus iſtud demum exhibendum eſſe.

p. 223. Febris quartana eadem quidem methodo, ſi recens ſit, tractari poteſt; cum vero peculiare quid huic febri ineſſe videatur, haecque maxime contumax ſit, cautiones quaedam peculiares obſeruandae ſunt, quae recidiuam, toties obſeruatam, praecaueant. Suadetur itaque ſtrictior omnino diaeta, venaeſectio, quae maxime proficua aeſtimatur, tandem emetica. Purgantia autem non adeo vrgenda ſunt, licet alui etiam laxitas ſeruari debeat. His peractis methodus, ſupra nominata, ſuſcipienda maiorque copia febrifugi exhibenda eſt, cui inſimul aromatica lenia cum ſalibus Tachenianis admiſcenda ſunt. Inprimis caſcarilla in hac febre laudatur aeque ac peruuianus cortex, cuius virtus, praeſertim ſi attenuantia et purgantia admiſcentur, valde extollitur. Maximo autem cum fructu ſingulari remedio Noſtrum vſum fuiſſe legimus, cuius praeparatio ita ſe habet: Pulueris nimirum Cornachini grana viginti quinque, agarici grana quindecim, ſalis ammoniaci drachma vna et peruuiani corticis drachmae quatuor in electuarii formam cum ſyrupo quodam rediguntur, huiusque quarta pars omni trihorio exhibetur. Requiritur autem, vt per aliquot dies eius vſus continuetur, purgantium doſis interdum imminuatur, ptiſana interea diluens et leniter cardiaca exhibeatur, nonnunquam leuior nitri doſis, ad vrinas nimirum ciendas et ad compeſcendum calorem internum, a ſupra dictis remediis forte concitatum praetermittatur. Febre debellata corticis vſus continuandus cumque tartaro martiali ſolubili coniungendus eſt. Sic enim recidiuae praecauentur, obſtructiones tolluntur,

hepatis

hepatis colatoria reſerantur bilisque effluxus promovetur. In omnibus tamen methodus haec, ob acriora et calidiora iſta remedia, non valet. Ita in debilioribus praeparatio maiori cum cura inſtituenda et cortex, cum lenioribus purgantibus et aperientibus mixtus, propinandus eſt. In ſenioribus tandem, ob intenſiorem frigoris vim, emetica primo, tum cortex ſuadentur, qui autem, cum in ſenectute minus permeabiles partes viresque effoetæ ſint, ſtimulo quodam aromatico et ſale penetrabili acuendus eſt. Si tamen, his omnibus tentatis, febris rebellis perſtet, aquas demum thermales, vi purgante donatas, curationem omnino abſoluere, Noſter, experientia confirmatus, refert.

At vero vbique iſtis remediis vti non licet, cum p. 225.
vndique ob corporum naturam, partium conſtitutionem, ipſam febrem ſymptomatumue varietatem, obices obſtent, qui prius remouendi ſunt, quo ad curationem deuenire liceat. Primo itaque, ad ſaporem corticis ingratum tollendum, cortex cum aqua cardui benedicti, aqua epidemica et ſyrupo caryophyllorum miſcendus inſimulque, ad auertendum calorem, nitrum adiiciendum et ptiſana inſuper refrigerans et aperiens vſurpanda eſt. Idem fere dicendum de infuſo vinoſo, cui tamen extractum aquoſum cum puluere STAHLII et ſyrupo quodam in bolum redigendum cenſetur. Ingeſtioni corticis ſaepe obſtat vomitus; hinc ventriculo ſtatim medendum eſt, quo reſtituto curatio felicior habetur. Saepe etiam curationi impedimento eſt diarrhoea; quare cortex cum narcoticis in enematibus vſurpandus eſt. Porro pulmonum ſtatus morboſus, vt ſanguinis ſputum aut tuſſis acris, curationem per corticem vetat. Cum vero febris plus, quam cortex, dictis malis aduerſa ſit, ab eo proinde abſtinere non licet, ſed cum eius decocto lenientia, vt althaeae radix et flores papaueris rhoeados prae-

ſcribeuda ſunt. In certis temperamentis, cachecticis v. g. et hypochondriacis emollientia, leniter laxantia, aperientia et refrigerantia tum praemittenda, tum cum cortice ſimul in vſum vocanda ſunt. In virginibus chloroticis cortex nihil prodeſt, niſi emetica et iuſcula ex lapatho cum antiſcorbuticis parata et laxantia e. g. arcanum duplicatum praemittantur. In pueris, omnia remedia reſpuentibus, conducit, ſi tartarus emeticus praeſcribatur, quippe qui, vt Noſter expertus eſt, in illis mitius, quam in adultis agit. Hoc praemiſſo magis proficuus eſſet cortex, ſi exhiberi poſſet, cum autem ab iſtis reſpuatur, abſorbentia cum rheo et cremore tartari exhibenda ſunt, quae in hac aetate vera febrifuga dicuntur, ita, vt ad alia confugere non opus ſit.

p. 236. Aſt minime credas, corticem omni tempore et in quauis febre exhiberi poſſe; occurrunt enim impedimenta, ex ipſa febre aut ex peruerſa medela orta; imo certis annis iſte prodeſt, aliis nocet. Inprimis autem cortex interdicitur, vbi cachectici et melancholici affectus, nec non abdominis mala, vt intumeſcentia, tarda imo dura aluus etc. ex obſtructionibus nata, remanent, in quibus omnibus corticis vis ſalutaris nulla, contra vero euacuantia et aperientia valde vtilia cenſentur et, quibus rite vſurpatis, febres absque cortice feliciter tolluntur.

p. 243. Et recidiuae quoque cum certis ſymptomatibus, vt pertinacibus vigiliis, acerrimis doloribus capitis, ſudore inſigni, anxietatibus, ciborum faſtidio, diarrhoeis etc. incedentes, cortice peruuiano nequaquam tractandae, ſed vel ſibi relinquendae, v. g. ſi hyeme recurrant, diaetae tantum ratione habita, vel lenioribus aperientibus, euacuantibus et amaris impugnandae ſunt. Inprimis tartarum martialem ſolubilem, vel ſolum vel euacuantibus aut aperientibus et reſoluentibus iunctum, optimo cum fructu propinatum eſſe, animaduertimus. At tunc demum,

ſymptomata ſi euanuerint, aut mitiora facta fuerint, corticem adhibendum eſſe, dicitur.

In febribus intermittentibus malignis ad grauia p. 252.
ſymptomata attendendum eſt, taliaque exhibenda ſunt, quae vim horum refraenare poſſunt. Quodſi itaque caput grauius afficiatur et apoplexia, lethargus etc. vrgeant, venaeſectio et veſicatoria vtilia habentur. Si dolores rheumatici ſaeuiant aut dolores viſcerum vrgeant, narcotica ſaepe proficua aeſtimantur. Paroxyſmis autem et ſymptomatibus mitioribus factis, cortex in puluere, aut extractum eius, hocque quidem ad drachmam vnam bis terue ante paroxyſmum exhibendum eſt. Notandum etiam in capitis pectorisue affectibus, nec non doloribus rheumaticis corticem cum euacuantibus miſcendum eſſe, deſiſtendum autem ab hiſce, ſi ventriculus et inteſtina omnem vim morbi ferant et diarrhoea adſit; quod pariter obſeruandum eſt, ſi frigus exſuperet et calor ab extremis ad interna retractus eſſe videatur, in quo caſu aromatica, vt ſerpentaria virginiana, cum cortice, aeque ac vinum in vſum vocanda ſunt. Sique demum febrilis motus intenſus non ſit, ſed virium proſtratio, et debilitas deprehendantur, nec ſymptomata adeo vrgeant, paroxyſmi remiſſio expectanda non eſt et ad corticem ſtatim fugere licet, imo certa adeo neceſſitas interdum vrget.

Quod tandem ad remittentes febres attinet, iſtae p. 258.
cum ex intermittentium genere eſſe ſoleant et continuae tamen ſimul ſint, quaeritur inde, an diuerſa remedia poſtulent. Si ſymptomata ſpectes, ea non adeo diſſident et curatio vna eademque plerumque eſſe ſolet. Hinc, licet cortex in veris continuis reſpuatur, iſte tamen in his exhiberi poteſt, quidemque eadem ratione vt in intermittentibus, ita, vt et in his noxius iſte ſit, ſi paroxyſmi vigeant. Sed

occurrendum eſt variis impedimentis, quae corticis vſum diſſuadere videntur. Primo quidem harum febrium calor obſtat: cum vero magis noceret febris impetus, quam medendi ratio, cortex ſane plus proderit, quam noxas inferet. Sedulo interim attendendum eſt, num iſta febris vere ex intermittentium genere ſit; ſin minus, cortex exhiberi nequit, quod pariter in ea quoque febris ſpecie valet, quae in vere continuam abiit. Tunc enim remedia continuarum ſimplicium, nec febrifuga indicantur. Caute etiam cum eo mercandum eſt, ſi febris tertiana duplicata continua ad decimum quartum aut vigeſimum diem excurrat perque hoc tempus vigeat; tunc autem non niſi ea remiſſione facta, cortex valet. Verum dantur febres remittentes, quarum exacerbationes magno impetu inſurgunt aegrosque in magna pericula coniiciunt. In his cortex ſtatim exhibendus eſt, ita tamen, vt cum euacuantibus et aperientibus miſceatur. Quodſi vero harum febrium paroxyſmi ita ſe habeant, vt vnus alterum fere attingat, nec remiſſio vlla ſit, euacuantia exhiberi nequeunt; inde corticis extractum cum puluere temperante aut arcano duplicato propinandum eſt, quod remedium multum quoque in iis valet, in quibus ſymptomata grauiſſima, vt apoplexia, lethargus etc. adſunt. At vero ſemper etiam ad febris naturam, ſymptomatum vim, remiſſionem breuiorem vel longiorem, nec non alui laxitatem et tarditatem attendendum eſt, quo cortex felici cum ſucceſſu exhiberi ſicque omni modo veneno febrili occurri poſſit. In commendationem huius libelli reticere non poſſumus, illum Cl. SENAC, Archiatro regis Galliae primario, a plurimis tribui.

IV. IAC.

IV.

IAC. THEOD. KLEIN Imperial. Acad. Scientt. Petropol. Regiae Societat. Londinenſ. et Acad. Bononienſ. Membri Stemmata auium, quadraginta tabulis aeneis ornata; accedunt nomenclatores: polono - latinus et latino-polonus. *Geſchlechts - Tafeln der Vögel, mit vierzig Kupfern erläutert.* Lipſiae apud Adam. Henr. Holle 1759. 4 mai. pl. 8.

Siſtit hicce tractatus in iconibus delineationes accurate confectas earum partium, ex quibus auium methodicam diſpoſitionem efformauit b. KLEINIVS, quam in prodromo hiſtoriae auium cum orbe literario iam dudum communicauerat. E re enim duxit, cultoribusque rerum naturalium gratum fore exiſtimauit, ſi characteres ipſos, in dicto libello deſcriptos, oculis eorum aeri inciſos ſubiiceret; hinc craniorum ac pedum, quibus ad condendam methodum vſus erat, collectionem et apparatum ſecundum familias, genera et ſpecies ordinatum typis expreſſum exhibet. Facili ergo negotio nunc quilibet poterit quamuis auem ſuae dicare familiae, ſi modo ad pedum formas et qualitates rite attenderit. Genus porro roſtrum determinabit, et varia cranii altitudo roſtriue firmitas ac longitudo ſpeciem declarabunt. Exhibent enim nitidiſſime et omni cura celatae tabulae non tantum capitis, craniorum roſtrorum ac linguarum figuras ac formas, ſed ſingulae quoque partes circini ope eadem, quam ipſis natura conceſſit, magnitudine delineatae deprehenduntur. Si cui igitur libuerit ignotae cuiusdam auis examen inſtituere, circino menſuram partium exploret, eandemque delineationibus hiſce applicet.

In *Iſpidae* ſiue *alcyonis*, vti etiam in *Pici tridactyli* pedibus, digitorum fabricam a conſueto more

quodammodo recedere obſeruauit Cl. Auctor, quum illa binos digitos ante, totidemque pone habeat, hic vero ſecundo digito poſtico ſit deſtitutus: quod quidem, quanquam tantum in duobus hiſce exemplis contingat, non tamen pro naturae luſu aſſumendum eſſe, ſed familiarum anomaliam inde ſtatui poſſe monuit. Hinc aſſenſum praebet Cl. SCHAEFFERO affirmanti *naturam ſe non ſubiicere noſtris claſſificationibus, difficillimisque ſyſtematum ludicris.*

Nec vero omnium ſpecierum icones nobis offert Cl. KLEINIVS, ſed multas earum, quas in prodromo adductas legimus conſulto omiſit, ne in nimiam molem excreſcat tractatus. Varias hinc inde etiam adſperſit obſeruationes, quibus continentur ea, quae de vna alteraue ſpecie auium notatu digna ac ſcitu vtilia multis lectoribus fore putauit. Praefatus huic libello fuit breuibus Cl. TITIVS, qui eorum recenſet opuſculorum catalogum, quos conſcriptos et calamo exaratos reliquit poſt funera etiam clarus KLEINIVS, et quorum copiam nobis ſenſim ſenſimque effecturus eſt Cl. GRALATHVS, cui illos, vt pro lubitu ſuo edat, tradiderat Cl. Auctor.

V.

Hiſtoire de l'Académie Royale des Sciences et Belles Lettres. Année 1757. à Berlin. chez Haude et Spener. 1759. 4. Alph. 2. pl. 20. tab. aen. 10.

i. e.

Hiſtoria Academiae Regiae Scientiarum et elegantiorum literarum. an. 1757. Berolini etc.

Quae in claſſe philoſophica experimentali occurrunt.

p. 20. 1. *Experimenta de conſeruatione ſanguinis aliorumque corporum fluidorum per plures annos in vacuo*

vacuo absque corruptione Auctore Cl. ELLER. Aerem omnia corpora, in globo noſtro terraqueo deprehendenda, ambientem non ſolum occultum eorum vitae cibum eſſe plurimumque ad ſanitatem conſeruandam conferre, verum etiam deſtructionis itidem cauſam ſuppeditare, varia phaenomena hinc inde euincunt. Cum enim plures ſecum vehat intusque ſuſcipiat heterogeneas partes, haeque variae indolis poros corporum ſubeant glutenque partium diſſoluant, ratio omnino patet, cur, paucis e. g. auro, argento nonnullisque lapidibus pretioſis exceptis, reliquorum corporum omnium compages ab alluente aere ſoluatur et disiungatur. Quodſi itaque haec corporum compages absque corruptione diu multosque in annos perſtare debeat, aeris ambientis communicatio tollatur, neceſſe eſt. Poteſt quidem acceſſus eiusdem materie, in primis inflammabili, in pluribus corporibus impediri, hocque modo, ſi materies iſta poros omnes exacte obduxerit et clauſerit, effici, vt corpora absque compagis deſtructione, mumiarum exemplo, ſaecula durent; verum, ſi aeris iſta communicatio plenarie cohibeatur, etiam absque illa materie corpora diu aſſeruari poterunt. Vt itaque hac de re certior Noſter fieret, peculiare ea propter inſtituit experimentum et ex lacte, duplicis generis vino atque ſanguine etiam humano, quodlibet peculiari vaſi vitreo committens, aerem ope peculiaris inſtrumenti, antliae pneumaticae applicati, menſe Aprili 1741 eduxit dictaque fluida ab eo tempore ad finem vſque anni 1756 illibata aſſeruauit. Quo tempore praeterlapſo vaſa, antea optime clauſa, aperiens lac vix mutatum, vinum vero et ſanguinem plane non mutata deprehendit, ideoque aerem deſtructionis corporum cauſam habendum omnino eſſe, hocce experimento Cl. Auctor probat.

p. 31. 3. *Experimenta ad nouum iſtud corpus minerale, ſub nomine Platinae del Pinto cognitum, ſpectantia* Auctore Cl. MARGGRAF. Subſtantia haec metallica, ſub fornice docimaſtico in teſta probatoria per duas horas forti igne calcinata, faciem plumbi calcinati induit et a magnete vltro non attracta pondere creuit, ita, vt duabus vnciis decem grana accreſcerent. 2) Eadem cruda crucibulo communi indita et in furno fuſorio per tres quatuorue horas detenta, minime autem fuſa pondere creuit malleoque percuſſa facillime ſeceſſit. 3) Ex platina cruda, retortae vitreae commiſſa, in appoſitum recipiens mercurius viuus tranſiit. Reſiduum in retorta, platinae ſimile, plura grana flaua exhibuit, quae malleo extenſa auri quidem optimi faciem habuerunt, ab aqua regia tamen vix quidquam mutata. 4) Cum acido ſalis et nitri mixta platina et deſtillata ſublimatum album, arſenico cryſtalliſato ſimile, exhibuit; reſiduum autem ex fuſco rubeſcens hinc inde ſplenduit: idem fere cum acido vitriolico euenit, praeter id, quod nihil plane aſcenderet. 5) Aqua regia platinae affuſa cumque ea digeſta ſenſim flaveſcens obſcure demum rubra euaſit; quae in cucurbita remanſit nigricans ſplendeſcens materies, aqua calida edulcorata et ſiccata a magnete tota attracta fuit. 6) Platinae iſta ſolutio, aqua regia facta, cum ſolutione auri mixta praecipitatum ex rubro citrium, cum argento, tam nitri, quam vitrioli acido, ſoluto flauum, cumque ſoluto in aqua regia ſtanno ex citrio rubeſcens exhibuit. Aliae ſolutiones cum dicta platinae ſolutione mixtae nullam aut exiguam mutationem oſtenderunt. 7) Solutiones metallicae cum platina cruda mixtae nullum praecipitatum dederunt. 8) Platina ſoluta cum metallis crudis mixta varia praecipitata exhibuit. 9) Saepius memorata ſolutio cum ſale marino mixta clara manſit, affuſo vero lixiuio alcalino cum ſanguine

calci-

calcinato praecipitatum coeruleum, coeruleo Berolinenſi fere ſimile, exhibuit. 10) Solutio illa in retorta ad ſiccitatem vſque deſtillata puluerem nigricantem ſplendeſcentem reliquit, cuius drachma ſemis cum plumbo mixta et in teſta probatoria ſub fornice calcinata ad duodecim grana in pondere augmentum coepit. 11) Platina cruda cum ſale ammoniaco ſublimatione diſquiſita, ſublimatum coeruleum, floribus ſalis ammoniaci martialibus ſimile exhibuit, quod in aqua ſolutum, alcali fixo affuſo, praecipitatum flauum dedit. 12) Ex mixtione platinae et mercurii ſublimati ſubſtantia alba aſcendit, quod vero remanſit, grana flaua et ſplendida hinc inde oſtendit, quae faciem auri habuerunt. 13) Cum ſic dicto ſale *Alembrot* mixta platina ſubſtantiam in ſuperiori parte albam, in inferiori flauam exhibuit, quodque remanſit ſplendorem argenti et grana itidem flaua oſtendit. 14) Cum cinnabari mixta nulla orta fuit mutatio. 15) Cum arſenico ſublimatum tantum arſenicale aſcendit, reſiduum vero grana flaua exhibuit. 16) Platinae vncia vna cum nitro mixta et igne tractata non fulgurauit, ſed, fuſa fumum ſparſit. Haec maſſa per aliquot tempus in igne detenta intumuit, quae exemta et ſoluta puluerem leuem, pondere trium drachmarum et quadraginta quinque granorum, praebuit. Cum arena lota et ſale tartari iſte mixtus et fuſus maſſam vitream poroſam, gryſeam nec tranſparentem exhibuit. Platinae reſiduum drachmas quinque et grana viginti ponderans parum amiſit. 17) Idem iſtud cum alcali fixo forti igne fuſum non adeo notabilem mutationem platinae induxit. 18) Platina cum hepate ſulphuris fuſa non mutata fuit. 19) Idem euenit cum ſale mirabili GLAVBERI et fuligine ſeu inflammabili materie. 20) Parum tamen cum eodem hoc ſale absque additione phlogiſti platina mutata fuit.

21) Cum tartaro vitriolato nec fuſa nec alio modo mutata fuit. 22) Cum ſale fuſili vrinae nulla mutatio apparuit. 23) Cum acido phoſphori ſeparato mixta et retortae commiſſa, fulgure oborto, vaſa diſploſa fuere; hinc acidum phoſphori, phlogiſton platinae in ſe trahens, phoſphorum regeneraſſe videtur. Omnia itaque haec experimenta, platinam, cum dictis corporibus mixtam igneque fuſam, vix deſtructibilem eſſe, ſatis ſuperque euincunt.

p. 61. 4) *Obſeruationes nouae de epidermide et cerebro aethiopum* Auctore Cl. MECKEL. Quae ante aliquot annos de epidermide et cerebro aethiopis cuiusdam annotauit * Cl. Auctor, ea in praeſenti, noua data occaſione nouisque inde collectis obſeruationibus, firmiora magis et clariora reddit. Praeſertim autem hic oſtendit, obſeruationibus microſcopicis confirmatus, epidermidem nullis vaſis perforari neque etiam ope eorum cum cute connecti, ſed vaſa intra cutem et cuticulam terminari, ibique humorem effundi, cuius pars ſubtiliſſima per poros epidermidis imperceptibiles transſudet, craſſior vero remaneat, de qua corpus iſtud mucoſum, inter cutem et cuticulam reperiundum, proueniat, quodque in albis album, in aethiope vero nigrum ſit et regenerationi cuticulae inſeruiat.

p. 69. Quod ad cerebrum attinet, nonnulla hic notatu omnino digna obueniunt. Subſtantia nimirum corticalis in aethiope multo magis cinerea fuit, quam in europaeo, et medullaris colorem ex flaueſcente gryſeum habuit. Corpora ſtriata fuſca fere fuerunt, eorundemque ſubſtantia medullaris flaueſcens apparuit. Glandula pinealis in aethiope colorem multo magis fuſcum quam in europaeo habuit. Pedunculorum cerebri diſſectorum ſubſtantiam corticalem ex flauo nigricantem atque hinc inde punctula

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. II. p. 200.

punctula nigra, inque pontis VAROLII vel protuberantiae annularis ſubſtantia corticali radios nigricantes, ſubſtantiam vero medullarem flaueſcentem Noſter reperit. Subſtantia corticalis medullae ſpinalis nigricantis, cerebellum vero ſtraminei coloris fuit. Ex his itaque Noſter colligit, cerebrum, ratione coloris, in aethiope ab europaeo prorſus differre, et fluidum hinc per neruos ad ſuperficiem cutis deferri, quod corpus iſtud mucoſum intra cutem et cuticulam mutare valeat. Praeterea ſanguis etiam in aethiope multo magis nigricans, quam in europaeo repertus fuit, ita, vt lintea, ab europaei ſanguine rubro colore tincta, ab aethiopis ſanguine nigro inficerentur, inde particulas, multum ad nigredinem facientes, ad cutim deriuari, colligendum eſt.

5) *Annotationes breues de veſtigiis quibusdam ſimilitudinis, inter corpora regni animalis et vegetabilis deprehendendae* Auctore Cl. GLEDITSCH. Plantae, ſecundum Noſtri ſententiam, omnes vno tantum, a natura conſtituto, modo, ſemine nimirum, vere propagantur; hinc foecundum ſi prodire debeat ſemen, flores prius adſint, neceſſe eſt. Verum iſti non niſi certo quodam tempore euoluuntur et in nonnullis citius, tardius in aliis apparent, ita, vt vnus, duo, tres imo longe plures anni praeterlabantur, antequam flores ſenſim euoluantur. Licet autem plantae vario modo et arte multiplicari et propagari poſſint, omnes tamen iſti modi naturales dicendi non ſunt, cum omnes demum eo conſpirent, vt flores ſenſim euoluantur, quos tandem ſemen, vegetationis complementum, ſequitur. Cum autem euolutio iſta florum variis rebus retardari et impediri poſſit, inque nonnullis non niſi longa ſerie annorum praeterlapſa contingat, factum inde eſt, vt nonnullae plantae ſteriles vocarentur, p. 72.

quae

quae tamen, ſi tempus a natura definitum accederet aut impedimenta remouerentur, flores forte oſtenderent nec ideo ſteriles vocari merentur. At floribus euolutis ſeminibusque productis plantae iſtae, multos in annos, antequam floruerint, ſeruatae, ſenſim poſthac marceſcunt, moriuntur et in ſemine, ad nouam ſui generis ſpeciem producendam apto, vnice propagationem conſeruant. Euolutionem itaque ſi attendamus, ſimile quid in animali regno reperire licet, ſi quando inſecta quaedam conſideremus, quae non niſi euolutione quadam praegreſſa, ouula pariunt, hisque excluſis tandem pereunt. Haec, quae de ſeminum euolutione Noſter aſſeruit, duobus exemplis illuſtrat, in quibus raro admodum flores et ſemina cernere licet; prius nimirum *Lavendula latifolia ſterilis* ſeu *non florida*, poſterius vero *Buxus humilis* ſuppeditauit, inque his, quod a nonnullis obſeruatum non eſſe dicitur, flores vere vidit ſicque ſententiam prolatam probabiliorem factam eſſe putat, atque demum concludit, quod plantae omnes ſenſim euoluendae definito quodam tempore floreant et ſemina foecunda producant, quorum ope quoque ſui generis ſpecies propagari et conſeruari poſſit.

p. 85. 6. *Diſquiſitiones chemicae de terra quadam ſulphurea plane ſingulari, prope Tarnowitz in Sileſia reperta* Auctore Cl. LEHMANN. Haec terra, cum qua Cl. Auctor experimenta inſtituit, leuis eſt, colorem ex albo gryſeum habet et odorem de ſe ſpargit, ei non abſimilem, qui ex mixtione olei terebinthinae oleique vitrioli exit. Experimenta primo cum cruda, poſtea cum calcinata inſtituit, quorum priora haec ſunt: 1) Terra haec cum aqua mixta, in paſtam redacta, tunc exſiccata, tandem igne tractata cohaeſionem maiorem obtinuit. 2) Eadem retortae commiſſa ſublimatum dedit, quod verum

ſulphur

ſulphur fuit, reſiduum autem nullum vltro de ſe ſparſit odorem. 3) Cum mercurio ſublimato mixta et igne tractata primo acidum ſalis prodiit, poſtmodum cinnabaris obſcure rubens aſcendit. 4) Cum arſenico mixta ſubſtantia nigra aſcendit, ei ſimilis, quae arſenicum nigrum, vulgo *Fliegenſtein*, vocatur. 5) Subſtantia hac iterum ſublimata, arſenicum pallide flauum aſcendit. 6) Cum ſale ammoniaco mixta ſpiritus primo intenſe acidus prodiit, poſtmodum ſal ammoniacus albus, dein flauus aſcendit. 7) Cum ſale ammoniaco, aqua ſoluto, mixta, ex retorta phlegma acidum exiit, poſtmodum flores albi, ſub finem flaui, aſcenderunt. 8) Aqua regia affuſa ex parte eam ſoluit, tuncque affuſo oleo tartari per deliquium ſubſtantia obſcure flaua fundum petiit. 9) Acidum nitri aliquid de ea ſoluit et colorem ex fuſco rubeſcentem acquiſiuit, et ope zinci pauxillum ferri fundum petiit. 10) Acidum ſalis primo vireſcentem poſtmodum fuſcum colorem obtinuit; cui ſolutioni, per filtrum traiectae, zincum immiſſum pauxillum ferri in forma metallica deiecit. 11) Oleum vitrioli, aqua dilutum, terram hanc parum mutauit. 12) Solutio haec filtrata terram iſtam vix mutatam reliquit, quae cum oleo vitrioli denuo mixta colorem fuſcum obtinuit, affuſo tunc ſpiritu ſalis ammoniaci efferueſcentia quidem concitata, fuit ſed nihil fundum petiit, ſuperfuſo autem oleo tartari per deliquium color coeruleus apparuit. 13) Acetum deſtillatum flauum et affuſo alcali fixo coeruleſcentem colorem obtinuit. 14) Lixiuium alcalinum forte ſulphur extraxit, quod ope acidi nitroſi fundum petiit. 15) Oleum terebinthinae, cum terra hac coctum colorem, rubrum obtinuit. 16) Tandem terra haec cum arena Freyenwaldenſi et ſale tartari per quatuor horas fuſa in vitrum pellucidum ex coeruleo vireſcens abiit.

Terra iſta calcinata obſcure fuſcum obtinuit colorem et acidis quodammodo ſoluta ope lixiuii ſanguinis præcipitatum ex ea quidquam fuit. Ead m calcinata cum ſupra dicta arena et ſale alcali fixo fuſa in vitrum coeruleum abiit. Ex his itaque liquet, terram hanc argillaceam eſſe, cum pauxillo ſpati ſelenitici et parua particularum ferrearum portione cum vero ſulphure connexa mixtam. Quibus expoſitis Noſter demum declarat, vnde factum fuerit, vt ſulphur generari cumque terra hac miſceri potuiſſet. Quam ob rem plura phaenomena hinc inde annotata adducit et ſententiam probabilem reddit.

p. 110. 7) *Diſquiſitiones chemicae terrae Beuthnizenſis* Auctore Cl. BRANDES. Haec terra indolis eſt martialis, coloris coerulei, valde leuis, tactu paululum rudis, digitos inficit, aquam attrahit et cupro aut orichalco affricta, metalla haec impolita relinquit. Experimenta cum ea inſtituta ſequentia habebis. 1) Aqua affuſa plane non mutatur. 2) Ex terra hac deſtillata liquor prodiit empyreumaticus volatilis, cum acidis quibusuis efferueſcens. Reſiduum ſub fornice docimaſtico calcinatum rubrum colorem obtinuit, croco martis ſubtili ſimilem. 3) Cum ſale ammoniaco mixta et deſtillata liquor volatilis primo prodiit, poſtea ſal ammoniacus colore aurantio praeditus aſcendit. 4) Cum mercurio ſublimato mixta ſubſtantia gryſea ſubque hac cinnabaris aſcendit, mercurius autem partim reuiuificatus fuit. 5) Cum arſenico albo mixta, ſubſtantia nigra, arſenico nigro ſimilis, aſcendit. 6) Ex mixtione ſalis communis et dictae terrae liquor acidus empyreumaticus prodiit, in collum vero retortae ſubſtantia rubra aſcendit. 7) Cum acido vitrioli, aqua diluto, non efferbuit, liquor vero digeſtus colorem ex fuſco rubrum obtinuit. 8) Cum acido nitri fortiter

effer-

efferueſcens fereque tota ſoluta colorem ex flauo obſcure rubrum acquiſiuit. 9) Cum acido ſalis non adeo notabiliter efferbuit, mixtio digeſta colorem ex flauo obſcure fuſcum obtinuit, ipſiusque terrae color coeruleus in colorem oliuarum, aſpectu ingratum mutatus fuit. 10) Cum aqua regia fortiſſime efferueſcens fere integra ſoluta fuit, liquor vero gratum colorem flauum obtinuit. 11) Cum acido formicarum nulla fere mutatio. 12) Cum aceto deſtillato parum efferueſcens et non niſi per aliquot ſeptimanas digeſta colorem demum ex grate flauo rubentem acquiſiuit. 13) Cum alcali volatili non efferbuit, liquor vero poſt ſeptimanam colorem pallide flauum obtinuit, ipſiusque terrae color oliuae ſimilis fuit. 14) Liquor iſte, praecedenti experimento enatus cum lixiuio alcalino phlogiſto iuncto, turbidus factus odorem, liquori anodyno minerali ſimilem ſparſit. 15) Acido vitriolico admixto idem phaenomenon euenit. 16) Liquor ex miſtione terrae et aceti deſtillati ortus atque cum lixiuio alcalino, phlogiſto iuncto, mixtus colorem pallide coeruleum obtinuit. 17) Liquor iſte ſupra nominatus ex admiſto acido formicarum ortus, ope dicti lixiuii ex coeruleo viridiſcens euaſit. 18) Liquor ex admiſta aqua regia enatus ope eiusdem lixiuii primo virideſcens, poſtmodum coerulefcens fuit. 19) Liquor ex admiſto acido ſalis cum zinco mixtus, hoc ſoluit, tuncque ſubſtantia flaua fundum petiit. 20) Idem liquor ope lixiuii alcalini ingrate flauus factus fuit. 21) Liquor ex admiſto acido nitri ortus zincum ſoluit et turbatus colorem ochrae obtinuit. 22) Idem liquor ope dicti lixiuii virideſcens, poſtmodum ingrate coeruleſcens euaſit. Ex quibus liquet, nec aquam regiam, nec acidum nitri, nec etiam acidum ſalis efficere, vt color coeruleus producatur. 23) Liquor vero ex admiſto acido vitriolico ope lixiuii colorem ſtatim grate

coeru-

coeruleum obtinuit. 24) Idem liquor cum dicto lixiuio cretae, acido nitri ſolutae, inſtillatus paruam portionem ſubſtantiae ſeleniticae deiecit, quod edulcoratum et exſiccatum colorem ex albo coeruleſcentem habuit. 25) Idem liquor cum dicto lixiuio ſaturatus et cum ſolutione aluminis mixtus praecipitatum grate et obſcure coeruleum dedit. 26) Idem iſte liquor cum cretae, acido nitri ſolutae, mixtus, ſubſtantiam ſeleniticam albam deiecit. 27) Terra iſta cruda cum arena et ſale tartari fuſa in vitrum ex flauo obſcure fuſcum abiit. 28) Idem fere cum terra calcinata et dictis corporibus ſimul fuſis euenit, praeter id, quod color vitri minus obſcurus fuerit. 29) Terra calcinata cum arena, ſale tartari et ſubſtantia ſelenitica fuſa vitrum ex flauo videſcens exhibuit. 30) Terra cruda cum oleo oliuarum mixta et forti igne calcinata ex parte in metallum mutata fuit. 31) Eadem calcinata cum nitro, tartaro rubro, ſubſtantia ſelenitica et puluere carbonum fuſa tenuia ſalia metallica, crucibuli tantum lateribus adhaerentia praebuit.

Ex his experimentis patet, terram memoratam cum acidis efferueſcere, in igne non nihil indurari, ope lixiuii alcalini, phlogiſto iuncti, colorem coeruleum educi, ope magnetis ferrum in ea detegi, hocque mediante zinco ſub forma ochrae, atque empyreumaticum ſpiritum deſtillatione ſeparari. Hinc etiam liquet, terram hanc ex argilla quadam alcalina, partibus metallicis ferreis partibusque animalibus et vegetabilibus arcte vnitis conſtare, ideoque terram mixtam nec ſimplicem eſſe, ad humi genus omnino referendam.

p. 125. 8) *Diſquiſitiones de cauſa phyſica electricitatis* Auctore Cl. EVLER, *filio.* Omnis res in eo verſatur, vt demonſtretur, quod phaenomena electricitatis a vi aetheris elaſtica, ſi fluidum hoc in corpo-

corporibus vicinis in aequilibrio conſtitutum non eſt, proueniant. Vt itaque propoſitio haec clarior euadat, primo in naturam aetheris inquiritur, dein modus, quo in poris corporum iſte includatur, exponitur, tandem autem oſtenditur, quomodo reſtitutio aequilibrii, quando elaſticitas ætheris in diuerſis corporibus diuerſa deprehenditur, electricitatis phaenomena producere valeat. Ad primum momentum quod attinet Cl Auctor oſtendit, in omnibus corporibus terreſtribus, aere non excluſo, materiem quandam ſubtilem et elaſticam contineri, quae aetheris nomine veniat, cumque materie electrica rem vnam eandemque conſtituat. Poſthac autem elaſticitatem iſtam in diuerſis corporibus diuerſam, inque aliis maiorem, in aliis minorem eſſe, et cauſam electricitatis ſuppeditare, demonſtrat. Quod ad alterum momentum ſpectat, poros etiam corporum attendendos eſſe, innuit, talemque eorum, ad producenda electricitatis phaenomena, conſtitutionem requiri, quae poros nec adeo apertos, nec etiam adeo clauſos ſiſtat, ita tamen, vt aliqua etiam communicatio detur mediumque inſimul adſit, in quo, vt v. g. in aere, aether in ſtatu ſuo naturali ſe habeat. His igitur expoſitis demum oſtendit, quod, ſi elaſticitas aetheris, in corporibus incluſi, gradum ſemper eundem retineat, iſte nunquam ex corpore exeat, quo in alterum intret, quem ſtatum corporum naturalem ſeu aequilibrium vocat. Quodſi vero elaſticitatis gradus in diuerſis corporibus diuerſi atque etiam pori corporum, nec adeo aperti, nec penitus clauſi ſint, motusque tunc in iisdem aether ex vno in alterum tranſire valeat, ſtatum proinde electricum, huius phaenomena et pro vario elaſticitatis gradu proque varia pororum conſtitutione infinitas etiam eorundem varietates produci, ſolidis Noſter firmisque argumentis probat atque hinc inde exemplis illuſtrat.

p. 160. 9) *Deſcriptio aneuriſmatis aortae* Auctore Cl. ROLOF. Vir quidam ad Cl. Auctorem accedit et tumorem in ſterno oſtendit, quo rite examinato, aneuriſma aortae, per foramen quoddam ſterni egrediens, deprehendit. Tempore aliquo praeterlapſo, doloribus de die in diem auctis, ſacco iſto demum rupto ſanguineque copioſo effluxo miſer ille periit. Pectore aperto aortam a principio ad arcum vſque inſigniter dilatatam reperit, cuius longitudo ſeptem pollices fuit, totius autem aneuriſmatis latitudo inaequalis apparuit, ita, vt dilatio verſus cor quatuor pollices cum dimidio, media pars octo, atque ſuprema plures etiam in diametro haberet. Sternum praeterea ex parte carioſum et deſtructum pariterque coſtas quasdam arroſas et deſtructas, inque vaſis aortae proximis hinc inde mutationem et dilatationem, quod etiam cordi accidit, detexit. Homo, cui infortunium hoc contigit, ex baiulorum genere fuit, cuius labor in eo conſtitit, vt ſaepe pondus inſigne, quatuordecim centum pondia aequans cum tribus aliis eleuaret et per breue tempus in humero dextro ſeruaret. Qui exactam morboſi huius ſtatus deſcriptionem poſtulant, hos ipſos ad hunc librum ablegamus, vbi quinque inſimul iconibus ſtatus iſte praeternaturalis repraeſentatur.

VI. IA-

VI.

IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFER Eccleſ. Euang. Ratisb. Miniſtri Acad. Caeſar. Nat. Cur. Imper. Reg. Rouered. ac Reg. Boruſſ. Berol. Societ. Reg. Duisburg. et Teuton. Goetting. Liber. nec non Art. Lipſienſ. Sodalis iſagoge in botanicam expeditiorem iconibus aeri inciſis et pictis illuſtrata. Ratisbonae Litt. fratrum Zunckel. 1759. 8 mai. pl. 2. tab. aen. 4.

VII.

IACOB CHRISTIAN SCHAEFFERS *Sr. Königl. Maj. in Daennemarck, Norwegen Raths und der Weltweiſsheit Profeſſors* honorarii *auf dem Gymnaſio Academico zu Altona etc. erleichterte Arzney-Kräuterwiſſenſchaft, nebſt vier Kupfertafeln mit ausgemahlten Abbildungen. Regensburg in der Montagiſchen Buchhandlung.* 1759. 4. 176 *Seit.*

h. e.

IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFERI Plantarum officinalium expeditior conſideratio etc.

Qui hactenus varia hiſtoriae naturalis capita, inprimis inſectorum hiſtoriam, ſtudioſe diſquiſiuerat, Cl. SCHAEFFERVS, in re herbaria quoque nonnulla nunc edidit ſpecimina, ex quibus ea, quae methodum in genere tangunt, paucis indicabimus. Ante tres annos ad Ill. Academiam Roueredenſem de methodo ſtudii botanici nonnulla propoſuerat *, et

* IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFERI epiſtola ad illuſtrem. Imper. Reg. Academiam Roueredenſem de ſtudii

et quomodo ipſe in addiſcendo ſtudio rei herbariae verſatus fuit, oſtenderat. Tabulas enim methodi ſexualis ex Cl. LINNAEO et alias vniuerſales ex aliis Auctoribus ſibi compoſuerat, quarum ope in vegetatilibus vlterius diſquirendis vtebatur, et adiecto ſpecimine in tabula aeri inciſa ex pentapelis regularibus et octandriis expoſuit, quomodo harum tabularum beneficio, plantae diſquiri poſſent. Cum vero interea in tabulis his ad botanicam expeditiorem pertinentibus elaborandis et perficiendis occupatus eſſet, facile vidit, explicationes vocabulorum, quibus botanici vtuntur, praemittendas eſſe, licet cum has ex botanicis ſcriptoribus citare potuiſſet, ſatius tamen duxit, ex variis hanc iſagogem excerpere et definitionibus his icones addere, in quibus, accurate delineatis et viuis coloribus illuſtratis, vocabula quae flores diuerſos et partes florum declarant, a tironibus melius intelligantur.

p. 1. In hac itaque iſagoge, capite primo de botanica in genere agit et, praemiſſa definitione et generali diuiſione, oſtendit, quomodo res herbaria per varias mutationes ad hanc moderni ſtudii excellentiam producta fuerit.

p. 7. Caput ſecundum de partibus plantarum ratione vegetationis et fructificationis diſſerit. Plantas viuendo creſcere aſſeruit et a foſſilibus, quae non viuunt, et ab animalibus, quae ſimul ſentiunt, cum LINNAEO diſtinguit. Functiones hae vitales et vegetationem ſiue incrementum et ſtatum plantae et fructificationem ſiue propagationem ſiſtunt. Vegetatio collecta in germine eſt, euoluta autem radicem, caudicem et proceſſus exhibet. Has partes Noſter ſtudioſe deſcribit et diſtinguit, et cum proceſſus

ſtudii botanici faciliori ac tutiori methodo, cum ſpecimine tabularum ſexualium et vniuerſalium in hunc finem elaboratarum aerique inciſarum. Ratisbonae 1758. 4. pl. 2. tab. aen.

ceſſus plantarum primarii folia ſint, et in his magna inueniatur varietas, differentias foliorum ordine alphabetico enumerat; ſecundarios vero in foliformes: bracteas ſcilicet et ſtipulas; filiformes: capreolos, clauiculas; acutos: ſpinas et aculeos; excretorios: pilos et glandulas diuidit. Fru- p. 31. ctificatio floreſcentiam praeſupponit. Poſtquam itaque floris partes deſcripſit et in iconibus additis illuſtrauit, differentias florum vniuerſales iterum ordine alphabetico declarat, et fructum poſtea conſiderat, quem ex pericarpio et ſemine compoſitum aſſumit et varias fructus partes deſcribit.

Caput tertium de ſyſtematibus botanicis in gene- p. 48. re agit, quibus diuiſionum fundamentis varii botanici inhaerent, deſcribit, et tabulam ſyſtematicorum et vniuerſalium et partialium ex LINNAEO repetit.

Caput quartum de ſyſtematibus TOVRNEFOR- p. 52. TII, RIVINI et LINNAEI exponit. Licet vero omnes methodici ſyſtematici ad rem herbariam perficiendam multum contulerint, praecipue tamen characteribus ex modo nominatis Auctoribus depromtis inhaeret, et ex his accurate deſcriptis et ex delineationibus illuſtratis vocabula aſſumit, quibus ſuo tempore vti poſſit. Ex TOVRNEFORTIO itaque figuras florum, ex RIVINO regularitatem et numerum petalorum aſſumit, his primario quidem, illis poſtea in ſubdiuiſionibus innititur et tandem, conſiderationem ſtaminum et piſtillorum ex LINNAEO ſubiungit, tanquam partium, quae ſexum conſtituunt.

Caput quintum de ratione, vtilitate, et vſu p. 66. botanicae expeditioris diſſerit. Conſtat haec ex tabulis duplicibus ſexualibus ſcilicet et vniuerſalibus; illae ex ſyſtemate Linnaeano tantum ſtamina et piſtilla indicant, hae omnes partes floris et fructus ad methodum Riuino-Tournefortianam complectuntur. Vlteriorem declarationem, quam Cl. Auctor

propoſuit, nunc omittimus, cum de ea melius ad ductum tabularum, quas proxime expectamus, diſſerere, laboris huius ſuſcepti rationem reddere et vtilitatem et commodum inde reſultans perpendere queamus.

Libellus alter, quem indicauimus et qui plantarum officinalium conſiderationem expeditiorem
p. 2. ſiſtit, tres partes complectitur, quarum prior introductionem vniuerſalem exhibet, et in tribus ſectionibus de botanica in genere, de partibus plantarum, et de Tournefortiano, Riuiniano et Linneano ſyſtemate agit, et praecipua continet, quae in recenſione libelli antecedentis commemorauimus, quam ob cauſam etiam quatuor tabulae, quae partes florum ſiſtunt, et quas in praecedenti recenſione indicauimus, hic quoque annexae ſunt.
p. 31. Secunda pars praecipua eſt et ipſam conſiderationem plantarum officinalium in tabulis ſiſtit. Praemiſſa eſt tabula generalis ex definitionibus generum plantarum LVDWIGII noſtri deprompta, in qua tantum dipetalae et tripetalae, vtpote non officinales, plantae omittuntur, et relatiuae ſuis locis inter perfectas inſertae ſunt, quam ob cauſam tredecim tantum claſſes conſtituuntur: Monopetalae regulares, irregulares, tubuloſae, lingulatae, mixtae, tetrapetalae regulares, irregulares, pentapetalae regulares, irregulares, vmbellatae, hexapetalae, polypetalae et apetalae. Quo vero aliquod ſpecimen exhibeamus tabularum, per lineas ductas in
p. 38. nouendecim areas diſtinctarum, eligamus Rubiam tinctorum, quam ſequentem in modum deſcriptam deprehendimus. Siſtit nimirum area 1. *Numerum* 15. 2. *Nomen, Färberröther*, Rubia 3. *Calycem* quadrifidum paruum. 4. *Corollam* quadrifidam, quinquifidam campaniformem, ſuperius patentem, ex luteo viridem. 5. *Staminum filamenta* quatuor, corolla

corolla minora, ſubulata. 6. *Antheras* quatuor, ſimplices. 7. *Ouarium* vnum didymum. 8. *Stylum* vnum ſuperius diuiſum filiformem. 9. *Stigmata* duo, capitata. 10. *Fructum* baccam duplicem, coalitam. 11. *Semina* duo vmbilicata. 12. *Radicem* fibroſam, repentem, non nihil lignoſam, totam rubicundam. 13. *Folia* oblonga, ad nodos ſtellata, aſpera, caulibus quadrangulis, aſperis et nodoſis accreta. 14. *Tempus florendi* Iunius. 15. *Locum* Germaniam, Sileſiam, Bauaricam, herba eſt. 16. *In officinis habetur* radix. 17. *Proprietatem*, ſine odore eſt, ex dulcedine non nihil amara fit, et ſubadſtringentem offert ſaporem, rubicundo colore tingit ipſa oſſa hominum et brutorum. 18. *Vim medicam*, aperitiuam, diſcutientem, pellentem, vulnerariam, vna ex quatuor radicibus aperientibus. 19. *Vſus*, adhibetur in obſtructionibus vteri, hepatis, renum, in ictero et hydrope, dyſenteria, vulneribus internis, herniis, retentione vrinae, catamenia promouet. Simili prorſus ratione trecentae et triginta plantae officinales deſcribuntur, ita vt magna rerum copia in his tabulis congeſta et aptis vbique nominibus germanicis expreſſa inueniatur.

Tertia pars indicem alphabeticum plantarum hactenus deſcriptarum ſiſtit, citatis ſemper tabulis, in quibus plantae indicatae fuſius deſcribuntur. Nomine itaque latino officinali praefixo, germanica, anglica, gallica, italica et belgica, nec non ſynonima latina inprimis botanicis vſitata adduntur, et herbaria, Blackwellianum et Weinmannianum citantur. Labor certe a Cl. Auctore ſuſceptus iis non inutilis eſſe poteſt, qui accuratam plantarum officinalium cognitionem acquirere ſuſcipiunt. p. 129.

VIII.

Wachendorſia IOHANNIS BVRMANNI M. D. Athenaei illuſtris et in horto medico Amſtelaedamenſi Profeſſoris Botanices Acad. Caeſ. Nat. Cur. Socii. Amſtelaedami 1757. fol. pl. 2. tab. aen. 1.

Qui in re herbaria amplificanda et ſpeciatim in plantis Africae deſcribendis magna cum cura verſatus eſt Cl. Auctor, nunc quoque nouum plantae genus ad promontorium bonae ſpei inuentum exhibuit et nomini Cl. WACHENDORFII Profeſſoris Vltraiectini inſcripſit, et ex triantheris monoſtylis, et ſequenti definitione declaratur. Wachendorfia. Calix, *Spathae vagae, alternatae, ſemiamplexicaules, oblongo-acutae, fructificationem diſtinguentes, perſiſtentes marceſcentes, tumque reflexae.* Corolla, *petala ſex, oblonga, quorum tria ſuprema erecta, patula ad vngues coalita, bina lateralia dehiſcentia, inferius carinatum, aliquando deficiens, nectarium externe protuberans locatur vtrinque ad petalorum ſuperiorum latera.* Stamina, *filamenta tria ſubulata, corolla breuiora, declinata, inferiori petalo incumbentia; antherae oblongae, coadunatae, horizontales.* Piſtillum; *germen ouato obtuſum, triquetrum, intra corollam ſitum, ſtylus ſimplex, ſubulatus, ſemper dextrorſum vergens, ſtigma ſimplex, puſillum.* Pericarpium, *capſula ſubouata, obtuſa, triquetra, trilocularis, triualuis, hirſuta.* Semina *tria obouata, placentulae oblongae affixa, quae in capſulae centro coaleſcunt.*

Duas adduxit ſpecies, quarum prima thyrſiflora eſt, ex obſeruatis accurate deſcripta, *Wachendorfia foliis lanceolatis, quinqueneruiis canaliculato plicatis, floribus in thyrſum collectis.* Radix tuberoſa, arundinacea, plurimos vndique ſpargens ſtolones; folia neruoſa, quinqueneruia, glabra, laete virentia;

ſcapus

ſcapus arundinaceus foliis vaginantibus, anguſtioribus, alternatim veſtitus; flores ſeptem communi pedunculo ſuſcepti, ſupremus flos primum, poſtea ſequentes, euoluuntur, erumpentes maximi, ſequentes ſemper minores; inferius petalum aliquando deficit, et eius loco ſtylus alter ſuccedit; diebus calidis ex nectario guttula mellis effluit. Haec planta maxime affinis eſt, *ſiſyrinchio ramoſo aethiopico foliis plicatis neruoſis, et incanis radice tuberoſa phoenicea* BREYNII *, praeter ſex ſtamina vero in hac planta delineata, thyrſi diſpoſitio longe alia eſt, quod quidem Cl. Auctor in planta, quae in loco natali picta eſt, examinauit. Aerem intenſe calidum facile fert, aquam tamen quam maxime deſiderat, et in vliginoſis promontorii bonae ſpei creſcere videtur. In noſtris hortis in caldario inter bulbos Capenſes culta floret.

Addit quoque aliam ſpeciem paniculatam, quae eſt *Wachendorfia foliis enſiformibus, trineruiis, floribus paniculatis.* Huius tantum ramum depictum inuenit et ob floris conuenientiam huc reduxit, et prioris ſpeciei iconem exquiſitam cum omnibus floris et fructus mutationibus adiunxit.

IX.

ANTONII STOERCK, Medici Viennenſis et in noſocomio ciuico Pazmariano Phyſici Ordinarii libellus, quo demonſtratur: Cicutam non ſolum vſu interno tutiſſime exhiberi, ſed et eſſe ſimul remedium valde vtile in multis morbis, qui hucusque curatu impoſſibiles dicebantur. Vindobonae typis Iohannis Thomae Trattner 1760. in 8. pl. 8.

* vid. in exoticarum aliarumque minus cognitarum plantarum Centuria I. Gedani 1678. fol. p. 85. tab. 37.

Quo atrociora mala ex ſcirrho apertoque cancro in miſeros aegros redundare ſolent, eo maiore laude ii digni cenſendi ſunt, qui horum curationes, et quidem maximo cum aegrorum commodo, ſine chirurgico auxilio exſtirpationis, ſuſcipiunt, et haud infelicia tentamina inſtituunt. Haec Cl. Auctor praeſtitit et cicutae virtutes egregie declarauit Tota tractatio in tria capita diſpeſcitur quorum primum remedii deſcriptionem, ſecundum effectus in variis aegris obſeruatos, tertium corollaria quaedam et monita proponit.

p. 1. Cicutae vulgaris deſcriptionem ex MORISONO repetitam dedit *, et cum omnes ferme materiae medicae ſcriptores internum eius vſum damnarent, Cl. Auctor ſiccam herbam in ſacculis et lacti incoctum ſub cataplaſmatis forma applicauit, peſſimae gangraenae progreſſum interdum cohibuit, et in viro ſexagenario podagricis doloribus per plures annos diuexato, non tantum dolores ſedauit, ſed tophos etiam emolliendo diſcuſſit. Cum etiam, emplaſtra, quae ſuccum cicutae recipiunt, magna vi diſcutiente conſpicua ſint, ſuccum lege artis in extractum inſpiſſauit, et cani paruo famelico cum carne ſcrupulum de illo ter de die exhibuit, qui ſanus et alacer manſit. Hoc experimento audacior factus Cl. Auctor mane et veſperi granum vnum ipſe adſumſit, et hauſtum theae addidit, et cum nullum incommodum ſentiret, poſt octi-

* Icon Sect. 9. tab. 6, expreſſa imperfecta eſt. Monemus itaque plantam noſtram eſſe *Cicutam maiorem* C. B. P. p. 160. *Cicutam* DODON. Pempt. 3. lib. 4. cap. 35. MATTH. p. 772. TABERN. 1170. *Conium ſeminibus ſtriatis* LINN. Sp. pl. p. 243. n. 1. minime vero *Cicutam* LINN. Mat. Med. p. 43. *Cicutam umbellis folio oppoſitis petiolis marginatis obtuſis.* LINN. Sp. pl. p. 255. n. 1. *Sium erucae folio* C. B. P. p. 154. *Sium alterum* DODON. Pempt. 4. lib. 5. cap. 10. *Sium maius anguſtifolium* TABERN. p. 203.

octiduum mane et veſperi duo grana degultiuit, nec inſoliti quid in corpore ſenſit. Cum autem lactis amari et acris, quod radix recens fundit, vnam alteramque guttulam linguae apice delibaret, mox rigida facta lingua valde intumuit, doluit, et loquelam cohibuit, ſucco citri crebrius admoto incommoda oborta quidem diſſipauit, ſed plane perſpexit in lacte radicis maximum virus latere, cum puluerem radicis ad vnum alterumque granum ſine noxa aſſumſiſſet. Succum igitur herbae recentis cicutae in formam extracti redegit et cum puluere foliorum cicutae maſſam pilularem, et ex hac pilulas duorum granorum pondere efformauit, vel extractum ipſum varia ſub forma exhibuit. Extractum vero ex herba cicutae cocta et ſucco inde expreſſo paratum minus efficax inuenit. Incepit ſemper a minima doſi ſcilicet grano vno, et ſic ſenſim paulatimque doſin augendo ad drachmam vnam, vel drachmam vnam cum ſemiſſe intra diei ſpatium aſſumendam aſcendit, et nihil vnquam mali obſeruauit, licet has pilulas per vnum alterumque annum continuato vſu exhibuerit. Pilulis vero exhibitis, vnum alterumque faſculum infuſi theae vel iuſculi vitulini praebuit. Puluis radicis cicutae cum mucilagine gummi tragacanthae in pilulas redactus efficacius quidem, ſed magna cura attendendum remedium exhibet.

p. 9. p. 11. p. 13.

Nunc caſus in capite ſecundo propoſitos indicabimus, et nonnullos accuratius enarrabimus, quo experientiae ratio melius pateat. Caſus I puellam ſiſtit, parotide ſcirrhoſa et nonnunquam dolente per triennium laborantem, quae et emplaſtrum de ladano et mercurium ſublimatum cum ſpiritu frumenti ſine effectu adhibuerat; huic in principio granum vnum et poſt octiduum duas pilulas mane et veſperi dedit infuſo florum ſambuci ſuper addito, huic itaque intra ſex ſeptimanas omnis durities diſſipata fuit. p. 14.

Caſus

p. 17. Caſus II. Foemina triginta annorum, cui ſub axillis et paſſim in corpore glandulae intumuerant, et variis medicamentis diſſipatae iterum increuerant, effuſoque ichore ſaepe in vlcera abierant, tandem mamma tumida quoque facta vlcera cancroſa contraxit, nullis medicamentis obedientia, die decimo quarto Septembris 1757 pilulas duas grani vnius et infuſum veronicae exhibuit Noſter, nec ſine ſucceſſu, color enim liuidus mammae in laete rubrum et tandem naturalem tranſiit, loco ichoris purulenta materia exiit, et moles tumoris cum duritie decreuit. Die 14 Octobr. inſtante fluxu menſtruo mamma iterum rubuit et doluit locoque puris ichor effluxit, quae vero ſymptomata pilulis continuatis iterum euanuerunt. Die 24 Octobr. mane et veſperi tres pilulas, et 19 Novembr. cum tumor mammae intra papillam adhuc inſignis eſſet quatuor pilulas exhibuit. Die 2 Dec. ex eſu carnis ſuillae cum braſſica male parata omnia in peius ruebant, aſt purgante rhabarbarino et pilulis quinque, granorum duorum, mane et veſperi exhibitis, melior fuit rerum ſucceſſus, tumor infra axillam et mamma ſupra papillam colore, magnitudine et mollitie ad ſtatum naturalem accedebat, cum autem tumor infra papillam duriſſimus eſſet die 24 Dec. et ſex pilulas bis de die exhibuit Noſter, et cruſtas in mammae vlceribus ortas liberumque materiae exitum impedientes emplaſtro de ſpermate ceti impoſito remouit, quo facto die 15 Ian. tumor infra papillam iam fundi coepit, menſtruaque ſine ſymptomate acceſſerunt. Anxietatem praecordiorum et alia ſymptomata die 3 Febr. ex comeſtis leguminibus ortam purgans diſſipauit, et cum tumorem ſub papillas in ſex moleculas diuiſum deprehenderet Noſter, porro ter de die ſex pilulas exhibuit, ita die 24 May mamma ad naturalem magnitudinem rediit, die 3 Iulii vlcera concreuerunt

runt et tumor mammae et ille ſub alis prorſus diſparuit, et die 26 Auguſti cum pilulas vix amplius ſumeret aegra, ſana abiit.

Caſus III tumorem oui anſerini magnitudine in foemina viginti quatuor annorum ſiſtit, qui intra trimeſtre ſpatium ex vſu pilularum diſſipatus fuit. p. 29.

Caſus IV. Virgo octodecim annorum ex morbo acuto conualeſcens, tumorem mammae dextrae motum et in vlcus ſordidum mutatum oſtendit. Fomenta ex foliis cicutae et tres pilulae, mane et veſperi exhibitae, id effecerunt, vt die decimo quinto vlcus in ſanationem tenderet, et die vigeſimo coaleſceret, ab eo tempore autem vehementes dolores orti fuerunt, opio dato interdum ſopiendi, aucta tamen pilularum doſi et fomento continuato die vigeſimo octauo morbi abſceſſus manifeſta fluctuatione conſpicuus inciſione facta magnam boni puris copiam exhibuit, et continuatis remediis die quinquageſimo aegra ſanata fuit. p. 31.

Caſus V. Foemina viginti octo annorum ſexta poſt puerperium ſeptimana in mamma duritiem et dolorem percepit, et exinde magna febre tentata fuit; Cl. Auctor eius curam, vt decet, direxit, et cum infantis glandulae in collo intumeſcere inciperent, tres pilulas matri ter de die cum infuſo florum ſambuci exhibuit, ſcirrhus mammae in plures moleculas diuiſus fuit, et infans mammas ſugens praeter diarrhoeam nil mali ſenſit, ſed tandem, vt mater integre ſanatus fuit. p. 36.

Caſus VI. In viro ſexaginta quatuor annorum vſus pilularum cancro ab angulo oris ſiniſtre ad aurem vsque extenſo, limites poſuit. p. 41.

Caſus VII. Nobilis matrona ob tumorem mammae tres pilulas bis de die aſſumſit, et ſub continuato vſu aluum paulo liberiorem, ſed ſine incommodo, habuit, euentus tamen curationis non indicari potuit. p. 44.

p. 46. Caſus VIII. In foemina quadraginta trium annorum, tumor mammae ſiniſtrae et glandularum ſubaxillarium, a violenta mammae percuſſione ortus liberum brachii motum impediebat, et cancrum occultum oſtendebat, reſpiratione ſimul breui, difficili et tuſſiculoſa exiſtente. Exhibitis circa finem Martii tribus pilulis mane et veſperi die iam 6 Aprilis omnia, praeter reſpirationem difficilem, in melius mutata videbantur. Continuato medicamentorum vſu die 1 Iunii mamma euidenter imminuta erat, ſed tuſſis ita vrgebat, vt maſſa pilularum de cynogloſſa, veſperi data, ſopienda eſſet. Durities ſupra papillam nata diu rebellis erat, tandem tamen ſub continuato medicamentorum vſu molleſcere videbatur, frictione tamen accedente vlcus et ſatis ſordidum enatum fuit. Iam octo pilulae mane et veſperi exhibebantur, et licet poſt aliquot dies dolores oborti remitterent, pus tamen nullum, ſed ichor foetens effluebat, et fruſta lata, coriacea, dura prodibant, ita vt durities exfoliatione quaſi minui videretur *. Et licet ſputa purulenta copioſe proce-

* Nos cum quadriennio abhinc ruſticum quinquaginta circiter annorum cancro aperto fabae maioris magnitudine in labio inferiore verſus angulum oris dextrum laborantem infuſo Belladonnae ſecundum eam methodum tractaremus, quae a Cl. LAMBERGEN publicata, et in Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 261 ſeqq. recenſita legitur, ſimilem exfoliationem ſeu potius deſquamationem vidiſſe probe recordamur. Singulis enim octo vel duodecim diebus eiusmodi ſquama ſuperius conuexa, inferius concaua, vtrinque aſpera, dura, peneque cornea decidens ſuppoſitum cancrum ea facile relinquebat vt ouulorum glomulum grate rubellum, ex cancris fluuiatilibus coctis deſumtum, quorum interſtitia muco albo foetente et corpus reticulare quodammodo referente, repleta erant, ſiſteret. Ipſe cancer ſenſim ita, vt ſquamae decidebant, imminuebatur, donec tandem

procederent, et licet in vlcere magnum cum tenſione dolorem excitaret, labia tamen vlceris ad naturalem colorem deducta fuerunt, et infuſo cicutae linteis madidis applicato exfoliatio ſucceſſit, immo pus tandem in vlcere ſe monſtrauit. Optimus vlceris ſtatus erat, et licet a tuſſi multi dolores orirentur, cum mamma per chordam quaſi ad pulmones ligata videretur, tamen ex opio dato aegra leuamen ſenſit, ſed die ſecundo Septembris, cum extra lectum eſſet, nec de dolore, nec tuſſi conquereretur, vinum ieiuno ventriculo auidiſſime hauſit, vnde mox vertiginoſa vomuit et intra pauca minuta apoplectica obiit. In cadauere diſſecto dura et pia mater venas varicoſas oſtendebat, cerebellum grumoſo ſanguine comprimebatur, pulmones partim ſcirrhoſi, partim purulenti ex anteriori parte cum pleura firmiſſime concreuerant. Vlcus ipſum ſat purum erat, et optima ſanationis ſigna praebebat.

Caſus IX. Foemina triginta trium annorum colli glandulas vehementer tumentes et ſcirrhoſas cum vlceribus cancroſis oſtendebat: Haec per duos annos multis remediis et in fine mercurio ſublimato cum ſpiritu frumenti, exhibitis ſimul decoctis, per quatuor ſeptimanas fruſtra tractata fuerat, tandem intra viginti circiter dies fomento cicutae et pilulis ſaepius laudatis vſa conualuit. p. 58.

Caſus X. Virgo octodecim annorum glandulas ſubmaxillares oui gallinacei magnitudine tumentes et ſcirrhoſas habens, vſu pilularum ſpatio trium menſium ſanata fuit. p. 63.

Caſus

tandem hac curationis methodo, per biennium et quod excurrit diligentiſſime obſeruata, prorſus euanuerit. Ruſticus ex eo tempore in hunc vſque diem optima ſemper gauiſus eſt ſanitate.

p. 64. Caſus XI. Foemina ſexanginta annorum a binis annis cancrum mammae ſiniſtrae apertum habebat, cuius limbus ſuperior ad maxillam, inferior ad ventrem vſque extendebatur. Intra menſis ſpatium magna fruſta ex mamma cadebant, quae etiam quolibet altero vel tertio die magnam ſeri copiam fundebat, poſt ſex circiter ſeptimanas tumor pugnum virilem vix referebat, et remedii noſtri efficaciam ſatis teſtabatur, ſed paulo poſt a refrigerio in magnum morbum incidit et obiit.

p. 70. Caſus XII. Foemina ſcirrhis in collo, mamma aliisque glandulis, et quibusdam ex his exulceratis laborans, poſt vſum pilularum ichorem quidem copioſiorem effluere ſenſit, ſed minus rodentem, multum praeterea leuaminis ſenſit.

p. 74. Caſus XIII. Virgo octodecim annorum a multis annis parotides, glandulas maxillares et reliquas colli adeo tumidas habuit, vt collum craſſitie caput multum exceſſerit, enata iam erant vlcera ſinuoſa calloſa et cancroſa, et tabida inde reddita, nocturnis ſudoribus vexabatur. Rebus ſic ſtantibus medicamentum ex cicuta tentatum fuit proſpero cum ſucceſſu, vt, licet curatione iam per aliquot menſes protracta nondum ſanata ſit, tamen optimae ſanationis ſpem promittat.

p. 81. Caſus XIV. Scirrhum mammae ex vſu pilularum diminutum declarat.

p. 82. Caſus XV. Vir quinquaginta trium annorum venerea labe late affectus, penem in inſignem magnitudinem excreſcentem vlceribus et excreſcentiis cancroſis affectum, vlcus ſcroti cancroſum, et teſticulum ſiniſtrum ſimili vlcere adeſum ſecum gerebat, dolor et foetor partium, quae ad leuem attactum ſanguinem fundebant, inſignis erat, et aeger prae debilitate animi deliquia patiebatur Cl. Auctor ſub initium quotidie vnciam vnam cum ſemiſſe corticis peruuiani exhibuit, ſed nullum inde

inde leuamen percipiebatur, et quarto die aeger medicamentum reſpuebat. Exhibuit itaque ter de die ſex pilulas et partibus affectis fomentum ex cicuta applicauit, iam altero die melius ſe habuit aeger et medendi methodo, per triginta dies continuata, ſcrotum integre ſanatum et vlcera penis multo minora et nitida facta fuerunt, ita vt in cura antiuenerea progredi poſſet Noſter.

Caſus XVI. Foemina triginta ſex annorum binas in colli parte ſiniſtra fiſtulas habuit, quae in ſinus longe lateque per collum et thoracem diuagantes producebantur, ſex vnciis enim materiae iniiciendae opus erat ad ſinus replendos. Variis itaque curandi viis tentatis, collum et dorſum fomento ex cicuta inuoluerunt, in fiſtulas et ſinus tenue infuſum cicutae iniectum fuit, aegraque mane et veſperi ſex pilulas ſumſit, et ſanatio intra octiduum ex voto peracta fuit. p. 88.

Caſus XVII. Tumor in abdomine viri poſt quartanam ſubito ſuppreſſam natus, vſu pilularum curatus fuit, et ſcirrhi hepatis huic remedio obediunt, in lienis vero poſt febres intermittentes inflatione pilulae parum iuuant. p. 91.

Caſus XVIII et XIX vſum pilularum in cataracta declarant. p. 92.

Caſus XX. Foemina viginti quinque annorum ſtruma ſcirrhoſa affecta, quae non tantum colli anteriorem partem occupauit, ſed et ad pectus penetrauit et reſpirationem difficilem reddidit, his pilulis per quatuor menſes exhibitis ita ſanata fuit, vt ſtruma partim ſuppuratione, partim reſolutione conſumta fuerit, reſpiratione etiam liberiori reddita. In hac etiam ſimul profundum et malignum in femore ſiniſtro vlcus ſanatum fuit, quod omnium remediorum viribus repugnauerat. His experimentis, cum cicuta factis, alia ſubiungit Cell. Virorum tentamina non ſine fructu inſtituta. p. 94.

p. 13. In capite tertio primum ea corollaria, quae ex curationibus his fluunt, indicantur, et monita varia practica adduntur, quae, cum ex dictis facile pateant, merito omittimus. Nos, qui et pulueris et extracti cicutae internum, et cataplaſmatum, fomentorum et emplaſtrorum ex hac planta potiſſimum praeparatorum externum vſum atque effectum saepius attenti obſeruauimus, non negare poſſumus, in ſcirrhis et vlceribus malignis non tantum, ſed in carcinomatica quoque corruptione auxilia inde peti poſſe praeſtantiſſima. Ex his etiam, quae hactenus perſpeximus, tutum et a lenti veneni ſuſpicione liberum pronunciare poſſumus herbae cicutae vſum.

X.

Tentamen de demonſtranda ſtructura humana ſecundum dimidiatam naturae ipſius proportionem e quatuor tabulis conflatum, ab iconibus poſt veras diſſectiones conſulto factas. Ita diſpoſitae ſunt partes, vt ſenſim partium omnium, quae audiunt capita aut principes, in ſitu naturali repraeſententur, eo quo, cum primo diſſecantur, more apparent, quum ſanguifera vaſa cera ſunt iniecta. Opus conſtitutum, vt artificioſa animalis oeconomiae imago dilucidius, quam in vllis aliis hactenus edita fuit tabulis, eniteat atque emineat. Cura et ſtudio CAROLI NICOLAI IENTY. A. M. nec non rei anatomicae et chirurgicae Profeſſoris. Impenſis Auctoris. Londini 1757. 8. mai. pag. 48.

XI. Ex-

XI.

Explicatio demonſtrationis vteri praegnantis mulieris cum foetu ad partum maturi, in tabulis ſex ad naturae magnitudinem poſt diſſectiones depictis et ea methodo diſpoſitis, vt huius ſtatus grauidi amplam ob oculos ideam collocent. Cura et ſtudio CAROLI NICOLAI JENTY Londini 1758. 8 mai. pag. 16.

Et dictionis ratio et ſumma contentorum in fronte libellorum indicatorum exprimitur; pauca tamen, quae has plagulas et potiſſimum ipſas tabulas accurate perluſtrantibus notatu digna obuenerunt, a nobis adiicienda ſunt. Cum confuſa tabularum multitudo, vti Noſter opinatur, quas EVSTACHIVS, BIDLOOVS, COWPERVS, ALBINVS et HALLERVS cum orbe erudito communicarunt, integram humani corporis imaginem vix tradere poſſint, in gratiam eorum, qui, pertractato iam ſtudio anatomico, veram repetitionem inſtituere et vno quaſi intuitu partes corporis perſpicere cupiunt, omnem corporis fabricam in quatuor tabulis proponere anniſus eſt. Praecipuas certe partes corporis humani ob oculos ponunt, earundemque veram proportionem et limites indicant, et ideo iis ſatisfacere poſſunt, qui ſuperficiaria partium contemplatione contenti ſunt, ad eam tamen, quam in ALBINI et HALLERI tabulis obſeruamus et admiramur perfectionem non accedunt. Hanc vero non attingere voluit Noſter, qui priores tabulas, nimia literarum et notarum copia abundare dicit, et accuratos partium indices eidem vitio vertere videtur, qui tamen veris rerum anatomicarum indagatoribus taedium non creant. In

picturis exarandis vſus eſt opera periti delineatoris VAN RIEMSDYK, qui Cll. Vir. HVNTERI et SMELLII tabulas ad artem obſtetriciam pertinentes exarauit; non tamen elegit ſculpturae genus, quod lineis accurate ductis vmbras et partium limites diſcernit, ſed aſperae tabulae depreſſionibus vmbras exprimere annisus eſt, quas Itali *mezzo tinto*, Germani *Schwarzekunſt* appellant, et hac in re in his et ſequentibus vteri tabulis variis artificibus vſus eſt. Licet enim, vt ipſe fatetur, hoc picturae genus debilitate quadam laboret, tamen veram in aes incidendi rationem rudiorem graphicen Noſter appellat, et attemperatam naturae imaginem attingere non poſſe aſſerit, qua in re ob exempla illuſtria citatorum Auctorum nos diſſentientes habet.

Tabulae primae figura prima ſiſtit corpus totum a parte anteriori integumentis remotis, et muſculos, vaſa, aliasque partes vicinas oſtendit, ita vt a parte ſiniſtra omnia in ſitu relicta, a dextra vero, nonnullis iam remotis, reliqua accuratius perſpiciantur. Figura ſecunda muſculos in collo viſos minores pectoris et peritonaeum cum pellucentibus viſceribus, tertia vero, ſitum partium in collo, pectore et abdomine declarat. Figura quarta internam ſterni faciem et quinta demum ſectionem capitis perpendicularem a latere oſtendit.

Tabulae ſecundae figura primaria, viſceribus remotis vaſorum praecipuorum tractus reſectis ramis, a ſiniſtris muſculi profundius ſiti, a dextris oſſa ferme nuda conſpiciuntur. Figura ſecunda viſcera thoracis et remotis inteſtinis, reliqua, quae in abdomine reconduntur, oſtendit. Figura tertia palatum cum freto oris linguam et ductum thoracicum ſiſtit. Figura quarta inteſtina ex abdomine remota cum vaſis meſaraicis exhibentur. Figura quinta palatum cum freto oris eiusque muſculis ſigillatim adumbratur; et ſexta hymen puellae ſeptem anno-

rum,

rum, ex HALLERI faſciculo primo mutuata delineatione ſiſtitur.

Tabulae tertiae figura primaria poſteriorem corporis faciem conſpiciendam praebet; a ſiniſtris nimirum omnes muſculi ſub integumentis conſpicui, a dextris prioribus ſubiacentes cum vaſis nonnullis delineantur. Figura ſecunda durae matris ſinus et proceſſus muſculosque ceruicis et dorſi profundiores, et tertia plantae pedis muſculos et tendines exhibet. Figura quarta cranium et cerebrum, horizontaliter diſſecta, et patentes inde cerebri ventriculos, porro in thorace et abdomine viſcerum ſitum, vti ſpina dorſi remota a parte poſtica conſpicitur, delineat, et cum in hoc noua de ſitu viſcerum idea ani orificium cum muſculis non exhiberi potuerit, delineatas has partes figura quinta ſigillatim oſtendit. Figura ſexta baſis caluae et ſeptima baſis cerebri ſiue inferior eius ſuperficies cum origine neruorum delineatur.

Tabulae quartae figura primaria profundiores corporis muſculos a poſtica parte viſos in dextro latere, in ſiniſtro oſſa ferme nuda exhibet, et figura ſecunda plantae pedis profundiores muſculos adiicit. Figura tertia ſpinam dorſi cum coſtis et peluim a parte poſteriori ſiſtit. Figura quarta medullam ſpinalem et origines neruorum, quinta poſteriorem faciem viſcerum thoracis et abdominis ex foeminino corpore delineatam praebet. Figura ſexta poſteriorem faciem pharyngis cum vaſis ſanguiferis et glandulis, ſeptima tandem laryngis cartilagines exhibet.

Quilibet itaque ex nunc declaratis colligere poterit, varias facies, ſub quibus partes corporis oculis anatomicorum ſubiiciuntur, egregie ſelectas fuiſſe, licet minutiſſimarum partium varietas non ſemper icone et ne nitidiſſima quidem aſſequi poſſimus.

Quod explicationem tabularum, in libello exhibitarum, attinet, illa nuda tantum partium conſpiciendarum nomina ſiſtit; nec haec ordine quodam expoſita ſunt, cum mox arteriam, mox muſculum, mox ligamentum indicit, et non raro quoque ex vna corporis regione in alteram diuagetur. Indicata porro nomina vel minus completa ſunt, vel ſaepe
p. 11. minus recte expreſſa. v. c. *Portio pectoralis quae plicatur priusquam ſubter deltioda inſeritur. Ea portio*
p. 24. *pectoralis, vbi ſitae ſunt mammae aut iuxta. Penis diſſectus vt corpus cauernoſum repraeſentetur, hic etiam in vreteribus diuerſae exiguae aſpiciuntur, per quas mucus mucilaginoſus ſecernitur, vrinae acrimoniam*
p. 32. *cauſa. Membrana aponeurotica, quae conſtringit tendines muſculorum flexorum vulgo ligamentum angulare dicta.* Haec pauca accurate excerpſimus, plura exempla taedium crearent lectoribus. Paruae, quae ſparſim adduntur, obſeruationes vix attendi meren-
p. 39. tur. v. c. coraco brachialem et bicipitem coniunctos eſſe muſculos, tricipitis antici nomine inſigni-
p. 41. endos; extenſorem pollicis primum eſſe verum ſupinatorem etc.

Ad vteri imagines quod attinet, foemina, quae a ſanguine copioſo, in cauum pectoris ſiniſtrum effuſo, cuius effluxum a vaſis laceris non accurate deſcriptis deriuat Noſter, ſubitanea morte extincta fuerat, diſſectioni ſubiiciebatur, et cum grauida ad partum proxima inueniretur, picturae ab artifice ſupra nominato exaratae fuerunt. Obſeruationes, quas addit, paucae ſunt. Vaſa vteri repleuerat tenuiſſimo liquore, nullum tamen cum vaſis placentae inuenit communicationem. Vteri pars, cui placenta adhaeret, tenuior eſt, quam vulgo dicitur, ibi enim chorii membrana deficit, et venae copioſiores deprehenduntur. Extenſio et craſſities vteri grauidi a ſanguine pendet, hoc enim ſubducto pon-

pondus vteri grauidi non multo maius deprehenditur.

Breuiſſimis nunc indicanda ſunt, quae in tabulis vteri exprimuntur. *Tabula prima* abdomen grauidae delineatum ſiſtit, in quo praeter ambitum tumidum nihil attendendum eſt. *Tabula ſecunda* oſtendit, quomodo vterus grauidus abdomine aperto in conſpectum prodeat annotato ſimul vicinorum viſcerum ſitu. *Tabula tertia* vterum apertum ſitumque foetus ſub amnii membrana deliteſcentis ſiſtit. *Tabula quarta* ſitum foetus ad partum diſpoſiti, et aliquam ideam dilatationis orificii per caput foetus praeſtitae oſtendit. *Tabula quinta* cauum vteri apertum et, remoto foetu, placentam cum funiculo in ſitu ſuo exhibet. *Tabula ſexta* vterum ex pelui remotum a parte poſteriore conſpiciendum praebet et nexum vaginae cum inteſtino recto ſimul declarat.

XII.

Phyſiologiae elementa Auctore FR. DE SAUVAGES Regis Conſiliario et Medico in alma Monſpelienſium Medicorum Academia Medicinae et Botanices Profeſſore regio Academ. Reg. Scient. Londin, Monſpel. Suecicae, Berolinenſ. German. Vpſal. Florent. Socio. Amſtelodami apud Ioſephum Tilan. 1755. 8. 1 Alph.

Anno huius ſeculi quinquageſimo ſecundo Pathologia methodica Cl. Auctoris edita a nobis nondum expoſita fuit, nunc, cum nouae editionis recenſionem ſuſcipimus, non incongruum eſſe duximus, elementa phyſiologiae paucis indicare, quo methodus doctrinae Cl. Auctoris melius pateat. Medicinam p. 5.

artem cognoſcendae ſanitatis et aegritudinis, nec non illius conſeruandae et huius debellandae dicit, quae, cum in theoriam et praxin diuidatur, in quatuor doctrinas principes diſpeſcitur, Phyſiologiam ſcilicet, Pathologiam, Hygienem et Therapiam. Phyſiologia, quae ſcientia ſanitatis eſt, in quatuor ſectionibus pertractatur, ita vt *prima* de ſtatu ſano partium ſimplicium cognoſcendo agat et ſolida ſimplicia, ex his compoſita, fluida in genere et intra vaſa ſpectata ſigillatim examinet; *ſecunda* de ſtatu ſano organorum principum diſſerat, et circulationis, ſenſus, motus, et reſpirationis organiſmum et mechaniſmum declaret; *tertia* de ſtatu ſano organorum miniſtrorum agat et de digeſtionis, ſecretionis, nutritionis et generationis mechaniſmo exponat; *quarta* demum de ſtatu ſano totius et ſanitatis differentiis ſeu temperamentis diſſerat, et huc differentias ex ortu, aetate, ſexu et regione deducat.

p. 7. Antequam vero tractationem ipſam ingreditur Noſter, generalia quaedam de viribus animae et corporis exponit, ratione corporis potiſſimum ad cohaeſionis leges prouocat, tandemque concludit, attractionem ex vorticibus aethereis deducere, phyſicorum eſſe, leges ex effectibus comparatis callere, medicis ſufficere.

p. 12. Sanitas eſt ille ſtatus et illa vis, ex quibus partes functionibus, quibus deſtinatae ſunt, obeundis aptae redduntur: In ea itaque cognoſcenda ad fabricam ſeu organiſmum et ad vires motus ſeu mechanismum reſpiciendum eſt, quam normam in Phyſiologia tradenda, quantum quidem fieri poteſt, vbique ſibi praefigit. In organiſmo fibrae villos ſeu fibrillas aſſumit, quae minutiſſima fila ſunt, ex quibus tandem fibra animalis exſurgit, et vt fluidorum moleculae ſphaerico contactu conſpicuae ſunt, ſic fibrillarum contactus eſt ad lineas et per latera, pluribus punctis contactus praeſentibus, nec tamen

omnibus

omnibus ad amuſſim vbique ſe contingentibus, alias euaderet fibra adamante durior, quae tamen flexilis eſſe debebat. Ex his quomodo fibra elongetur, reſiſtat et tandem ſubito rumpatur, quomodo molleſcat et putredine reſoluatur, porro quoque, quomodo compoſita fibra, carnea nimirum, neruea et oſſea ſe oſtendant, declaratur.

In mechaniſmo fibrae declarando non oſcillatorios motus, ſed vibratorios ſiue ſyſtalticos aſſumit, atque fibram vno extremo affixam, altero diſtractam, ſibique relictam ſua ſponte ob elaſticam vim decurtari et alternatim elongari docet. Propter hanc cum chordis ſimilitudinem, leges illas motuum, quas Mathematici demonſtrant, ad fibras corporis humani applicat. Eſt autem ſumma de vi et poteſtate fibrarum haec: in definiendis earum vibrationibus et viribus ſollicite conſiderandae veniunt tenſiones, craſſities, longitudines, flexilitates et firmitates. Sic denſitas creſcit a tenſione vti firmitas, vibrationum velocitates decreſcunt ex mole fibrarum adauctarum, contra mole imminuta creſcunt, et reliqua. p. 18.

His expoſitis ad partes ſolidas compoſitas accedit. Ex fibris *ſeriatim* coniunctis oriuntur laminae et ex his corpora plana et caua. *Sunt itaque compoſitae partes diuerſi ordinis: ſi artus et ventres ſunt primae compoſitionis* (quam compoſitionem vltimam appellare poſſemus), *viſcera et faſciculi fibroſi, os, muſculus erunt ſecundae; vaſa, nerui, cellulae erunt tertiae; fibrae vero quartae compoſitionis et ſic ad vltimam, quam microſcopiis aſſequi licet,* ad vltimas tamen ſubſtantias chemicas non pertingimus. Concinne itaque de vaſorum membranarum etc. organiſmo agit et generalia repetit, quae de ſuperficie, capacitate, cauitate vaſorum, de fluidorum in vaſis plenis quantitate ab aliis docentur. Porro quoque de vaſorum et receptaculorum vſu, viribus et p. 25. p. 27. p. 31.

 mecha-

mechaniſmo differit, et quo pacto dilatans vaſorum vis poſſit definiri oſtendit. Si fluidum, vaſa flexibilia ingrediens, interrupta vi et celeritate pellitur, vaſa pulſabunt. In diaſtole minor erit quantitas effluens quantitate appellente. Differentia vero quantitatum ipſa eſt vt volumen vaſis ab ampliatione additum. Sectio vaſis dupliciter conſideranda eſt, alia conſtans, quae minima in ſyſtole, alia variabilis, quae maxima in fine diaſtoles. Quod ſi conſtans arteriae diameter in ſyſtole, ad eius diametrum in diaſtole ſit vt 2 ad 3, 3 ad 4. cet. erunt ſectiones et fluidorum moles vt 4 ad 9. 9 ad 16 cet. vnde patet, cur incrementa ſectionum et minora ſint, quo numeri magis adaugentur et contra. Ex quo intelligitur, cur in plethora pulſus ſaepe ſit minor, quam in ſano ſtatu, quamquam diameter vaſorum amplior ſit; porro et hoc, cur nullus pulſus in ſyncope percipiatur, licet vaſa turgida ſint.

p. 39. Ad fluida conſideranda nunc accedit, et eorundem compoſitionem et proprietates mechanicas diſquirit. Praemiſſis itaque definitionibus ſanguinis, cruoris, lymphae et ſeri, quo vniuerſalium humorum ratio pateat, inde prodeuntes in recrementitios, vt ſaliuam et bilem, in excrementitios, vt vrinam, in reparantes vt ſperma diſtinguit, et applicationes legum fluidorum motorum ad fluida corporis humani praeſtat, et globulos ſanguineos aliorumque humorum, ratione proportionis et
p. 46. mutationis in varios minores deſcribit. Progreditur nunc ad fluidorum proprietates phyſicas declarandas. Fluidorum tenacitas ſeu viſciditas diuerſimode cognoſcitur, aeſtimanda tamen ſemper eſt ex pondere, quod pares ſuperficies ſuſtinere valent. In ſanguine eſt maximae fluxilitatis momentum, quod trigeſimum tertium caloris gradum ex thermometro Reaumuriano attingere exiſtimat

Cl.

Cl. Auctor. Talis fere eſt calor aquae Bellilucanae, et hic prorſus eſt calor ouorum in incubatu.

Nunc fluida intra vaſa conſiderantur, quod duplici modo fieri poteſt, primo ſi fluida ad praecepta hydraulica exigas, deinde phyſicorum more in ea inquiras. Oui pondus granum non excedit, adulti vero ad 160 libras accedit, ergo, vaſa quae proportionatim creſcunt, ſunt in ouo ad ea, quae in adultis reperiuntur, vt 800. ad 1. Decies vere maior eſt arteriarum tenacitas et cohaeſio, quam vt ab intenſiſſima, intra ſanitatis limites, preſſione ſanguinis ad crepaturam deduci poſſint. Arteria non rumpitur a pondere prope centies maiori ſanguinis pondere, quem in ſe vehit. Non tantam eſſe venarum tenacitatem et parietum firmitatem inter omnes conſtat; eam quintuplo maiorem, quam in arteriis, exiſtimat Noſter. Inſtitutis pluries comparationibus inter vaſa maiora et minora et pueri et viri ſemper reperit, eorum diametros inter ſe eandem ſeruare proportionem. Phyſica fluidorum indoles pendet a mole, figura et viribus abditis. Tubuli animalium exigui certa prae aliis fluida ad ſe trahunt, et ad quasdam longitudines pro varia ſui diametro et fluidi indole deducunt. p. 50. p. 56. p. 63.

Ad organiſmum et mechaniſmum partium principum nunc accedit Cl. Auctor. Principes partes ſunt, quae animalibus propriae, plantis denegatae ſunt, quarum nimirum functiones vitam clarius demonſtrant, vt organa circulationis, reſpirationis, motus muſcularis et perceptionis. Partes miniſtrae, plantis communes, functiones exercent ideoque ſecundariae ſunt, vt digeſtionis, nutritionis, ſecretionis et generationis organa. Ex qua diſtinctionis ratione ordo ſequentis tractationis patet. p. 67.

Fabricam cordis arteriarum et venarum breuibus repetit et potiſſimum differentias ventriculorum ex ponderis cauitatis et craſſitiei proportione p. 71.

declarare

declarare annititur. Sic pondus ventriculi ſiniſtri in adulto ad drachmas quadraginta quatuor, dextri ad viginti quinque tantum aſcendere perſpexit. Simili ratione in arteriarum fabricam inquirit, proportionem ramorum ad truncos, et fines ramulorum, fabricam denſam, proportionem orificiorum in trunco et ramis ex KEILIO potiſſimum repetit, et aliquam etiam inter caua arteriarum et venarum facit comparationem, quo ex his praemiſſis ad mechaniſmum circulationis concludere poſſit.

p. 77. In hac re declaranda experimenta praemittit et corollaria addit, de phaenomenis, quae poſt ſectam aut ligatam arteriam et venam apparent, primo agit, cordis ſyſtolen et diaſtolen in variis cauis deſcribit, et cordis motum in oſcillationem et ſubſultum diuidit. Oſcillatio ad ſyſtolen et diaſtolen pertinet, ſubſultus vero aſcenſu et deſcenſu abſoluitur. Aſcenſum cordis ab auriculis plenis et ſiniſtro ventriculo multo fortius contracto, et dextro motum ſuum imprimente deriuat, hoc vero relaxato cor ſubſidere aſſerit. Motum ſanguinis in arteriis eiusque velocitatem ex HALESII et KEILII experimentis deducit, et in pulſus rationem inquirit.

p. 92. Reſpirationis mechaniſmum et organiſmum ſimili modo conſiderat. Externis et internis intercoſtalibus muſculis alternum motum in inſpiratione et exſpiratione adſcribit. Aſſerit porro ſub inſpiratione aerem pectoralem rareſcere, inde eius reſiſtentiam ab aere pulmonali ſuperari. In vſu pulmonum declarando progreſſum ſanguinis per muſculos pectoris in attractione et fluxilitate ſanguinis inde praeſtanda plus adſcribit, quam circulationi per pulmones et reliquos corporis muſculos. Aerem non in maſſa, ſed in ſua elementa diuiſum ſanguinem ingredi affirmat, qui quidem receptus ſuam elaſticitatem amittit.

p. 112. Perſpirationem pulmonalem ad vſus reſpirationis pertinere certiſſimum

eſt,

eſt, an vero ea ſemper duplo maior cutanea aeſtimari poſſit, dubitamus; exſpiratio aeris in vas cineribus plenum violenta eſt, ita vt ex augmento ponderis in cineribus vera ratio augmenti non duci poſſit, inprimis cum atmoſpherae et corporum varietas ad vnam alteramque perſpirationem augendam multum conferat. Nec in eo vſu cum Cl. Auctore facere poſſumus, quod pulmo ſanguinem vberius ex venoſo ſyſtemate et corde dextro in valida exercitatione corporis et animi pathematibus ſuſcipiat et colligat, cum vere ſub his corporis mutationibus, ſanguinis circulus per pulmones celerior fit, et auricula poſterior ſingulari modo in hanc vſum fabrefacta, aliquam partem a ſiniſtro ventriculo non ſubito capiendam colligat. In fine tractationis de voce et loquela nonnulla adiiciuntur, et differentia reſpirationis declaratur.

In organiſmo motus muſcularis et fibrae muſcularis et oſſium et articulorum fabrica tandem quoque fluidi neruei indoles examinatur; de mechaniſmo autem contractionis muſcularis tantum coniecturam ſubiungit, et maxime quidem ad analogiam cum viribus electricis reſpicere videtur. p. 119.

In perceptionis organiſmo et mechaniſmo declarando in vires animae et ſenſus internos inde pendentes fuſius inquirit, ſenſuum externorum autem mechaniſmum vix attingit. p. 144.

In partium miniſtrorum functionibus a ſecretione incipit et ad ſpecificam grauitatem et inde deriuandam cohaeſionem non tantum in hac, ſed etiam in ſequentibus tractationibus digeſtionis et nutritionis cum HAMBERGERO reſpicit. In generationis negotio explicando animalcula in ſpermate virili quidem concedit, ſed ea tantum veneris incendicula dicit, ad ipſam vero generationem praeſtandam inutilia pronuntiat. Semen foecundum vero fluidum alkaleſcens, halituoſum ſeu ſulphureum et diſſoluens p. 169. p. 214

pene-

penetrantiſſimum appellat, foecundationem itaque ex diſſolutione fluidorum embryonis eiusque ſimultanea animatione declarat; lymphaticus enim ſuccus, qui in embryonis corpuſculo, propter viſcoſitatem quieſcebat, iam ſemine virili diſſolutus, fluxilis euadit, et cum praeter motum cordis ſeu puncti ſalientis nihil requiratur, animae vis in foecundationis momento vitam cum cordis motu excitat.

p. 225. Ad vitam et ſanitatem diiudicandam ſe conuertit Cl. Auctor et de his in genere agit, cum varias machinas motas cum corpore animali comparet. Vita eſt ſeries actionum animalium, quae vel naturales ſunt in vita phyſica, vel liberae in vita morali. Ad vitam naturalem perfectam pertinet integritas organorum; compoſitio ſeu conformatio partium quoad ſtructuram et craſin ad aſſequendam longaeuitatem, facultas ſeu potentia agendi et ſentiendi, quae corpori ineſt, licet non ſemper agat, vis quorundam organorum, vt cordis et pulmonum, quorum perpetua actio requiritur. Quomodo itaque hic ſtatus ex cauſis et effectibus optime, ex principiis et conſequentiis ſanitatis imperfecte cognoſcitur, oſtendit Noſter et actiones appellat internos motus in ſenſus non incurrentes, functiones vero externas mutationes, quae ſenſibus obuiae ſunt. In varietatem ſanorum hominum poſtea inquiritur, quae ab habitu et qualitatibus, craſi, ſtructura, moribus, aetate et ſexu deducitur. Qualitas a craſi ſeu miſcela heterogeneorum ſub vera proportione tertium quid conſtituentium pendet, habitus vero eſt modus corporis reſpectu qualitatum et diſpoſitionum ſenſui obuiorum, ex his temperamentorum differentia per ſigna varia declaratur, a conſueta diuiſione non receditur, et quae porro in his a ſexu, aetate et regionibus mutantur, breuiter indicantur.

XIII.

XIII.

Pathologia methodica ſeu de cognoſcendis morbis. Auctore FR. BOISSIER DE SAVVAGES Regis Conſiliario etc. Editio tertia ab ipſo Auctore aucta et emendata. Lugduni. Sumptibus fratrum de Tournes. 1759. 8. pl. 19.

Omnem pathologiae doctrinam in tres partes diuidit Cl. Auctor, et in prima, in qua fundamenta pathologiae proponit, ſanitatis et morbi ideas euoluit et comparat, cauſas et principia aegritudinis, et tandem ſigna generalia conſiderat. In ſecunda parte Aetiologiam pathologicam tradit, et in prima ſectione de vitiis ſolidorum et fluidorum vt cauſis et principiis morborum proegumenis, in altera vero de principiis morborum procatarticis agit. In tertia parte de Noſologia pathologica exponit, et in prima ſectione claſſicas morborum differentias, id eſt, methodicam morborum diſtributionem in decem claſſibus et ſubiectis ordinibus ad normam ſcriptorum hiſtoriae naturalis tradit; in ſectione altera autem ſpecificas morborum differentias expendit, nos praecipua huius doctrinae argumenta breui nunc indicabimus recenſione.

In prooemio aſſumtam hactenus pathologiam p. I. tractandi rationem, qua morbi in eſſentia ſua, qua functiones laeduntur, in genere aſſumti, in cauſis et ſymptomatibus vt effectibus diſquiruntur, nec non rerum ſecundum et contra naturam euenientium et non naturalium definitiones acriter perſtringit, nullamque veram morborum cognitionem, qui vltimus pathologiae finis eſt, inde erui poſſe, demonſtrare annititur. Ipſe vero fundamenta pathologiae ita ſtruit: a ſanitate incipit eamque p. II.

concur-

concurſum actionum et diſpoſitionum, quae aetati,
ſexui et temperamento conueniunt, appellat; vitam
hominis ideo dicit concurſum ſiue complexum actio-
num eius et diſpoſitionum tum coexiſtentium tum
ſucceſſiuarum. Actiones liberas vitam moralem,
naturales phyſicam ſiſtere oſtendit, et facultates
hominis cognoſcendi, appetendi, et mouendi di-
ſtinguit. Facultatem mouendi duplicem eſſe ait,
libertas nimirum motus, a voluntate et ratione ſuaſos,
exequitur, natura vero motus ab appetitu et auer-
p. 18. ſatione ſenſitiua ſuaſos praeſtat. Diſpoſitionem cor-
poris dicit modum, quo eius partes inuicem con-
iunguntur, et cum in firmas et fluidas diſtinguan-
tur, in illis ſtructuram, in his craſin aſſumit, et ita
ſtructi et mixti differentias deducit.

p. 21. Aegritudinem nunc ſeu morbum vt ſtatum im-
perfectae ſanitatis conſiderat pathologia, quae non
ſolum actionum ſed et diſpoſitionum diſſenſum
inuoluit. Haec per phaenomena cognoſcimus,
quae ſi morboſa ſunt, ſymptomata dicuntur, in
functionibus, excretionibus et qualitatibus conſpi-
ciuntur, et vel ſimultanea vel ſucceſſiua et porro,
vel epigenemata, vel pathognomica, vel accidentalia
ſunt. Aegritudo vero vel in ſimplicem ſiue affectum
vel in compoſitum ſiue morbum diſpeſcitur. In
aegritudine principium et cauſam diſtinguit: illud
eſt ex quo alterius rei poſſibilitas cognoſcitur, haec
vero alterius rei actualitatem ſeu exiſtentiam definit,
quam diſtinctionem in cauſis remotis et proximis
pathologi aſſumunt. Vti enim actualitas poſſibili-
tatis complementum eſt, ſic cauſa eſt principiorum
complementum. Ex his Noſter conſuetudinis et
p. 45. naturae rationem explicat. Signum eſt illud, ex
quo alterius rei praeſentia, *praeteritio* vel *futuritio*
colligitur, ſcilicet ſigna anamneſtica, diagnoſtica
et prognoſtica. Signum vel extrinſecum vel in-
trinſecum dicit, et hoc notam appellat characte-

riſticam,

riſticam, optimum foret, ſi ex cauſis ſigna repetere poſſemus, cum vero hac cognitione, ex mente Auctoris, deſtituamur, ex ſymptomatibus tantum petenda ſunt; haec ſigna intrinſeca nobis praebent certiſſima, ex principiis vero ceu cauſis coniecturalia deducuntur.

His praemiſſis nunc Aetiologiam pathologicam pertractandam ſibi ſumit, quae nimirum aegritudinis cauſas et principia tradit. Sectio prima itaque de vitiis ſeu affectibus ſimplicibus cauſis et principiis morborum proegumenis agit. Vitia ſolidorum ſimplicia in craſſitudine et exilitate, duritie et mollitie poſita ſunt, quibus erethiſmus et languor additur. In his omnibus definitiones, cauſas et phaenomena proponit Cl. Auctor, v. c. Durities adeſt, quando ſolida denſitate, tenſione et tono peccant, et flexioni magis reſiſtunt, quam ad eorum munia requiritur. Mollities, quae laxitatem et varietatem inuoluit, ex contrariorum ratione patet. Duritiem itaque inducunt ea, quae fibram indurant, vt vita laborioſa, victus ex cibis craſſis, vegeta vis digeſtionis, regio frigida, aetas ſenilis, ea, quae fibras tendunt, vt ſpaſmus, quae fluida exſiccant et coagulant, vt ignis et abſorbentia medicamenta, ſpiritus vini, acida. Viſcera rigent ab excreſcentiis vaſorum ab obſtructione. Phaenomena duretiei in fibris nerueis ſunt apatheia, ingenii tarditas, iudicii firmitas; in fibris muſcularibus inflexibilitas, robur tamen maius ſi fibrae nerueae peruiae ſunt, ſi animi impetus torpent tremor et debilitas. Tenſio in fibris nerueis ſenſibilitatem et ingenii acumen, in carneis elaterem ſeu vim diſtracta reſtituendi inuoluit, hinc agilitas, pulſatio, celeritas. Rigiditas diaſtoli tuborum reſiſtit, et conatus naturae in tuſſi ſpaſmo cet. exſurgunt, hinc glottidis raucitas, corneae opacitas, oſſium fragilitas.

P. 49. P. 56.

p. 65. Vitia ſolidorum compoſitorum ad tria capita reducuntur: 1. ſolutione continui, ſcilicet fractura, vulnere, carie et vlcere, 2. ſolutione contigui in luxatione et procedentia, 3. figura, ſcilicet protuberantia et depreſſione, ad illum tumorem, cyſtidem, excreſcentiam et lordoſin refert; depreſſionem vero ex cauſis obſtructione, aridura, eroſione
p. 85. et ictu explicat. Vitia fluidorum ſimplicia in aceſcentia, alkaleſcentia, ſpiſſitudine et diſſolutione ponuntur. Diſſolutio, fluxilitas, diatheſis ſeroſa eſt humorum minor conſiſtentia et tenacitas, quam ad ſanitatem requiritur, et vel ſimplex eſt, vel combinata, illa ex alimentis aqueis, balneis frequentibus, excretionum ſeroſarum retentione, motu animali adaucto, reſoluentium medicamentorum energia et venenis pendet, et ex vna parte excreta
p. 94. liquida, ex altera retenta ſpiſſa ſiſtit, hinc cacochylia, ſcilicet humor in primis viis a digeſtione reſiduus quantitate vel qualitate nociuus, et cacochymia ſcilicet prauorum humorum quantitas in ſecundis et tertiis viis, oriuntur; illa ſiſtit ſaburram putridam, empyreumaticam fermenteſcentem, bilioſam, glutinoſam et crudam, haec grumoſam ſanguinis, inflammatoriam, grumoſam lymphae, acrem et ſiccam, ſeroſo grumoſam, ſeroſam, purulentam et virulentam depravationem.

p. 104. Ad fluidorum et ſolidorum vitia coniuncta pertractanda poſtea progreditur Cl. Auctor, et primo quidem plethoram ſub examen reuocat. Euchymiam, quam hic conſiderat, et, dum ad ſolam copiam reſpicit, a morboſis humorum collectionibus diſtinguit, in reſpectiuam et abſolutam diuidit, illam a minori vaſorum capacitate, hanc a mole ſanguinis maiori deducit, et veram dicit, ſi ſanguis ipſe denſus eſt, apparentem ſi ſanguis rarefactus eſt, has itaque plethorae ſpecies in cauſis et phaenomenis diſquirit, inanitatem opponit, et ad tardita-

tarditatem, velocitatem, obſtructionem, euacuationem ſeu effluxum, foetorem, decolorationem, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, ſiccitatem, debilitatem, quam *conſtitutionem delicatam* dicit, ſimili modo per cauſas et phaenomena examinanda progreditur.

Principia aegritudinum procatartica nunc diſquirit, haec partim in aliis corporibus corpori humano applicatis v. c. alimentorum et potulentorum vitiis, euacuationibus et retentis, in applicatis per aerem et incurrente corporum vi; partim in actionibus corporis animalis v. c. labore, quiete, ſomno, vigilia et animi pathematibus diſquirit. p. 151.

In Noſologia, de qua nunc poſt Aetiologiam declaratam fuſius exponit, differentias morborum in claſſes, ordines, genera, ſpecies et varietates diſponit, et methodum hiſtoriae naturalis indagatorum in diſtribuendis et cognoſcendis corporibus naturalibus ex ſignis externis ſequitur. Ex ſymptomatum conſideratione hanc morborum methodum inſtruit, et licet ſimplex diuiſionis fundamentum in functionibus corporis, functionibus animae, excretionibus et qualitatibus habeat, placuit tamen eidem diſtinctionem in decem claſſes ſiſtere et ordines ſubiicere. Hanc quidem rem breuiter indicabimus prius tamen ſpecimen aliquod diſtributionis in genera et ſpecies ſubnectamus. p. 193. p. 202.

Claſſis I ſiſtit affectus ſuperficiarios, maculas ſcilicet, tumores, excreſcentias, cyſtides, procidentias.

Claſſis II morbos febriles, febres nimirum continuas, exacerbantes, et intermittentes complectitur.

Claſſis III morbos inflammatorios exhibet, in viſceribus membranaceis, parenchymaticis, tandem in exanthematibus cutaneis.

Claſſis IV morbos ſpaſmodicos, tonicos, qui cum tenſione ſunt et clonicos, qui tremore comi-

tantur, vtrosque vel partiales, vel vniuerſales recenſet.

Claſſis V de morbis dyſpnoicis ſeu anhelationibus agit.

Claſſis VI morbos paralytodeos, et quidem ſyncopales, ſoporoſos, paralyticos externos et organorum ſenſoriorum proponit.

Claſſis VII morbos dolorificos, partim vagos, partim topicos fixos commemorat.

Claſſis VIII morbos veſanos, ſcilicet delirios, imaginarios et moroſos exhibet.

Claſſis IX morbos euacuatorios, nimirum ſanguifluxus, aluifluxus, et ſerifluxus conſiderat.

Claſſis X morbos cacheticos tradit; ſunt hi tabidi, tumidi vniuerſales, hydropes, tuberoſi, cachectici leproſi, decolores.

p. 274. Cum nunc claſſibus et ordinibus indicatis breui recenſione omnia genera et ſpecies ſubiectas tradere haud queamus, ſpeciminis loco ex claſſis tertiae ordine tertio definitiones Cl. Auctoris morborum inflammatoriorum exanthematicorum exhibeamus.

1. *Peſtis* eſt febris acutiſſima, maligna, epidemica vtplurimum, cum ardore, ſiti, vertigine et deinceps bubonum et anthracum eruptione.
2. *Variola* cognoſcitur ex febre acuta, capitis lumborumque dolore, tertia vel quarta die puſtularum ciceris forma eruptione, ſeptima harum ſuppuratione ac dein exſiccatione.
3. *Pemphygos* febris eſt acuta exanthemathica bullis ſeu ampullis pellucidis auellanae magnitudine per corpus enaſcentibus inſignita.
4. *Rubeola* vulgo morbilli, cognoſcitur ex febre exigua cum tuſſi ſicca, ſternutatione in praeludio et oculorum madore, dein his ſuccedente macularum et tumorum pulicis morſus aemulorum eruptione, qui tumores in ſquamas furfuraceas abeunt.

5. *Miliaria*

5. *Miliaria* differt a rubeola eo, quod puſtulae milii magnitudine ſint ac firmae, diuerſicolores, omni aetate accedant, et ſine rubeolae praeludio.

6. *Purpura* differt a rubeola et aliis, quod maculas tantum pulicum morſibus ſimiles, ſed non extuberantes nec pruriginoſas, ſaepe liuidas aut nigras ſine rubeolae praeludio agat.

7. *Eryſipelas* in febris eſt initio acuta continua, tumore eryſipelaceo faciei aut alterius partis externae ſtipata.

8. *Scarlatina* maculis inaequalibus intenſe rubris morbilloſas excedentibus pruriginoſis, febre exigua ſine rubeolae praeludio ſtipatus.

9. *Aphta* penphingodes GALENI febris eſt, quae per caloris intenſionem puſtulas in ore, quae Graecis Phlictides dicuntur, generat.

10. *Eſſera* morbus eſt ſaepe febrilis maculis glabris reyſipelaceis, pruriginoſis amplis, cum cutis intumeſcentia fugaci, intra duos treſue dies euaneſcens et recurrens. An tertia eruptio eryſipelatoſa SYDENHAMI?

Adducamus tandem, quo et ſpecierum ſpecimen adſit, variolarum differentias ſpecificas.

Variolae diſcretae ſcilicet lymphatica DRELINCVRTII, benigna HELVETII, anomala SYDENHAMI, veſicularis HELVETII.

Variolae confluentes ſcilicet maligna HELVETII, criſtallina eiusdem, corymboſa eiusdem, nigra eiusdem.

Ex his itaque methodi ratio Cl. Auctoris apparebit; ille vero de ſpecificis et variis morborum differentiis porro agit. Grauiter errare dicit medicos, qui morbos nonnullos primarios dicunt, ex iisdem cauſis natos, ſimilem curandi methodum expoſcentes; cum enim morbi ex diuerſis cauſis pendeant, ex earum differentia in tot ſpecies p. 390.

 diſtin-

diſtinguendi ſunt, affirmat enim quamlibet ſpeciem ſua propria ſymptomata ſeruare. Differentiam igitur morborum genericam ex ſymptomatibus, ſpecificam ex cauſis deducendam eſſe aſſerit, ad claſſicam enim et primam diuiſionem regredi non poſſumus, cum interna morborum ratio nos lateat. Examinatis igitur variis morborum differentiis vulgo aſſumtis, eorumque variis mutationibus, vrget, *tot ſtabiliendas eſſe ſpecies cuiusuis generis morbi, quot ſunt cauſae conſtantes et quot ſunt morbi protopathici, a quibus produci aut foueri ſolent*, et hac in re ad aſſerta BAGLIVI, SYDENHAMI, aliorumque medicorum praeſtantiſſimorum prouocat. Cum autem et hic nomina certa inuenienda et definienda ſint, normam praeſcribit, ad quam in morborum nomenclatura adornanda attendendum ſit.

p. 421. Cenſuram tandem pathologiae ſcholaſticae ſuſcipit, et oſtendit praecipuum errorum in noſologia fontem eſſe opinionem, quod morborum eſſentia debeat eſſe cognita, quo definitio inde peti queat, hoc enim dum nullo modo fieri poſſit, hypotheticis definitionibus anſam praebuit. Hanc viam incertam et fallacem eſſe, multis exemplis declarat Noſter. Nos etiam negare haud poſſumus, incertas has morborum explicationes pathologicae morborum diſquiſitioni multas obſcuritates adiecisse; ſed ſimili modo cognoſcimus variantem cauſarum et ſymptomatum indolem, et dubia in eorum obſeruatione occurrentia nos in eandem obſcuritatem coniicere, ex qua emergere non poſſumus, niſi ad veram morborum eſſentiam penetremus et cauſas proximas ſtudioſe euoluamus.

XIV.

XIV.

CAROLI LINNAEI, Equ. de ſtella polari, Archiatr. Reg. Med. et Botan. Prof. Vpſal. Acad. Vpſal. Holmienſ. Petropol. Berol. Imper. Lond. Monſpel. Toloſ. Florent. etc. Syſtema naturae per regna tria naturae ſecundum claſſes, ordines, genera, ſpecies, cum characteribus, differentiis, ſynonymis, locis. Tom. I. Editio decima, reformata. Holmiae. Impenſis Laur. Saluii 1758. 8. 2 Alph. 6 pl. *)

Omnes, qui Ill. LINNAEI in illuſtranda amplificandaque hiſtoria naturali merita norunt prorſus ſingularia, mirabuntur indefeſſum eius ſtudium noua perpetuo inueniendi atque detegendi momenta in corporibus naturalibus, quae nouam etiam eorum diſpoſitionem requirant, quum ſola generalis eorum contemplatio defatigare ſatis poſſit, multo magis intimior perueſtigatio continuo intentum delaſſare animum. Nihilo autem minus, ac olim conſueuit, felix admodum denuo adhibuit Cl. Auctor ingenium, et nunc in prima parte ſyſtematis naturae oſtendit. Reliquae, de quibus ſuo loco dicemus, mox ſubſequentur partes, et quid in noua hac editione a Cel. praeſtitum fuerit Auctore, ipſe hic breuiter atque conciſe indicat, nempe addidit:

Species animalium omnium ſibi cognitorum cum differentiis, ſynonymis, locis, nominibusque triuialibus. *Methodum* animalium ex nouis obſer-

 uatis

* Recuſa prodiit haec editio Halae Magdeburgic. 1760. 8. cum praefatione IO. IOACH. LANGII Math. Prof. P. O.

uatis reformatam. *Piſcium* in primis nouam methodum cum auctorum obſeruatis radiis pinnarum, *Plantarum* reformatos characteres, emendatas differentias varias. *Lapidum* plures ſpecies, obſeruationes et omnium nomina triuialia. *Obſeruationes* in regna naturae nouas, cum introductione in naturam. De ea mutatione operis, quae plantarum et lapidum diſpoſitioni acceſſit, quum iam non poſſimus exponere, nunc de animalibus, in hoc primo tomo explicatis, adnotamus, poſt breuem introitum, generales quasdam obſeruationes de naturae regnis ſequi; quibus nomen *imperii naturae* dedit Cl. LINNAEVS, cuius ſummum auctorem pie ve-
p. 6. neratur. Naturalia corpora dicit in tria naturae regna diuiſa eſſe, quorum limites concurrant in lithophytis: *Lapides* eſſe corpora congeſta, nec viua, nec ſentientia, *vegetabilia* corpora organiſata et viua, non ſentientia, *animalia* corpora organiſata et viua et ſentientia, ſponteque ſeſe mouentia. Varia praeter ea ad methodi nominumque imponendorum indolem pertinentia adiungit.

p. 9. Nunc *regni animalis* contemplatio ſubſequitur; quae ab ouo incipiens, ſenſim progrediendo in diuiſione huc pertinentium corporum deſinit: Mira aſſiduitate et ingenioſa admodum explicatione cuncta hic explicat ingenuus Cl. Auctor, cuius aliquot tantum ſpecimina, ni velimus omnia repetere, hic depromere poſſumus. Sic *vitalitatis*, quod vocat in animalibus, *punctum* ita deſcribit, vt adſerat eſſe illud a prima creatione continuatam vitae ramificationem, cum ouum ſit gemma matris ab exordio viua, licet non ſentiens ante foecundationem. Porro corporis animalis machinam compoſitam adſumit ex naturali, vitali et animali. En deſcriptionem: NATVRALIS, inquit, *vegetat e cranii tubere cruſtato, caule verticali, articulato, rigido, oppoſite ramoſo, cui inſident folia carnoſa, fibroſa, ſparſa, apicibus etiam*

infixa

infixa in muſculos, prodeunte fructificatione *genitalium, e dichotomia vltima caulis.* VITALIS *e* bulbo *cordis perpetuo mobili,* radicata *vaſis lacteis intra tubi inteſtinalis ſterquilinium,* ramificatur *ad caulem naturalem duplici canali circulante, ne ſuccus alimentaris quauis tempeſtate et ſtatu deficiat.* ANIMALIS *e* bulbo *cerebri repentisque medullae, indolis incognitae, ſedis cogitantis, fila ſimpliciſſima, electrica ad omnes fibras irritabiles exſerit, per quae cogitans ſentit et mouet.*

Reliquas de animali vita in organis ſenſuum, cogitante ſubſtantia, republica naturae, eius miniſtris et impulſoribus, quae legentem delectabunt, praeterimus cogitationes, omnem animalium diuiſionem ab interna ſtructura ſubiungentes. Conſtituit autem animalium claſſes ſex, hoc modo: Eſt

Cor biloculare, biauritum: *Sanguine* calido, rubro.	viuiparis.	*Mammalibus.*
	ouiparis.	*Auibus.*
Cor vniloculare, vniauritum: *Sanguine* frigido, rubro,	pulmone arbitrario.	*Amphibiis.*
	branchiis externis.	*Piſcibus.*
Cor vniloculare, inauritum: *Sanie* frigida, albida.	antennatis.	*Inſectis.*
	tentaculatis,	*Vermibus.*

Claſſes itaque tot, quot in prioribus ſyſtematis naturae editionibus, retinuit Cl. Auctor, eademque nomina, niſi primae claſſis mammalium. Singulis aliquas addidit obſeruationes. Mammalium p. 14. nimirum recenſet *veſtitum,* ex pilis conſtantem, quibus varia forma eſt, in aculeos coaleſcunt, vt in *Hyſtrice,* in ſquamas, vt in *Mani,* in ſcutum, vt in *Daſypo* etc. *Fulcra* eorum pedes ſunt, quatuor, palmis inſtructi aut plantis, digitis liberis, connexis, vngulis etc. *Arma* praeter dentes et vngues cornua ſunt, ſolida perennia, ramoſa, annua, caua, vaginantia. *Cibaria inſtrumenta* dentes, triplicis generis, primores, laniarii, molares. *Vmbraculum* cauda nulla, vel abbreuiata, ad femora pertingens, vel

elongata, longitudine pedum. *Cuſtodes* ſenſus ſunt. *Genitalia* varia. *Mammae* omnibus, pectorales, abdominales, inguinales, vel ex his aliquae ſimul.

Poſt haec ordines mammalium adſumuntur octo et a dentibus definiuntur, ſequenti ratione:

Mammalia:
- Quadrupedia *vnguibus* (*armata*) Dentibus primoribus.
  - nullis vtrinque — — — *Bruta* 2
  - — ſuperioribus, inferioribus pluribus. — *Pecora* 6
  - duobus: laniariis nullis. — — *Glires* 5
  - pluribus laniariis
    - vno pluribus. — — *Beſtiae* 4
    - ſolitariis; primoribus ſuperioribus
      - quatuor. *Primates* 1
      - ſex obtuſis. *Belluae* 7
      - — acutis. *Ferae* 3
- Pinnata (*mutica abſque vnguibus*) pinnis loco pedum inſtructa — — — *Cete* 8

Quantum autem haecce a prioris editionis ordinibus diſcrepet diſpoſitio, non poteſt obſcurum eſſe inſtituta comparatione, quare ſimul noua quoque generum facta eſt recenſio.

Ad *primates* nempe pertinent homo, ſimia, lemur, veſpertilio. Homines in diurnos et nocturnos diuidit, priorum vero varietates refert. Lemur dentibus a ſimia diſcrepat. *Brutorum* quinque ſunt genera: Elephas, Trichechus, Bradypus, Myrmecophaga, Manis. Dentium laniariorum et molarium praeſentia locum hic *Trichecho* fecit, etſi pedes poſteriores in pinnam coadunentur. Inter *feras*
p. 43. occurrunt: Phoca, Canis, Felis, Viuerra, Muſtela, Vrſus. Viuerra nouum genus eſt, complectitur Ichneumon, Zibethum aliasque ſpecies, quarum aliquas olim ad Melem et Muſtelam retulerat Cl. Auctor. Sic etiam Taxus, qui erat Meles ſpecies, nunc ad Vrſum refertur. *Beſtiarum* genera habentur: Sus, Daſypus, Erinaceus, Talpa, Sorex, Didelphis. Ad *glires* pertinent: Rhinoceros, Hyſtrix, Lepus, Caſtor, Mus, Sciurus. *Pecora* vero ſunt: Camelus, Moſchus, Ceruus, Capra, Ouis,

Bos,

Bos, nouae et hic acceſſerunt ſpecies. Ad *belluas*,
quibus praeter dentes mammae duae inguinales
ſunt, referuntur: Equus et Hippopotamus. In
vltima tandem claſſe, quae olim ad piſces plagiu-
ros referebatur, nunc huc repoſita, continetur:
Monodon, Balaena, Phyſeter, Delphinus.

Sequuntur poſt haec aues, inter quas iterum nu- p. 78.
merum nouarum ſpecierum magnum acceſſiſſe obſer-
uamus, partim ex propria, partim ex aliorum obſerua-
tionibus additum. Praeuidemus quidem, nos cuncta
hic pro rerum dignitate non poſſe recenſere, nomina
tamen generum quoque repetere libet, quo huius
ſtudii amici nouas vno quaſi conſpectu perſpiciant
emendationes. Genera ex roſtris pedibusque, ſpecies
ex pennis, remigibus caudaque diſtinguuntur. Ge-
neralis etiam praemittitur hiſtoria. Omnis auium
familia in ſex ordines ſecedit. Primus, ſeu *Accipi-* p. 86.
tres, *roſtrum* habent *aduncum*, (vncum trahentem)
et conſtituunt quatuor genera; *Vultur*, cui caput
denudatum, *Falco*, cuius roſtrum baſi cera tectum,
Strix, cuius roſtri baſis ſetis tecta, *Lanius*, cui ro-
ſtrum rectiuſculum. Secundus ſiue *Picae* inſtruun- p. 96.
tur *roſtro ſubcompreſſo*, *conuexo*, ſiue *cultrato*, *dorſo*
conuexo (cuneo ſarriente). Hae iterum tres diuiſio-
nes habent, aliae digitos habent duos aeque anticos
ac poſticos, aliae digitos anticos tres, poſticum
vnum et illas quidem vel lingua inciſa, vel lingua
integra. Inter priores ex accipitribus nunc huc
refertur *Pſittacus*, porro huc pertinet *Ramphaſtos*,
Buceros, *Crotophaga* nouum genus, cuius mandi-
bula ſuperior compreſſa, infracta, transuerſe ſulca-
ta, *Coruus*, a quo ſeparatur *Coracias*, ſiue ſpecies
quae roſtri baſin pennis denudatam habent: *Gra-
cula*, cui pariter mandibula ſuperior compreſſa,
laeuis, baſi nuda: *Paradiſaea*, *Cuculus*, *Iynx*, *Pi-
cus*, *Sitta*, olim inter paſſeres collocata, *Alcedo*,
mandibula ſuperiore angulata, lingua breuiſſima:

Merops,

Merops, roſtro arcuato, carinato: *Vpupa*, *Certhia*,
quae roſtrum arcuatum et linguam acutam oſtendit:
Trochilus tandem, ad claſſem paſſerum olim repo-
p. 122. ſita. Tertius ordo *Anſeres* complectitur, quorum
roſtrum (cribrum colans) *laeue, epidermide tectum, apice*
auctum et *pedes natatorii.* Nec hic nulla noua oc-
currunt genera. Sunt autem in vniuerſum haec:
Anas, *Mergus*, *Alca*, *Procellaria*, quibus nares in
cylindrum coalitae, nomen datum eſt, quod pela-
gicae aues procellis exponuntur: olim inter paſſeres
occurrebat. *Diomedea*, naribus ſubcylindricis,
diſtantibus: *Pelecanus*; *Phaethon*, roſtro cultrato-
ſubulato, fauce ampliore: *Colymbus*, *Larus*, *Ster-*
na, *Rynchops*, qui roſtri maxilla ſuperiore breuiore
p. 139. differt, eſtque Plotus KLEINII. *Quartus* de *Gral-*
lis exponit, qui *roſtro exornantur ſubcylindrico* (ba-
cillo tentante) *et femoribus pedum ſubnudis.* In his
vel roſtrum eſt magnum capite longius, vel capite
breuius, et quidem tunc pedibus tetradactylis et
tridactylis. In prioribus editionibus *Scolopaces* ap-
pellabantur huc pertinentes aues, quod vero nomen
nunc peculiari generi imponitur. Hic occurrunt:
Phoenicopterus, olim inter Anſeres repoſitus; *Pla-*
talea, roſtro planiuſculo, apice rotundato-dilatato:
Mycteria, roſtro adſcendente: *Tantalus*, roſtro ar-
cuato, ſacco gulari: *Ardea*; *Scolopax*; roſtro recto,
teretiuſculo, obtuſo, alias Numenius dictus: *Trin-*
ga; *Charadrius*; *Recuruiroſtra*; *Haematopus*; *Fulica*,
roſtri baſi craſſa, fronte calua, quam ad Anſeres,
deinde ad Gallinas alibi reduxerat: *Pſophea*; roſtro
ſubfornicato; *Otis*; eodem roſtro, lingua bifida:
p. 156. *Struthio*; olim inter *Gallinas*. Quintus ordo *Gallinas*
recenſet: quibus eſt *roſtrum conuexum:* (harpa colli-
gens) *nares membrana cartilaginea ſemitectae.* Nempe
Pauo; *Crax*; *Phaſianus*; genis nudis, laeuibus.
p. 162. *Tetrao*; Sextus denique ordo tradit PASSERES: ha-
bent *roſtrum conico acuminatum* (forcipem excipien-
tem).

tem). Ex his ſunt alii graminiuori craſſiroſtres, alii inſectiuori tenuiroſtres. *Columba*; *Alauda*; *Sturnus*; *Turdus*; *Loxia*; *Emberiza*; *Fringilla*; *Motacilla*; *Parus*; *Hirundo*; *Caprimulgus*; roſtro cum praecedente conuenit, vibriſſae autem ad os ſerie ciliari poſitae, et rictus ampliſſimus differentiam conſtituunt.

Amphibia deinde recenſentur, quorum naturam p. 194. explicat Cl. Auctor, eaque nunc in tres diuerſos diſtinguit ordines, quorum olim duos tantum habebat. Sunt nempe Reptiles, Serpentes et Nantes, qui poſteriores inter piſces chondropterygios locum habebant alias, huc autem pertinere viſi, quod pulmones habeant, branchiis non liberis ſed adnatis reſpirantes, quod mares pene duplici feminis inſideant, ouaque ſint concatenata, oſſa cartilaginea. Primus itaque ordo offert, *Reptiles pedatos*, *ſpirantes* p. 196. *ore*, ſequentiaque genera cum numero ſpecierum auctiore: *Teſtudo*; *Draco*; *Lacerta*; aliae cauda compreſſa; aliae cauda tereti imbricata, corpore longiore: *Rana*; Secundus ordo *ſerpentes* tractat *apodes*, *ſpirantes ore*: Scuta abdominalia et caudae genera p. 214. efficiunt, quae et aliter ac olim ordinantur et nouis ſpeciebus copioſiſſimis augentur. Sunt autem ſequentia: *Crotalus*, qui praeter ſcuta abdominis caudaeque habet crepitaculum, quod deficit in *Boa*, ſcuta in abdomine, ſquamas caudae oſtendit *Coluber*, ſquamas vtrinque *Anguis*, annulos in abdomine caudaque *Amphiſbaena*, rugas nudas laterales *Caecilia*. Tertius ordo *Nantes* exponit: *Petromyzon*; ſcilicet, *Raia*; *Squalus*; *Chimaera*; cui a latere ſpiraculum vnum ſub collo, et dentes inciſorii duo: *Lophius*; et *Acipenſes*.

Hinc manu quaſi ducit ob affinitatem corporum p. 238. ſequens quarta claſſis ad conſiderationem *piſcium*. Quorum hiſtoriam et corporis deſcriptionem praemittens Noſter, quum methodum etiam Artedianam inſufficientem inuenerit, nouam nunc exhibuit

deſum-

deſumtam a PEDIBVS ſiue pinnis, ventralibus, *ante alas*, *ſub alis*, *pone alas*, ſitis. Siquidem piſces aquei elementi mutos ſurdosque volucres nominet. Eſt autem diſpoſitio haec:

Apertura inſtructa operculis pinnaque branchiali dum
Pinnae ventrales: vel *nullae* omnino *Apodes.*
ante pinnas pectorales *Iugulares.*
ſub pinnis pectoralibus *Thoracici.*
pone pinnas pectorales *Abdominales.*
Deſtituta operculis pinnisue branchialibus *Branchioſtegi.*

Noua haec diſpoſitio nouam generum ſubordinationem efficit, inter quae haud pauca plane noua ſunt. Olim enim tantum quinquaginta duo piſcium genera recenſuerat Noſter, nunc autem eorum quinquaginta et vnum adducuntur, ad quae *plagiuri* et *chondropterygii* amplius non numerantur. Nos, quo lectores diuiſionem hanc intelligant, ſingulorum ordinum genera adſcribemus, nouorum generum characteres tantum addituri.

p. 244. Primus ordo *Apodes* continet qui ſunt: *Muraena*, *Gymnotus*, *Trichiurus*, membrana branchioſtega radio vnico, cauda aptera: *Anarhichas*; *Ammodytes*; *Stromateus*; *Xiphias.*

Secundus ordo *Iugulares* habet hos: *Callionymus*, cui aperturae branchiarum ad nuchas; *Vranoſcopus*, ore ſimo; *Trachinus*, ano prope pectus; *Gadus*; *Blennius*; *Ophidion.*
p. 249.

Tertius ordo *Thoracicos* deſcribit: *Cyclopterus*;
p. 260. *Echeneis*; *Coryphaena*; *Gobius*; *Cottus*; *Scorpaena*; *Zeus*; *Pleuronectes*; *Chaetodon*; *Sparus*; *Labrus*; *Sciaena*;

Sciaena; Perca; Gaſteroſteus; Scomber; Mullus, ſquamis, etiam capitis, laxis, deciduis; *Trigla*.

In quarto ordine habentur *Abdominales; Cobitis*, p. 303.
Silurus, radio pinnarum pectoralium aut dorſalis primo ſpinoſo, dentato: *Loricaria*, corpore cataphracto: *Salmo; Fiſtularia*, roſtro cylindrico, operculo claudendo, apice maxilloſo; *Eſox; Atherina*, corpore inſtructo faſcia laterali argentea; *Mugil; Exocoetus; Polynemus*, digitis diſtinctis iuxta pinnas pectorales: *Clupea; Cyprinus*.

Quintus tandem ordo in deſcribendis *branchio-* p. 327.
ſtegis occupatur. *Mormyrus* dentibus emarginatis, corpore ſquamis imbricatis inſtruitur; *Baliſtes; Oſtracion; Tetraodon*: dentibus vtrinque duobus, abdomine imbricato; a quo diſcrepat *Diodon*, dentibus vtrinque ſolitariis, corpore ſpinis mobilibus echinato: *Centriſcus; Syngnathus*: tandemque *Pegaſus*, pinnis ventralibus binis, corpore articulato. Nouis condendis generibus et diſpoſitioni anſam videntur egregiam ſuppeditaſſe GRONOVII atque BROWNII inuenta.

His perluſtratis nunc ad immenſam animalculo- p. 339.
rum Claſſem cum Auctore Noſtro properamus, nempe ad *Inſecta*, quae dicit animalcula polypoda, poris lateralibus reſpirantia, cute oſſea cataphracta, antennis mobilibus ſenſoriis capitis inſtructa. Poſtquam corporis et metamorphoſeos aliquam dedit deſcriptionem, ſequentem dat ordinum tabulam, quos ab alis deſumſit:

Alae 4.	Superiores	cruſtaceae totae.			*Coleoptera* 1
		ſemicruſtaecae.			*Hemiptera* 2
	Omnes	imbricatae ſquamis.			*Lepidoptera* 3
		membranaceae	ano	mutico.	*Neuroptera* 5
				aculeato.	*Hymenoptera* 4

Alae 2. Halteres loco poſticarum. *Diptera* 6
Alae nullae ſeu absque alis et elytris. *Aptera* 7

Perſpi-

Perſpiciet itaque beneuolus lector, in his quidem claſſibus eandem ac in priori ſyſtematis editione normam et diuidendi rationem fuiſſe ſeruatam. Etſi hinc inde diſpoſitionis quaedam facta fuerit mutatio, et in ampliſſimo hocce campo, permulta noua acceſſerint genera, ſiquidem inſectorum hiſtoria noſtris temporibus ſtudioſiſſime excolatur, omnia tamen genera hic ob copiam repetere non libet, ſed noua tantum breuiter recenſere. Non poſſumus autem non monere, ſpecierum deſcriptarum numerum, antiquitus relato, eſſe longe ſuperiorem.

p. 345. *Coleopteris* tres adſcripſit ordines Noſter, alia antennis ornantur clauatis, alia antennis filiformibus, alia ſetaceis. Ex his adnotamus genera noua: *Hiſter* antennas habet capitulo ſolido donatas, caput intra corpus retractile: *Silphia* thoracem et elytra marginata: *Attelabus* caput poſtice attenuatum, inclinatum. In genere *Grylli* obſeruamus diſtinctiones, nominibus etiam diuerſas, quibus ſpecierum differentia facilitetur. Sic *Mantis* vocantur grylli thorace elongato, ſublineari, pedibus anticis remotiſſimis a reliquis: *Acrida* capite conico thorace longiore, antennis enſiformibus: *Bulla* thorace carinato, quo antennae breuiores ſunt: *Acheta*, cauda ſetis duabus inſtructa: *Tettigonia*, cauda enſifera feminis: *Locuſta* cauda ſimplici.

In hemipteris quidem nouum genus non depre-
p. 435. hendimus, *Cicadarum* tamen ſpecies ſubdiuiſas in *noctilucas*, quarum caput in veſicam oblongam protrahitur, *foliaceas*, quarum thorax compreſſo-membranaceus, corpore maior; *cruciatas* thorace vtrinque cornuto, *manniferas*, *ſpumantes*; *deflexas*, alis deflexis latera obuoluentes. Sic etiam cimices ſunt *apteri*, *ſcutellati* ſcutello, longitudine abdominis, *coleoptrati*, elytris fere totis coriaceis, *ſpinoſi*; thorace ſpina vtrinque armato, *rotundati* ſeu ouati, thorace

thorace mutico, *ſeticornes*, antennis apice ſetaceis, *oblongi*, *ſpinipedes*, tibiis ſpina notatis, *corpore anguſto et lineari.*

Inter *lepidoptera* larga papilionum familia iterum in ſex phalangas dirimitur, quibus foecundum Cl. LINNAEI ingenium ſequentia largitur nomina: *Equites* alas habent primores ab angulo poſtico ad apicem longiores quam ad baſin, ſuntque vel Troiani, vel Achiui: *Heliconii*, alis anguſtis, integerrimis, ſtriatis, primoribus oblongis, poſticis breuiſſimis: *Danai* alis integerrimis, illique *candidi* vel *feſtiui*: *Nymphales* alis denticulatis, gemmati vel phalerati: *plebeii* parui, lancis ſaepius contractis, rurales vel vrbicolae: et *barbari*, ad priores non referendi, horum nomina ab Argonautis mutuatus eſt Noſter. *Sphinx* gerit antennas medio craſſiores. In *phalaenarum* pariter genere ſeptem phalanges ſunt, quae trecentas et quatuor continent ſpecies: 1) *Bombyces* antennis pectinatis, elingues vel ſpirilingues, 2) *Noctuae*, antennis ſetaceis, 3) *Geometrae*, alis patentibus horizontalibus quieſcentes, vel pectinicornes, vel ſeticornes. 4) *Tortrices*, alis obtuſiſſimis, et fere retuſis. 5) *Pyralides*, alis conniuentibus in figuram deltoideam forficatam. 6) *Tineae* alis conniuentibus fere in cylindrum. 7) *Alucitae* alis digitatis fiſſis ad baſin. p. 458.

Neuroptera nullum generum acceperunt augmentum, ſed plurium ſpecierum. p. 543.

Hymenoptera nouum genus habent *Sphex*: qui aculeum continet punctorium reconditum, alas planas, os elingue: *Veſpa* nunc ab Api diſtinguitur, quod proboſcide deſtituitur, alasque ſuperiores plicatas habet: *Mutilla* aculeo punctorio, ſed alis non inſtruitur. p. 569.

Dipterorum noua genera ſunt: *Empis*, ore roſtro corneo inflexo, biualui, thorace longiore: *Conops*, p. 603.

os roſtro porrecto, geniculato: *Bombylius*, os roſtro porrecto ſetaceo, longiſſimo.

p. 608. *Aptera* vero in tres ordines ſecedunt, pedibus nempe ſex, capite a thorace diſcreto: pedibus pluribus, octo et vltra, capite cum thorace vnito: pedibus pluribus, capite a thorace diſcreto. Noua ſunt: *Lepiſma*, cui cauda ſetoſa, ſetis extenſis; *Termes*, ore maxillis duabus: *Phalangium*, pedibus octo, oculis duobus verticis contiguis.

p. 641. Neque in vltima claſſe *Vermium* defecit Cl. Auctoris indefeſſa induſtria, quorum quinque nunc recenſentur prorſus noui ordines. Sunt illi 1. *Inteſtina*, animalia ſimplicia, nuda, artubus deſtituta. 2. *Molluſca*, animalia ſimilia, artubus inſtructa. 3. *Teſtacea*, molluſca ſimplicia, domo calcarea obtecta. 4. *Lithophyta*, molluſca compoſita, baſin ſolidam aedificantia. 5. *Zoophyta*, plantae vegetantes floribus animatis.

Primus ordo, qui olim reptilium erat nunc augetur: *Furia*; quae corpus habet filiforme, aequale, aculeis diſtichis praeditum, haec in corpora penetrans cito dolore eadem enecat. *Myxine*, corpore carinato, ore maxilloſo tentaculato: *Teredo*, ore tentaculis octo inſtructo, maxillisque hemiſphaericis.

p. 652. Alter *molluſcorum* ordo, cuius pleraque genera inter zoophyta olim erant, nunc nouis nitet generibus hiſce: *Doris*, corpore oblongo, repente, tentaculis oris octo. *Priapus*, corpore baſi affixo, ore terminali: *Scyllaea*, corpore natante, compreſſo, pedato, tentaculis ſex: *Holothuria*, corpore natante, tentaculis inaequalibus, apice pendulis.

p. 667. In tertio nunc ordine *teſtaceorum* valuarum numerus diuiſiones facit, ſunt enim eadem vel multiualuia, vel biualuia, *conchae*, vel vniualuia ſpiralia, *cochleae*, vel vniualuia absque ſpira regulari. Haec autem diſtinctio

ſtinctio occaſionem ſuppeditauit viginti et octo nouis generibus, quorum denominationes plures apud LISTERVM RVMPHIVM que occurrunt. Noluimus autem ea cuncta hic repetere, ſiquidem figura oris ſiue aperturae et forma diſtinctionis rationem contineat. Vbiuis recentiſſimorum indagatorum animaduerſiones in conſilium fuerunt adhibitae.

Sic etiam in quarto ordine *lithophytorum* nihil acceſſit, praeter ſpecierum accuratam diſpoſitionem. p. 789.

Plane tamen noua eſt *Zoophytorum* familia, vndecim abſoluitur generibus: *Iſis* conſtat ſtirpe radicata, lapidea, nuda, geniculata: *Gorgonia* ſtirpe radicata cornea, cruſtata, continua: *Alcyonium* ſtirpe ſtupoſa, corticata, continua: *Tubularia* ſtirpe fiſtuloſa, tunicata, ſubgeniculata: *Eſchara* ſtirpe papyracea, nuda, poroſa: *Corallina*, ſtirpe fibroſa, cruſtata, articulata, articulis multifloris: *Sertularia* ſtirpe fibroſa, articulata, articulis vnifloris: *Hydra* ſtirpe ſubradicata, gelatinoſa, apice florifera: *Pennatula* ſtirpe libera, pennata, baſi ore inſtructa: *Taenia*, ſtirpe libera, moniliformi, articulata: *Voluox* ſtirpe libera, globoſa, ſobole nidulante.

Abſoluitur itaque hoc eruditionis ſingularis apparatu regnum animale, in quo aſſiduam et vndiquaque diligentiſſime collectam induſtriam ſatis extollere non poſſumus, eodem iam ſtudio denuo elaborauit Cl. Auctor regnum vegetabile, de quo propediem nobis dicendi occaſio ſuppeditabitur gratiſſima.

XV.

Fränckiſche Sammlungen von Anmerckungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oekonomie und den damit verwandten Wiſſenſchaften. Dritter Band. Nürnberg, bey George Peter Monath. 1758. 8. *Alph.* 1. *Bog.* 13.

h. e.

Franconica collectio obſeruationum, ex phyſica, medicina, re oeconomica et reliquis, affinitate quadam cum his connexis, ſcientiis depromtarum. Volumen III. etc.

Ex numeroſis, quae hic occurrunt obſeruationibus, earum tantum, quae ad nos inprimis ſpectant aut ſingularem attentionem merentur, ſummam exhibere liceat.

p. 28. Part. XIII. no. 3. *De deleterio vaporis carbonum effectu exemplum* ſiſtit Cl. DELIVS. Duae foeminae ad ſuperandam frigoris vim, nocte ingruente cameram peranguſtam prunis ligneis calefacere tentant et in lectum ſe conferunt; hae die ſubſequente ſomno profundo ſepultae et valde ſtertentes reperiuntur. Remedia ſtatim intus et extus applicantur, ſed omnibus, etiam efficaciſſimis, fruſtra tantatis, pereunt. Corporibus apertis vaſa meningum, ſanguine admodum referta, inque altera tantum foemina humores vndiquaque in cerebro extrauaſatos, in vtriſque vero plexum choroideum ſanguine refertiſſimum, lobos pulmonis colore obſcure coeruleo et nigreſcente praeditos, in cordis auricula dextra ſanguinem polypoſum veſiculamque felleam eodem plane modo, vt in apoplecticis ſaepe obſeruatum fuit, valde magnam et expanſam repererunt.

No. 4. *Obſeruationem effectus deleterii baccarum* p. 44.
Belladonae communicauit Cl. GOECKEL. Dictis nimirum baccis comeſtis puella quinque annorum verſus veſperam motibus conuulſiuis et vomitu inſigniter cruciata die ſequenti obiit, cuius corpore aperto, eroſionem et inflammationem fundi ventriculi, circa pylorum inque principio inteſtini duodeni deprehenderunt.

No. 8. *Anatomicas obſeruationes* inſeruerunt p. 65.
C. et D. Preſſa nimirum glandula thymo humor per paruos poros copioſe pericardium penetrauit. In alio cadauere vrachus duos pollices ſupra veſicam apertus fuit. In omnibus, laqueo ſtrangulatis, ſubmerſis aliisque ſuffocatis hominibus, caluaria aperta, dura mater non adhaerens reperta fuit. Inde adhaeſionem firmam durae meningis ad caluariam imaginariam tantum eſſe, colligitur.

Part. XIV. no. 1. *Hiſtoriam abortus monſtroſi* p. 99.
ſeptimeſtris tradidit Ill. de KLINCKENBERG. Foetus nimirum bicorporeus, duobus capitibus, quatuor naribus totidemque pedibus inſtructus vni duntaxat placentae, vno funiculo inſtructae, iunctus fuit, quem, quod notandum eſt, intra quadrantem horae absque perita manu auxiliatrice mater enixa eſt. Foetus quatuor libras et quatuordecim vncias ponderauit.

No. 2. *De praeſtantiſſimo ſuccorum plantarum* p. 103.
recentium vſu ad vernales curationes ſpectante diſſerit Cl. DELIVS. Cum natura quolibet anni tempore et inprimis vere omnibus animantibus talia ſuppeditet, quae ad conſeruandam vel et reſtituendam ſanitatem idonea quam maxime ſint, Noſter ea propter, praemonſtratam viam ingreſſus, tales plantas commemorat, quarum ſuccum expreſſum felici cum ſucceſſu vſurpatum commendat. Facile autem quiuis intelligit, eis tantum ſuccos iſtos mederi morbis, quarum cauſa in viſciditate et

tenacitate lymphae, vel et impuritate et dyſcraſia ſanguinis et humorum conſiſtit, quiue, cum longum tempus durent, chronici affectus aut morbi nuncu-
p. 112. pantur. In quibus itaque ſanguis tenax, lente per vaſa circumductus, pondus membrorum variasque obſtructiones producit, his commendantur taraxacum, naſturtia, graminis, cichorei et ſcorzonerae radices, nec non fumaria, quae plantae et iis pariter conducunt; qui ſcorbuto vero nec non ſcabioſis cutis et faciei affectibus venereisque etiam morbis
p. 114. laborant. Qui arthritide huiusque variis ſpeciebus cruciantur, his prodeſt trifolium fibrinum, hepatica, beccabunga et portulaca; quiue de affectibus pectoris, aſthmate et ſimilibus conqueruntur, hos chaerefolium, tuſſilago, hyſſopus, veronica, vrtica et turiones braſſicae criſpae iuuant. Quodſi vero phthiſis pulmonalis vel immineat, vel praeſens iam ſit, eiusmodi aegrotantibus praeter haſce mox memoratas plantas, duas tresue ſeptimanas vſurpatas, poſthac plantae leniter adſtringentes, tonicae et vulnerariae, vt hedera terreſtris, millefolium, plantago, agrimonia et bellis commendantur, quae pariter et in renum affectibus vlceroſis laudantur. Iisdem plantis pari cum ſucceſſu vti poſſunt foeminae, chloroſi et menſium obſtructione laborantes, inprimis ſi ſuccum inſuper meliſſae vel et pomorum aurantiorum recentium adiiciunt. Plantae hae reſoluentes nec iis etiam nocent, quae tenui et acri ſanguine laborant; quibus autem humores facillime in motum ducuntur, hi ſuccos aceſcentes et incraſſantes, vt acetoſarum genus, pimpinellam, ſanguiſorbam italicam et borraginis folia in vſum ſimul vocare poſſunt.

p. 117. Praeparantur eiusmodi ſucci ſolo preſſu, qui mediante prelo, ad hunc finem apto, obtinetur. Vſus eorum menſe aprili, maio et initio iunii eſſe ſolet. Venaeſectio in adſuetis paulo ante, et quibus

aluus

aluus tarda eſt, lene euacuans praemitti poteſt. Adultiores vncias tres, iuniores vero vel debiliores duas aut vnam tantum capiant, neceſſe eſt. Tempore matutino hora ſexta, ſeptima vel octaua, vel per ſe aſſumuntur ſucci, vel iuſcula tenuia ſuperbibuntur vel iidem ſucci hiſce iuſculis iunguntr. Motus poſthac moderatus eademque diaeta requiritur, quae iis, qui aquis mineralibus vtuntur, praeſcribi ſolet. Tres quatuorue ſeptimanas et vltra, prout neceſſarium iudicatur, ſuccorum vſus continuatur. Qui debiliori ventriculo inſtructi ſuccos perferre forte nequeunt, hi dictas plantas in ſero lactis decoquere, poſtmodum exprimere expreſſumque ſuccum vſurpare poſſunt. Qui vſum horum ſuccorum ſequitur vel et comitatur ſcorbutus, cum ſudore foetente ſub nocte coniunctus, boni ominis eſſe ſolet, inprimis in iis, qui doloribus arthriticis antea vexati ſunt. Appetitum praeterea proſtratum horum vſu ſaepe reſtitui et infantes atrophicos ſaluos demum ſoſpitesque inde euaſiſſe, experientia Noſter confirmatus perhibet.

Part. XV. no. 2. Cl. BOENNECKEN, *ſen.* *omentum deſcribit, quod poſt mortem, vt cera, liquatum repertum fuit.* Ipſius nimirum Cl. Auctoris filia quinque annorum quatuorque menſium ſubito aegrotare incipit et in primis de torminibus et aeſtu inſigni conqueritur, quae ſymptomata ita ſenſim increuerunt, vt nono die praeterlapſo diem ſubiret ſupremum. Corpore aperto inteſtina tenuia, aere diſtenta inque gyris eorum vndiquaque materiem, cerae flauae liquatae rurſusque condenſatae ſimilem, nullum vero omenti veſtigium praeter nonnullas dilacertas fibrillas atque hinc inde in ventriculo et inteſtinis ſigna inflammationis et gangraenae Cl. Auctor detexit. p. 204.

No. 4. *Singulare cranium deſcribit* Cl. DELIVS. In interiori nimirum ſuperficie oſſium p. 235.

 bregma-

bregmatis et oſſis frontis ſingulares foueas deprehendit, ita, vt in fundo fouearum oſſium bregmatis diploe plane deficeret craniumque eo in loco diaphanum eſſet. In fouea oſſis frontis autem diploe quidem non abfuit, vaſa tamen ibi decurrentia oculis facile cerni potuerunt. Has foueas ab arteria durae matris, ſulcos alias cranio imprimente, non autem a ſinubus durae matris proueniſſe; laeſionemque dictis in locis non ſolum facilem, ſed et lethalem eſſe et trepanationem locum ibi inueuire vix poſſe, Cl. Auctor arbitratur.

p. 319. Part. XVI. no. 3. *Obſeruationem de profluuio ſanguinis ex vtriusque oculi canthis maioribus inſeruit* Cl. BOENNECKEN, *Sen.* Infans triginta hebdomadum per aliquot dies ophthalmia ſeroſa et dentitione difficili laborat, ex cuius canthis oculorum maiorum ſubito ſub nocte ſanguis limpidus fluidus grateque rubens promanat et, poſtquam cochleare circiter effluxerat. ſponte profluuium ceſſat. Quo facto calor, affectio oculorum moleſta et omnia ſymptomata minuuntur et infans corpore et viribus notabiliter dein creſcit.

p. 323. No. 4. *Scirrhi cancroſi curationem commemorat* Cl. DELIVS. Matrona quaedam per tredecim annos absque vllo incommodo ſcirrhum in mamma gerit, quo autem tempore praeterlapſo pruritum et dolorem pungentem percipit. Accerſitus Noſter ad reſoluendum hunc tumorem durum emplaſtrum de gummi ammoniaco extus applicat intusque lenientia et diaphoretica leniora exhibet. Diebus aliquot praeterlapſis dolores augentur et tumor in apertum abit vlcus, ex quo tenue et acre ſerum effluit. Tunc vlceri vnguentum digeſtiuum ex terebinthina, vitello ouorum et pauxillo mellis applicat et emplaſtrum ſic dictum Norimbergenſe ſuperimponit. Poſt quatuordecim dies in fundo vlceris ſubſtantia renitens animaduertitur, qua

diſquiſita

diſquiſita copia induratae materiei, granulorum inſtar, educitur. Materie hac ſenſim per dies aliquot educta pus laudabile apparet, tumor mollior minusque dolens euadit, ſymptomata minuuntur et quatuor ſeptimanis elapſis vlcus ad conſolidationem perfectam perducitur.

Part. XVIII. no. 2. *Stupendae craſſitiei corporis a ſingulari hydrope ſaccato dependentis deſcriptionem exhibet* Cl. DELIVS. Foeminam, quae per ſex annos abdomine, inſigniter expanſo, inceſſit et vigeſimo tandem nono aetatis ſuae anno ſuccubuit, aperiunt et ouarium ſiniſtrum in ſaccum horrendae magnitudinis expanſum animaduertunt. Saccus hic diſquiſitus copioſos tumores, magnitudine oui gallinacei et vltra, interiori ſuperficiei adhaerentes et materie ex albo flaueſcente viſcida glutinoſa plenos exhibuit. Materies intus contenta centum et ſexaginta libras ponderauit, eademque per filtrum linteum traiecta, colore virideſcente praedita, ab aqua forti et ſpiritu vini, nec non igne admoto coagulata eſt. Viſcera quoad ſitum et conſtitutionem non leuem inde mutationem paſſa eſſe, facile quiuis intelligit. p. 519.

No. 4. *De infante absque illaeſis ſecundinis nato relatio ex actis publicis.* Infans nimirum vna cum chorio et amnio penitus illaeſis, inque his detentus excluſus fuit. Membranis apertis aqua effluxit, iisdemque remotis foetus nullatenus corruptus nec placenta etiam corrupta in conſpectum venerunt. Foetus, partui non proximus et funiculus ſanguine orbatus fuit. De caetero nullum laeſionis ſignum repererunt. p. 541.

No. 5. H. *ſanguinis albi mentionem fecit.* Dum vena viri cuiusdam, qui duas horas ante ſectionem potum Caffe cum lacte aſſumſerat, ſecatur, loco ſanguinis rubri lac dilutum effluit, ita vt copia ſat magna egreſſa, nec vlla ſanguinis rubri guttula apparente venam claudere cogerentur. p. 543.

XVI.

Traité des Affections vaporeuſes du Sexe, avec l'expoſition de leurs ſymptômes, de leurs différentes cauſes, et la methode de les guérir. Par. M. IOSEPH RAVLIN, Docteur en Médecine, Médecin ordinaire du Roi, des Académies Royales des Belles-Lettres, Sciences et Arts de Bordeaux et de Rouen. A Paris, chez Jean-Thomas Heriſſant. 1758. 12 pl. 20.

i. e.

Tractatus de affectibus ſexus ſequioris, quibus vaporum nomen a Gallis datur, vna cum explicatione ſymptomatum et diuerſarum cauſarum, deque medendi methodo Auctore IOSEPH RAVLIN etc.

Quae in foeminis haud raro occurrunt affectiones ſpaſmodicae, quaeque a plurimis hactenus hyſtericarum affectionum nomine inſignitae fuerunt, a Cl. Auctore vaporoſarum affectionum nomine inſigniuntur. Verum has affectiones minus apte hyſtericas vocari, imo nomen hoc, prorſus falſum, ex errore quodam introductum eſſe, in praefatione Cl. Auctor monet. Dum enim veteres, vt Noſter oſtendit, inprimis HIPPOCRATES et GALENVS, quique hos ſecuti ſunt, vnice vterum accuſarunt, harumue affectionum cauſam in ſolo hoc viſcere quaeſiuerunt, factum eſt, vt, ſedem cauſae indigitantes, affectiones iſtas hyſtericas, id eſt, vterinas nominarent ſicque hoc nomine ſpaſticum quoddam morbi genus deſignarent, quod foeminis tantum, viſcus hoc fouentibus, proprium, nunquam viros infeſtaret. Cum vero iſtud morbi

genus

genus non in foeminis ſolum, ſed in viris etiam oc-
currat, inque foeminis cauſas longe plures, quam vterum ſolum agnoſcat, Noſter proinde nomen iſtud mutandum dictasque affectiones vaporoſas appellandas eſſe, autumat.

Haec de generali huius affectus notione in praefamine. Libellus ipſe in duas partes diuiditur, quarum quaelibet in ſectiones tumque in capita iterum diſcerpitur. Prior, theoriam horum affectuum tradens, ſectione prima characterem eorum generalem, id eſt, ſigna et ſymptomata exponit; ſectione ſecunda cauſas remotas et praediſponentes, tertiaque demum proximas cauſas recenſet. Poſterior pars, in curatione harum affectionum occupata, ſectione prima curationem paroxyſmi vel imminentis vel praeſentis tumque ſymptomatum primariorum continet; ſectione ſecunda ſubſidia, quibus remotarum cauſarum effectus auertantur, denique tertia proximarum cauſarum curationem exhibet.

Si characterem morbi, qualis a Noſtro deſcribitur, conſideremus et ſigna, quibus conſiderandum ſe medentibus offert, perpendamus, morbum hunc nouo tantum a Cl. Auctore donati nomine et eundem prorſus eſſe, qui plurimis confirmatum adhuc vocatur malum hyſtericum, deprehendimus. Motus autem ſpaſtici, ſolemnes adeo in hoc morbo, magnaque illa ſymptomatum varietas, morbum iſtum malam generis neruoſi affectionem eſſe, deſignant, huncque ipſum adeo ſaepe ſub diuerſa facie ſiſtunt, vt cum aliis neruorum morbis, v. g. ſyncope, catalepſia, apoplexia, epilepſia, lethargo etc. haud raro confundi queat, a quibus tamen diuerſus ſuis ſe diſtinguit ſignis.

Inter cauſas, quae morbum quidem per ſe non p. 37.
conſtituunt, ſed foeminarum corpora, ad eum

ſuſcipien-

ſuſcipiendum, apta reddunt, et remotae ideo dicuntur, temperamentum ſeu ipſius corporis conſtitutio primum locum hic inuenit. Debiles nimirum, molles inſimulque ſenſibiles admodum et irritabiles huic morbo obnoxiae ſunt, cum contra eae, quae robuſtae ſunt, facile hunc morbum eludant. Huc quoque haereditaria diſpoſitio pertinet; ſiquidem parentes debiles hocque morbo iam laborantes progeniem dent, ſimili corporis conſtitutione praeditam, ita, vt vel a primis annis teneras conſpicere liceat, quae tali morbo afficiantur.

p. 50. Inter res, non naturales dictas, aeris peculiaris conſtitutio, qualis v. g. Pariſiis eſſe ſolet, producendo huic morbo maxime fauet. Huius enim vis et efficacitas tanta omnino eſt, vt in diuerſis climatibus corporum diuerſitatem vel ſolus gignere valeat, ita, vt eo mutato vel morbus iſte praecaueatur, vel iis, quorum corpora ob climatis aerisque conſtitutionem tali morbo non afficiuntur, eo poſthoc mutato, interdum inducatur.

p. 60. Et alimenta, quae ad conſeruanda corpora viresque recuperandas conceſſa ſunt, niſi conuenienter aſſumantur, morbum hunc valde iuuant. Quo magis enim ea a victu veterum ſimplici recedunt, eo magis iſta omnino laedunt. Ita v. g. noſtro inprimis ſaeculo cibi, aromatibus, ſalibus, aceto, ſaccharo etc. diuerſimode conditi, non ſolum prauum chylum generant, ſed, cum plus etiam ingeratur, quam debilis ventriculus ſubigat, chylus ea propter craſſus minusque elaboratus gignitur, inde craſſus ſanguis, ſtaſes, obſtructiones generantur, inſimulque fibrae ob varios inductos ſtimulos irritabiles euadunt, hasque ideo ob cauſas morbus iſte ſenſim inducitur.

Inter

Inter potulenta ſpirituoſus potus maxime huic p. 69. morbo fauet. Vix enim aqua, niſi alii errores committantur, id praeſtare valet, imo potius morbi iſtius origini aduerſatur. Quo magis autem aqua particulis oleoſis, acribus, ſtimulantibus, idque genus aliis ſcatet, eo minus potus, inde exſurgens, ſalubris aeſtimari debet. Inprimis vini abuſus, vt Pariſiis mos eſt, corpora foeminarum ad ſuſcipiendam iſtam affectionem aptiſſima reddit. Eo enim digeſtio laeditur, fibrae exſiccantur, excernenda retinentur, et viſcidum ſanguini ingeneratur, ita, vt profundas poſthac in viſceribus radices agat malum hyſtericum. Potus Thee abuſus fibras relaxat, ven- p. 76. triculum debilitat, digeſtionem turbat, hincque liquidorum retardationem et obſtructiones, inprimis viſcerum ventris infimi, ideoque varias neruorum affectiones, praeſertim hyſtericas producit. Potus Caffé, qui aeque ac praecedens ad remedia pertinet, abuſus noxius aeſtimari debet. Inprimis iſte in foeminis ſiccioris et biliofae naturae noxios effectus producit. Sanguinem enim inſpiſſat, aluum ſtipat, fibrasque neruoſas irritat, hasque adeo irritabiles reddit, vt ad quasue affectiones neruorum ſuſcipiendas aptae inueniantur. Maxime autem corpora foeminarum peſſundat dictus potus, ſi cum lacte et ſaccharo miſcetur; tunc enim digeſtionem prorſus turbat atque foeminas ad fluorem album quam maxime diſponit. Tandem etiam potus, Chocolat dictus, huic morbo non obeſt. Licet enim iſte, rite praeparatus et modice aſſumtus, optime interdum nutriat, nimium tamen iſte et frequenter ingurgitatus ſanguinem inſpiſſat, circulum eius lentiorem reddit et vbique obſtructiones producit. Experientia id confirmat: ea enim, potum hunc in affectibus conuulſiuis, hypochondriacis, vaporoſis et epilepticis maxime nociuum eſſe, docuit.

Taba-

p. 84. Tabacum licet, vt remedium vſurpatum, plura bona praeſtet, peſſima tamen, ſi quotidie puluis eius naribus attrahatur, vel fumus eiusdem ore hauriatur, mala inducit. Sulphure enim narcotico ſaleque cauſtico praeditum neruos irritat, nerueas membranas exſiccat, particulisque ſuis, cum ſaliua deglutitis, chylum peſſundat et digeſtionem penitus turbat, inſimul autem neruorum ſyſtema eo diſponit, vt a re vel minima commoueantur vel male afficiantur nerui.

p. 92. Verum, ſi etiam his in rebus modus ſit, niſi tamen in motu et quiete iſte ſeruetur, corpora nihilominus vitia capiunt foeminaeque, vitam ſedentariam agentes, fluida ſpiſſa fibrasque relaxatas

p. 98. inde reportant et hyſtericae fiunt. Excernenda ſi retardantur vel ſupprimuntur, vel ſi abundant, diſpoſitionem inducunt; inprimis menſtruus fluxus vel nimius, vel ſuppreſſus atque etiam fluor albus morbum hunc ingenerant. Tunc enim ſolida relaxantur et fibrae inprimis nerueae, maxime ſenſibiles euadunt.

p. 106. Tandem animi pathemata, vt gaudium, triſtitia, timor, amor, odium etc. ſi immoderata ſunt, functiones corporis ita immutant, vt ſolidis, vltra modum, vel relaxatis, vel tenſis, ſanguinisque circulo, vel retardato, vel nimis aucto, hyſterica paſſio ortum trahere inde queat.

p. 110. Quod ad proximas cauſas, malum hoc conſtituentes, attinet, neruorum ſenſibilitas et irritabilitas, quas vtrasque Noſter neruis tribuit, locum hic primarium tenet. Nam, quo magis ſenſibilibus et irritabilibus neruis foeminae donatae ſunt, eo magis corpora earum a re vel minima, v. g. ſolo rei cuiusdam ingratae aſpectu, affici, commoueri et conuelli poſſunt. Verum non in ſola ſpirituum ataxia nec in ſolis neruis cauſa huius mobilitatis et ſenſibilitatis quaerenda, ſed aliunde etiam iſta

petenda

petenda eſt. Quicquid enim neruos irritat, vellicat, et ad tenſiones diſponit, id omne cauſam huius mali proximam ſuppeditare valet. Ita ſanguis, in venis polypoſus, hoſce canales obſtruens, lympha craſſa vel acris, obſtructiones viſcerum, ventris inprimis infimi, euacuationum periodicarum ſuppreſſio, menſtruorum fluxus vel deficiens vel nimius, atque fluor albus cauſam affectionis hyſtericae ſiſtunt. Hiſce enim ſingulis vel pluribus, ſimul coniunctis, nerueae fibrae vel irritantur et vellicantur, vel tenſionem quandam concipiunt atque conuulſiones inde ſpaſmi et id genus alia ortum trahunt. Cum autem partium omnium per textum celluloſum perque nerueas fibras, in eo diſtributas, detur communicatio, fit inde, vt non vna, ſed plures ſaepe partes afficiantur, imo totum haud raro corpus irritetur, vel etiam ſpaſmi, in parte quadam orti, ex vno loco in alterum tranſeant ſicque metaſtaſes faciant.

Cum itaque tot tamque variae cauſae affectio- p. 231.
nem iſtam conſtituant, neceſſe proinde eſt, vt in curatione eiusdem ſedulo ad cauſam attendant ſignaque, quibus iſta cognoſcatur, cognita ſibi reddant medentes. Ante omnia igitur paroxyſmum auertere, huncque incipientem, ſignis ſuis praenunciis cognoſcendum, in progreſſu impedire, ſtudendum eſt. Si itaque paroxyſmus in viſceribus incipit et per motus reptiles vel ſpaſmodicos, ſenſationes doloroſas etc. cognoſcitur, infimum ventrem fortibus ligaturis comprimere, remedia foetidiſſimi odoris naribus admouere neruorumque flexilitatem conſeruare, praeſtat. Si in extremitatibus inferioribus incipit, ligaturae fortes, femoribus, cruribus et brachiis applicatae iuuant, Si tandem ob retardatas vel ſuppreſſas euacuationes periodicas prouenit, venaeſectio tempeſtiua affectionem hanc praecauet.

Quod

p. 240. Quod ad curationem motuum conuulſiuorum, vtpote ſymptomatum, quae vel vniuerſum corpus, vel plures partes ſimul afficiunt, attinet, his, ſi vrgent, ſequenti modo occurrendum eſt. Foeminae nimirum ſtatim in lectum apte reponantur, poſtea, vt directio motuum inuertatur, abdomen, femora et crura fricentur, plantae pedum titillentur, extremitates vellicentur, femoribus cucurbitulae ſiccae applicentur, epigaſtrium comprimatur, interdum etiam, niſi euacuationes periodicae obſtent, pedes aquae frigidae immergantur hiſque fruſtra vſurpatis aegrotae virgis caedantur. Si ſyncope et conuulſiones vrgent, epiſpaſtica applicentur et graueolentes plantae naribus admoueantur. Caue tamen, ne ſtatim a fortioribus incipias; ſaepe enim iſtis motus in ſenſibilioribus augentur, quare a lenioribus ſemper incipiendum et ad fortiora ſenſim progrediendum eſt. Interdum, niſi adeo vrgent, clyſmata emollientia et antiſpaſmodica iniiciantur. Iuuat etiam, potus antiſpaſmodicos, ex herbis v. g. artemiſia, matricaria, mentha, chamomilla vel, ſi digeſtio turbata cauſam auget, ex centaurio, hedera terreſtri, corticibus aurantiorum etc. paratos, exhibere. Hunc in locum liquorem anodynum mineralem HOFFMANNI ſubſtituere, praeſtat; caute tamen opiatis vtendum eſt. Si in primis viis viſcidum cruditates materiesque verminoſa iſtos conuulſiuos motus grauiores reddant, tartarus emeticus, multa aqua dilutus, vel laxantia leniora conducunt. Venaeſectio, ſi pulſus paruus, frequens et depreſſus eſt, nocet; iuuat tamen, ſi plethorae ſigna adſunt. Si motus conuulſiui ceſſant, perſpirationis regimen obſeruandum, tumque infuſa theiformia ex plantis diaphoreticis exhibenda ſunt.

p. 253. Si ſymptomata quaedam in ſpecie vrgent, vt colica, vomitus, dolores fluxusque abdominales, nec non etiam clauus hyſtericus, remedia quantocyus propi-

propinanda ſunt. Si colica adeſt, ſerum lactis conducit vomitumque, ſalutarem hic, excitat, poſtmodum laudanum liquidum SYDENHAMI exhibere, conuenit, in plethoricis tamen ante huius remedii exhibitionem, vena ſecetur. Si dolores, vomitus et fluxus ventris adſunt, clyſmata pinguia et purgantia leniſſima proſunt, poſthac lenia narcotica vel, ſi fibrae relaxatae ſunt, liquor anodynus mineralis vtilis eſt. Si clauus hyſtericus vrget, antihyſtericorum vſus vel fruſtraneus vel noxius perſaepe eſſe ſolet; praeſtant autem balnea pedum et ſemicupia, clyſmata emollientia, cataplaſmata, ex baccis iuniperi et lauri nec non ſeminibus carui parata et capiti admota, vel veſicatoria cruribus et nuchae applicata. Tandem etiam accidit, vt interdum intumeſcant mammae, quo in caſu antiſpaſmodica, interius ſumta, fomentationes, ex decocto menthae, anethi, chamomillae, meliloti cum lixiuio cinerum quercinorum, paratae, tandemque ſpuma ſaponis, linteo excepta et applicata iuuant. Notandum tamen eſt, a ſpirituoſis hic abſtinendum dictaque remedia tepida ſemper, ſed nunquam calida, eſſe applicanda.

Tandem ſymptomata mali hyſterici in foeminis, p. 259. huic malo maxime obnoxiis, ſaepe cum aliis morbis coniunguntur, quibus ſane, niſi illorum prius habeatur ratio, fruſtra medicinam faciunt medentes. Hinc antiſpaſmodica cum remediis, iſtis morbis accommodatis, miſcenda ſunt. Sollicite tamen cauſa affectionis hyſtericae a cauſa morbi complicati diſtinguenda eſt. Si enim affectio illa a morbo dependet, huius cauſa ſublata, illa tollitur, cum contra ea perſtet morbusque augeatur, ſi contra iſtam affectionem remedia exhibeantur.

Remedia, quibus morbus iſte praecauetur, in p. 272. eo conſiſtunt, vt fibrarum laxitas, debilitas, atque inde pendens earum irritabilitas quouis modo

impediatur. Itaque, cum hanc fibrarum diſpoſitionem infantes a parentibus iam accipiant, grauideae propter ſedulo innuendum eſt, vt ea omnia ſtrenue obſeruent, quae infantum corpora iam in ipſo vtero firma reddere valeant. Cum autem id raro obſeruetur et infantes debiles a debilibus parentibus procreentur, ab initio ſtatim curandum eſt, vt debilitas iſta connata apto regimine diaetae corrigatur. Euitetur itaque mollities et exquiſitus ciborum delectus eorumque corpora opportune motu exerceantur et aeri liberiori ſaepius exponantur, quo iniurias eius perferre aſſueſcant. Tunc enim corpora robuſta euadunt et eo diſponuntur, vt cauſas morbi praediſponentes facile abigere valeant, quod eo magis obtinetur, ſi in cibo et potu, motu et quiete aliisque rebus non naturalibus modus ſeruetur et ea obſeruentur, quae climatis conſtitutio permittit, quaeque in hac vel illa tantum regione corpora ſana atque vegeta reddunt.

p. 299. In curatione cauſarum, quae Noſtro morbi huius proximae ſunt, primo ad nimiam neruorum ſenſibilitatem et irribilitatem reſpiciendum eſt. Caue tamen, ne hanc cum laxitate fibrarum confundas. Haec enim tonicis curatur, illa vero humectantia, aquoſa, emollientia, demulcentia et mucilaginoſa requirit, minime tamen his, cum nimium relaxent, abutendum eſt, ſed talia eligenda ſunt, quae praeter haſce virtutes et vi tonica ſeu anodyna donantur, quorſum v. g. cichoreum ſylueſtre, ſcolopendrium, plantae capillares, mentha flores tiliae etc. pertinent. Remedia nimis incidentia et volatilia vitentur, contra chinae cortex, emollientibus et demulcentibus praemiſſis, vſurpandus eſt. Si ob nimiam ſenſibilitatem ſyncope accedit, praeter memorata remedia, narcotica cum amaris aromaticis mixta interponenda ſunt. Si purgantia neceſſaria iudicentur, leniſſima eligantur, fortiora vero ſeu nimis

irri-

rritantia prorſus intermittantur. Si imaginatio adeo vigeat, vt ad res prorſus ſingulares inclinent, animi pathemata contraria excitanda et foeminae eo diſponendae ſunt, vt ab obiecto, cui nimis inhaerent, plane abducantur.

Mittimus caetera, cum illa, quae et humorum vitiatorum correctionem et obſtructionum curationes concernunt, cognita ſatis eſſe videantur.

XVII.

Deſcription abrégée des Maladies qui regnent le plus communement dans les Armées, avec la Methode de les traiter. Vienne, chez Jean-Thomas Trattner, Imprimeur de la Cour. 1759. 8 pl. 13.

i. e.

Breuis deſcriptio morborum, inter exercitus vt plurimum regnantium, vna cum medendi methodo etc.

Militum corpora, prae aliis multis maximisque vitae incommodis obnoxia, morbis etiam ita ſaepe affliguntur, vt, niſi his obuiam quantocyus eatur, multa ſane et robuſtiſſima quidem corpora ſuccumbant numerumque eorum, qui violenta perimuntur morte, longe interdum ſuperent. Maxime itaque neceſſarium eſt, vt huic rei aeque ac aliis rebus proſpiciatur, ne ſalus hominum, tam neceſſariorum, vel labefactetur vel in praeceps prorſus ruat. Cum autem ob ipſius militiae ſtatum et aegrotantium numerum vix vnquam fieri poſſit, vt cura eorum talibus, qui veram et rationalem medicinam exercent, committatur, norma ea propter exhibeatur neceſſe eſt, ſecundum quam ii

etiam, quibus alias iſtud officium minime demandatur, morborum curationem in caſtris ſuſcipere eorundemque ferocitati obicem ponere aliquatenus valeant. Hac itaque ratione libellum, qui in manibus noſtris eſt, conſcriptum eſſe, animaduertimus, minime quidem, vt medicis inſeruiat, ſed vt hoc ipſo iis, quibus cura aegrotantium ob illorum defectum commiſſa eſt, via pandatur, qua, quantum fieri poterit, optime incedere poſſint. Ita autem iſte libellus comparatus eſt, vt inter innumeros morbos, quibus gens humana affligitur, ii tantum locum hic inueniant, qui in caſtris ſolemniores ſunt, et quorum ſaeuitia tantas ſaepe ſtrages edat, quantae vnquam ab enſe et machinis igniuomis vix expectari poterunt. Commemorantur itaque in dicto libro tuſſis, angina, pleuritis, peripneumonia, rheumatiſmi doloreſque rheumatici et febres intermittentes, tum eae, quae omni tempore, tum etiam illae, quae vere et autumno inprimis obueniunt: ſequuntar febres quartanae, icterus, hydrops, vomitus, cholera, diarrhoea, dyſenteria, inteſtinorum inflammatio, phreneſis, narium haemorrhagia, febris continua, ſcorbutus, gangraena, mala venerea, ſcabies et demum vermes. Quorum omnium breues primo et concinnae deſcriptiones exhibentur, dein ſigna, quae certam neque adeo dubiam dant diagnoſin, apponuntur, tum ſymptomata, quae vel morbi incrementum, vel eiusdem decrementum deſignant, explicantur, atque demum methodus, qua tractari vnusquisque debeat, affigitur. Atque ne in praeſcribendis remediis aliqui fortaſſe obrepant errores, nonnullae inde cunctis his expoſitis remediorum ſubnectuntur formulae, quibus in facienda medicina commode medentes vti poſſunt. Simplices eae admodum ſunt, tum quod longo et operoſo labore vti in caſtris non licet, tum etiam quod absque ſumtu adeo inſigni facile parabiles

neque

neque tamen minus efficaces eſſe ſolent. Cum autem ſanitas, ſi vnquam, maximi ſane momenti hic aeſtimetur, meliusque multo ſit, eam ipſam conſeruare, quam labefactatam reſtituere, regulae ea propter praefiguntur, quibus obſeruatis vel illibata perſtat ſanitas, vel non raro auertuntur morbi. Succinctam hanc morborum conſiderationem Ill. VAN SWIETEN deberi, accepimus.

XVIII.

Quaeſtio medico - chirurgica. An ſola lens cryſtallina cataractae ſedes? Praeſide M. CAROLO FRANCISCO THEROVLDE de Touloufe de Vallun, Equite, Doct. Med. proponebat *Ioannes Deſcemet*, theſeos Auctor. Pariſiis. 1758. 4 mai. pag. 8.

Succinctam oculi deſcriptionem exhibet Noſter, p. 2. et inter alia aſſerit Ruyſchianam ſeu interiorem choroideae laminam a ſclerotica prope neruum opticum naſci exterioremque perforare, fere cartilagineum eſſe ſenſimque gracileſcere, inter fibras ligamenti ciliaris ſe inſinuare, poſteriorem vueae faciem veſtire, eius limbum facere, mox in anteriorem vueae faciem reflecti, tandemque ſumme diaphanam attamen elaſticam concauitatem corneae induere, eique adhaerere, et ideo *aquei humoris membranam* appellandam eſſe. Hanc a Cll. Viris FERREIN et PETIT indicatam, Cl. Auctor in origine et progreſſu accuratius deſcripſit, et porro monuit tenuiſſimam membranam arachnoideam retinam vndique ambire ſubtiliſſimis vinculis nerueis, choroideae cauo annexam eſſe, corpori vitreo tenuem pellucidam membranam ſuppeditare et poſteriorem laminam lentis cryſtallinae praebere; tandem indicat medulloſam nerui optici

 portio-

portionem vndique in bulbi fundo expandi, ſuper vitreum aſſurgere, et lentem cryſtallinam amplecti. His partibus deſcriptis ſedem cataractae eruere tentat, et auctorum de ſede cataractae ſententiis
p. 4. breuiter expoſitis cataractam adeſſe dicit, ſi vel a parte membranarum internarum oculi, ante pupillam extenſarum, vel a parte lentis cryſtallinae, partim aut omnino praepeditur luminis aditus. Hanc in duas claſſes diſpeſcit, quarum prior membranaceas, altera cryſtallinas continet.

Primum genus cataractae membranaceae conſtituit membrana aquei humoris, haec vel obnubilatur, vel acrimonia aquei humoris arroditur, vel a cornea, cui adhaeret, quodammodo ſeparatur. Concreto aqueo humori hoc vitium non adadſcribendum eſſe contendit Noſter cum hic in cochleari ſuper ignem poſitus totus auolet eiuſque pelluciditas, nec acido, nec alcali, nec ſpiritu vini turbetur. Secundae cataractae ſedes eſt membrana cryſtallina, quae duplici lamina interiecto cellulari textu componitur, quoties aqueus humor qui externae eius ſuperficiei incumbit, aut internam faciem alluit corroſiuam acquirit qualitatem natiua pelluciditate orbatur, et deficiente humore intercurrente argenteum induit colorem. Tertium genus in obnubilatione retinae ſupra lentem cryſtallinam expanſae poſitum eſt, et ſemper cum cataracta cryſtallina complicatur. Haec incipiens ad pupillae ambitum areolam albam deſcribit centro nigro perſtante, modo dimidiam partem pupillae obſtruit, et incompleta dicitur, modo linea alba exaratur, *cataracte larrée*, modo in lacinias varias ad iridis marginem fluctuantes diſcerpitur, *cataracte avec appendices;* nonnunquam lactis et caſei colorem adipiſcitur lactea et caſeoſa cataracta dicta; ſi tandem omnino obturatur pupillae foramen, completa nuncupatur.

Secundam

Secundam cataractae claſſem lentis cryſtallinae p. 5.
vitium conſtituit, oedema lentis dicitur ſi eius volumen ampliatur et immaturae cataractae nomine inſignitur. Contrarium vitium accedit lenti, ſi ſiccatur, opaca fit, argenteo nitens colore. Haec quidem fuſius declarantur, nos tamen eundem non vbique ſequi poſſumus. Idem de auxiliis per operationem inſtitutam diuerſis ſpeciebus praeſtandis valet; adducamus tamen nonnulla. Ad cataractam p. 6.
primi generis ſi incompleta eſt, acum, gemina acie inſtructam, apice tamen obtuſam, exigit, qua cornea prope ambitum ad diſtantiam vnius lineae a cataracta inciditur, et lamina elaſtica, facile in ſe reuoluenda, eraditur. Si completa haec eſt, acus myrtiformis requiritur, qua cornea eo modo, vt in extractione lentis cryſtallinae reſecatur, et tota intus excorticatur. Ad ſanandam ſecundi generis cataractam acu paulo acutiori opus eſt, qua cornea ad diſtantiam ſemilineae ab eius margine pertunditur, et poſtea membrana cryſtallina longitudinaliter finditur, transuerſim ſoluitur, quo diducatur et elaſticitate ſua reuoluatur. Hanc methodum Cl. FERREIN in vſum vocauit, et tertii generis cataractae quoque conuenit, exigit tamen, ne vuea laedatur, exercitatam manum.

De lente cryſtallina vitiata deprimenda vel ex- p. 7.
trahenda paucis quoque agit, et collatis et examinatis Auctorum ſententiis concludit: non ſolam lentem cryſtallinam eſſe cataractae ſedem.

XIX.

Noua phyſico - medica.

Nomina virorum, quibus cum Regia Academia Scientiarum Pariſina commercium colit litterarium *.

Annus et dies, quo in numerum Correſpondentium, qui vocantur ab Academia recepti fuere, et nomina Academiae ſociorum, quibus cum viris his eſt commercium litterarium.	
d. 19 Iun. 1715. Monſieur DE IVSSIEV	Monſieur IACQVES PHILIPPE BREYN, Docteur en Medécine, à *Danzig*.
d. 13 May 1722. M. DE MAIRAN.	M. BOVILLET, Docteur en Medécine de la Faculté de Montpellier, Profeſſeur de Mathématique et Secretaire de l'Académie *de Beziers*.
d. 21 Aug. 1723. M. DE IVSSIEV.	M. PEISSONEL, Docteur en Medécine, des Sociétés Royale de Londres, de Montpellier, de Marſeille et de Rouen, *à la Guadeloupe*.
d. 3 Febr. 1725. M. DE L'ISLE.	M. ISAAC BROVCKNER, Geographe du Roy, *à Basle*.
d. 1 Dec. 1731. M. DE THVRY.	M. l'Abbé OVTHIER Chanoine de la Cathédrale de Bayeux, de l'Académie de Berlin, *à Bayeux*.

d. 29

* In memoriam reuoces, quaeſumus, B. L. quae in praecedenti Part. III. p. 543. quoad haec nomina monuimus.

d. 29 Aug. 1733. M. MORAND.	M. DE COSSIGNY, Ingenieur du Roy, Chevalier de l'Ordre militaire de St. Louis, Ingenieur en Chef, *à Beſançon.*
d. 20 Nov. 1734. M. L'Abbé NOLLET.	M. MVSSCHENBROEK, Profeſſeur de Mathématique *de Leide.*
d. 2 April 1735. M. DE MAIRAN.	M. BIGOT DE MOROGVES, Capitaine de Vaiſſeau et Commandant de la Marine, *à Oſtende.*
d. 20 Aug, 1735. M. DE FOVRCHY.	M. GALLON, Ingenieur en Chef, *à Namur.*
d. 13 Iun. 1736. M. BOVVART.	M. MORIN, Profeſſeur de Philoſophie, *à Chartres.*
d. 5 Sept. 1736. M. MAQVER.	M. PSILANDERHIELM, Suedois, *à Stockholm.*
d. 6 April 1737. M. DE IVSSIEV.	M. VACHER, Chirurgien-Maior des Hopitaux du Roy, *à Beſançon.*
d. 14 Iun. 1738. M. DE IVSSIEV.	M. LINNAEVS, Docteur en Medécine, Profeſſeur de Botanique, Chevalier de l'Etoile polaire, *à Vpſal.*
d. 11 April 1739. M. DE MAIRAN.	M. IALLABERT, çidevant Profeſſeur de Philoſophie et de Mathematique, Membre du petit Conſeil, *à Geneve.*
d. 12 Mart. 1740. M. LE MONNIER.	M. GARIPVY, de l'Académie de Sciençes de Touloufe, *à Toulouſe.*
d. 31 Aug. 1740. M. DV HAMEL.	M. BONNET, de la Société Royale de Londres, *à Geneve.*

d. 16 Iun. 1742. M. DV HAMEL.	M. CHARDON DE COVRCELLES, Medécin de Paris et de la Marine Profeſſeur de l'Ecole de Chirurgie, *à Breſt.*
— — 1742. M. MORAND.	M. LE CAT, Docteur en Medécine, Chirurgien de l'Hôtel de Dieu de Rouen, des Academies de Londres, de Madrit, de Petersbourg et de Rouen, *à Rouen.*
d. 22 Aug. 1742. M. DV HAMEL.	M. NAVIER, Docteur en Medécine, *à Chalons ſur Marne.*
d. 6 Mart. 1743. M. LE MONNIER.	M. DAPRES DE MANNEVILETTE, Capitaine des Vaiſſeaux de la Compagnie des Indes, *à l'Orient.*
d. 6 Iul. 1743. M. CLAIRAVT.	Le P. IACQVIER, Minime, Profeſſeur de Phyſique expérimentale au College de la Sapience, *à Rome.*
d. 18 Ian. 1744. M. DE MAIRAN.	M. DE CVRY, Arpenteur général, *à St. Domingue.*
d. 3 Iun. 1744. M. CLAIRAVT.	M. KLINGENSTIERNA, Profeſſeur de Mathematique, *à Upſal.*
d. 27 Iun. 1744. M. DE FOVRCHY.	M. DE BOISTISSANDEAVX, *au Boiſtiſſandeau en bas Poitou.*
d. 16 Ian. 1745. M. CLAIRAVT.	Le P. LE SEVR, Minime, Profeſſur de Mathématique au Collége de la Sapience, *à Rome.*
d. 20 Nov. 1745. M. DE THVRY.	Le P. MELITON, Capucin, de l'Academie de Touloſe, *à Montpellier.*

d. 26

d. 26 Ian. 1746. M. DE LA CONDAMINE.	Don GEORGE IVAN, Commandeur d'Aliaga dans l'Ordre de Malthe, Capitaine des Vaiſſeaux, Commandant des gardes de la Marine â Cadix, de la Société Royale de Londres, de l'Academie Royale de Berlin.
d. 5 Mart. 1746. M. DV HAMEL.	M. L'Abbé SOVMILLE, Beneficié de Villeneuve, *à Avignon.*
d. 14 May 1746. M. CLAIRAVT.	M. DV PETIT-VENDIN, Capitaine d'Infanterie, *à Bruxelles.*
d. 18 Iun. 1746. M. l'Abbé NOLLET.	M. DV TOVR, *à Riom.*
d. 16 Iul. 1746. M. DE FOVRCHY.	M. MARCORELLE, de l'Académie Royale des Sciences et Belles Lettres de Toulouſe, *à Narbonne.*
d. 16 Nov. 1746. M. l'Abbé NOLLET.	M. GEORGE MATTHIAS BOSE, Profeſſeur en Phyſique, des Academies de Stockholm, de Bologne, de Gryphiswalde, des Sociétés de Londres, d'Helmſtaedt et de Iena, *à Wittenberg.*
d. 26 Nov. 1746. M. DE LA CONDAMINE.	M. VERGVIN, Ingenieur de la Marine, *à Toulon.*
d. 15 Febr. 1747. M. DE IVSSIEV.	M. GERARD DE VILLARS, Profeſſeur en Medécine, de l'Academie de Rochelle, *à la Rochelle.*
d. 22 April 1747. M. DV HAMEL.	M. SALERNE, Docteur en Medécine, *à Orleans.*

d. 4 May

d. 4 May 1748. M. DE MAIRAN.	Le P. BOSCOVICH, Ieſuite, Profeſſeur de Mathématique au College Romain, *à Rome.*
d. 4 May 1748. M. GVETTARD.	M. DE GEER, Chambellan de S. M. Suédoiſe, *à Stockholm.*
d. 4 May 1748. M. DV HAMEL.	M. D'ARGENVILLE, *à Rouen.*
d. 22 Iun. 1748. M. LE MONNIER.	Le P. BERTIER, de l'Oratoire, *à Salmur.*
d. 22 Iul. 1748. M. DE L'ISLE.	M. WARGENTIN, Secretaire de l'Académie et Sociéte Royale des Sciences de Suede, *à Stockholm.*
d. 23 Aug. 1748. M. DV HAMEL.	M. GODEHEV DE RIVILLE, Commandeur de Malthe, *à Valogne.*
d. 6 Sept. 1748. M. LE MONNIER.	D. ANTONIO DE VLLOA, Capitaine des Vaiſſeaux de S. M. Catholique, Gouverneur de Guancabelica, de la Société Royale de Londres et de l'Académie Royale de Berlin, *au Perou.*
d. 8 Ian. 1749. M. DE LA CONDAMINE.	D. LAVRENT ALVAREZ ROXO DE POTFLITZ, Grand-Chantre de l'Egliſe Cathedrale du Para, Proviſeur du même Evéché, Commiſſaire du Saint Office et Protonotaire apoſtolique, *au Para.*

d. 29

d. 29 Ian. 1749. M. DE FOVRCHI.	M. L'Abbé DE SAPTE, Secretaire perpetuel de l'Académie Royale des Sciences et Belles Lettres *de Toulouſe.*
d. 1 Febr. 1749. M. DE BVFFON.	M. NADAVLT, Avocat général à la Chambre des Comptes de Bourgogne, *à Montbar.*
d. 1 Mart. 1749. M. DE LA CONDAMINE.	M. GRISCHOW, Profeſſeur d'Aſtronomie de l'Academie Imperial de St. Petersbourg, de l'Academie Royale des Sciences de Berlin, *à Petersbourg.*
d. 10 May 1749. M. DE LA CONDAMINE.	D. MIGVEL DE SAINT ISTEVAN ALVAREZ DE VEZA, Lieutenant Colonel au Service de S. M. Catholique, Ancien Aſſeſſeur du Vice-Roy, *à Santa-Fede Bogota.*
d. 10 May 1749. M. DE IVSSIEV.	M. SEGVIER, *à Nimes.*
d. 4 Iun. 1749. M. DE IVSSIEV.	M. TREMBLEY, de la Société Royale de Londr. *à Geneve.*
d. 19 Nov. 1749. M. MORAND.	M. BIANCHI, Preſident du Conſeil du proto-medicat et Premier Profeſſeur d'Anatomie dans l'Univerſité Royale de Turin, *à Turin.*
d. 28 Ian. 1750. M. DE L'ISLE.	Le P. PEZENAS, Ieſuite, Profeſſeur Royale d'Hydrographie, *à Marſeille.*
d. 4 Mart. 1750. M. l'Abbé NOLLET.	Le P. LA TORRE, Religieux Samaſco Bibliothécaire de S. M. Sicilienne, *à Naples.*

d. 4

d. 4 Mart. 1750. M. DE L'ISLE.	M. ZANNOTTI, Sécrétaire perpétuel de l'Académie de l'Inſtitut de Bologne, *à Bologne.*
d. 24 Iul. 1750. M. DE IVSSIEV.	M. ADANSON.
d. 22 Aug. 1750. M. DE L'ISLE.	Le P. GOVBIL, Ieſuite Miſſionnaire, *à Pekin.*
d. 9 Ian. 1751. M. WINSLOW.	M. GVATTANI, Chirurgien du Pape en ſurvivance et Profeſſeur d'Anatomie et de Chirurgie dans les Hopitaux de Rome, *à Rome.*
d. 3 Febr. 1751. M. MORAND.	M. SHEBBEARE, Docteur en Medécine, *à Londres.*
d. 13 Febr. 1751. M. l'Abbé DE LA CAILLE.	Le P. BERAVD, Ieſuite, Profeſſeur de Mathématique au College de Lyon et Membre de l'Académie Royale des Sciences de la même ville, *à Lyon.*
d. 3 Apr. 1751. M. CAMVS.	M. l'Abbé IVRIN, Profeſſeur de Mathématique, *à Reims.*
d. 24 Iul. 1751. M. DE IVSSIEV.	M. BEAVX, Docteur en Medécine, *à Nimes.*
d. 18 Dec. 1751. M. MAQVER.	M. BOVCHER, Docteur en Medécine, *à Lille en Flandre.*
d. 19 Febr. 1752. M. MORAND.	M. LE ROY, Docteur en Medécine, *à Montpellier.*
d. 13 Iul. 1752. M. DV HAMEL.	M. BROVZET, Medécin, *à Fontainebleau.*
d. 2 Sept. 1752. M. DE BVFFON.	M. VARENNE DE BEORBE, Secrétaire en Chef des Etats géneraux de Bourgogne, *à Dijon.*

d. 2 Sept.

d. 2 Sept. 1752. M. FERREIN.	M. MECKEL, Profeſſeur d'Anatomie et de l'Académie Royale des Sciences de Berlin, *à Berlin.*
d. 9 Sept. 1752. M. le P. DE MALESHERBES.	M. BOURGELOT, Ecuyer du Roy, Chef de ſon Académie, *à Lyon.*
d. 18 Nov. 1752. M. MALOUIN.	M. MEZEREY, Medécin des Armées dû Roy, *à Etampes.*
d. 12 May 1753. M. DU HAMEL.	M. DE BORDA, Préſident au Préſidial de Dax, *à Etampes.*
d. 12 May 1753. M. BUACHE.	Don JAN AGENII, Evêque et Coadjuteur au Patriarchat *d'Antioche.*
d. 12 May 1753. M. DE BUFFON.	M. le Comte DE CUSTINE d'Auflane, *à Nancy.*
d. 12 May 1753. M. DE IUSSIEU.	M. ARTUR, Medécin du Roy, *à Cayenne.*
d. 12 May 1753. M. GUETTARD.	M. CLOZIERE, Chirurgien des Haras du Roy et Apothicaire, *à Etampes.*
d. 12 May 1753. M. DE LA CONDAMINE.	Don JOSEPH MALDONADO Y SOTO MAGOR, Ancien Curé de la Cathedrale, *à Quito.*
d. 12 May 1753. M. D'ALEMBERT.	M. l'Abbé DE BOSSVT, Profeſſeur Royal à l'Ecole du Génie, *à Mezieres.*
d. 12 May 1753. M. DE L'ISLE.	Le P. MAIRE, Jéſuite, *à S. Omer.*
d. 12 May 1753. M. DE L'ISLE.	Le P. CHEVALIER, Prêtre de l'Oratoire, *à Lisbonne.*
d. 8 Aug. 1753. M. DE FOURCHI.	Le P. FRISI, Clerc regulier de la Congrégation de St. Paul, Profeſſeur en l'Univerſité de Piſe, *à Piſe.*

d. 8 Aug.

d. 8 Aug. 1753. M. DE JUSSIEU.	DON VASQUES Y MORALES HORTEGA, Secretaire perpetuel de l'Academie de Medécine, à *Madrid*.
d. 22 Dec. 1753. M. LE MONNIER.	M. DE VAUSENVILLE, *à Rouen*.
d. 6 Apr. 1754. M. DE JUSSIEU.	M. AIMEN, Docteur en Medécine de la Faculté de Montpellier, *à Caſtillon ſur Dordogne*.
d. 6 Apr. 1754. M. DE JUSSIEU.	M. DE LA NUX, Ancien Conſeiller au Conſeil Royal, *à l'Isle de Bourbon*.
d. 4 Sept. 1754. M. DE JUSSIEU.	M. POIVRE, Conſeiller au Conſeil ſupérieur de l'Isle de France, *à Lyon*.
d. 4 Sep. 1754. M. DE JUSSIEU.	M. THEBAULT DE CHANVALLON, Conſeiller au Conſeil ſupérieur de le Martinique et Académicien ordinaire de l'Académie des Belles Lettres Sciences et Arts de Bourdeaux, *à la Martinique*.
d. 20 Dec. 1754. M. MORAND.	M. PALUCCI, Chirurgien du Corps de S. M. Imperiale Membre de l'Académie de Florence, *à Vienne*.
d. 12 Febr. 1755. M. DE LA CAILLE.	M. STRUICK, Profeſſeur de Mathématique, *à Amſterdam*.
d. 28 May 1755. M. DE JUSSIEU.	M. DE GARDEILLE, Docteur en Medécine, *à Toulouſe*.
d. 9 Jul. 1755. M. l'Abbé NOLLET.	Le P. FROMOND Camaldule, Profeſſeur de Philoſophie, *à Piſe*.

d. 18

d. 18 Febr. 1756. M. MACQVER.	M. ABEILLE, Avocat au Parlement de Bretagne, *à Rennes*.
d. 23 Iun. 1756. M. D'ALEMBERT.	M. NECKER, Citoyen de Genéve Profeſſeur de Mathématique et de Phyſique experimentale, *à Geneve*.
d. 14 Aug. 1756. M. DE LA SÔNE.	M. WOLTER, Chevalier du St. Empire, Premier Medécin du feu l'Empereur CHARLES VII, Premier Medecin de S. A. Electorale de Baviere, Inſpecteur de la Faculté de Medécine d'Ingolſtadt et des Hopitaux, *à Munich*.
d. 26 Mart. 1757. M. DE LA LANDE.	M. LARDILLON, Ecuier, *à Dijon*.
d. 7 May 1757. M. HELLOT.	M. DE GENSANNE, Conceſſionnaire des Mines de Franche Comté, *à Planchés les Mines*.
d. 22 Iun. 1757. M. CLAIRAVT.	M. D'ARQVIER, de l'Academie Royale des Sciences et Belles Lettres *de Touloſe*.
d. 22 Iun. 1757. M. l'Abbé DE LA CAILLE.	Le P. XIMENES, Jéſuite, Profeſſeur de Mathématique à Florence et Geographe de leurs Majeſt. Imperiales, *à Florence*.
d. 22 Iun. 1757. M. LE MONNIER.	M. GABRY, Docteur en Droit, *à la Haie*.
d. 6 Aug. 1757. M. PINGRE.	M. BOUIN, Chanoine régulier de la Congregation de France, de l'Academie Royale des Sciences, Arts et Belles Lettres de Rouen, *à Rouen*.

d. 3 Sept. 1757. M. DE L'ISLE.	M. DE BARROS, Gentilhomme Portugais, de l'Académie Royale des Sciences de Berlin, *à Lisbonnes.*
d. 25 Ian. 1758. M. DE MONTIGNY.	M. l'Abbé DE MAZEAS, de la Maiſon et Société Royale de Navarre, de la Société Royale de Londres, Secretaire de l'Ambaſſade de Rome, *à Rome.*
d. 1 Febr. 1758. M. DE L'ISLE.	M. LVLOFS, Profeſſeur de Mathématique, *à Leyde.*
d. 25 Febr. 1758. M. DV HAMEL.	M. DE LA TOUCHE, Montaudouin, Ecuyer, Negotiant, *à Nantes.*
d. 2 Sept. 1758. M. GUETTARD.	M. VOSMAER, Intendant du Cabinet d'Hiſtoire Naturelle de S. A. S. Mgr. le P ce. Stathouder des Etats de Hollande, *à la Haie.*
d. 2 Sept. 1758. M. MORAND.	M. JENTY, Maître ès Arts, Profeſſeur d'Anatomie, *à Londres.*
d. 23 Dec. 1758. M. l'Abbé DE LA CAILLE.	Le P. HELL, Jéſuite, Aſtronome de L. M. Imperiales, *à Vienne.*
d. 3 Ian. 1759. M. MORAND.	M. BOUILLET, le fils, Conſeiller Medécin du Roy, de l'Académie des Sciences et Belles Lettres de Beziers, et Medécin de l'Hopital de la même Ville, *à Beziers.*
d. 17 Mart. 1759. M. l'Abbé NOLLET.	M. BOSC D'ANTIC, Docteur en Medécine, *à Rouelles pres de Langres.*

Poten-

Potentiſſimus Daniae Rex, qui patris in modum ſuos amat tueturque populos, vt hiſtoriae naturalis reique oeconomicae ſtudium inter ipſos magis magisque euehat eosque ideo ex vero conſtantique diuitiarum theſauro omnium rerum affluentibus copiis ditet, nouam ſuperiore anno 1759 condidit academiam ſuoque iuſſu rerum naturalium et oeconomicarum collectionem faciendam curauit, *Hafniae* in Regia arce, a *Charlottae* vel *Carolinae* rectius nomine denominata, aſſeruandam. Quem in finem publicas ea de re propoſuit tabulas, quibus mentem ſuam voluntatemque exponeret. Suis nimirum ſumtibus muſeum illud inſtitui debet, ita, vt quaecunque demum res naturales, ſiue intra regni Danici fines reperiantur, ſiue ab exteris apportatae ſint, horti ſicci, animalia vel in ſpiritu vini ſuſpenſa, vel ſicca et effarta, aues, piſces, inſecta, res porro ab ipſa natura productae rudes, machinae inſuper variaeque his conficiendis excogitatae et effictae formae e. ſ. p. colligantur; in ſuum ordinem redactae aſſeruentur et, quantum demum fieri poterit, augeantur. Quo inde autem verus redundare poſſit vſus, academiae in modum virorum his aſſequendis finibus inſeruientium publicum inſtituit collegium, quod praeſes, director, duoque profeſſores conſtituent. Praeſidis officium in ſe iam ſuſcepit Illuſtriſſimus Comes, ADAM GOTTLOB MOLTKE, Potentiſſimo Daniae Regi a ſanctioribus conſiliis, vir multis inſuper aliis muneribus, quibus praeeſt, aeque ac meritis conſpicuus noſtraque laude ſuperior, qui et huius iam deſcribendi inſtituti non auctor ſolum fuit, ſed eius quoque conſtituendi iam initium fecit. Profeſſorum vnus hiſtoriae potiſſimum naturali, alter rei oeconomicae, praeerit; vterque autem ſequentibus officiis fungetur. Omnium rerum, quae in muſeo reperiuntur, duplicem conficient indicem, alterum ſecundum

ordinem numerorum et temporis, quo res illae in muſeum apportatae fuerint, alterum vero ſecundum ſyſtematicas methodi alicuius receptae regulas, annotatis ſimul loco, vnde ſingulae illae res adductae fuerint, nominibus porro virorum, qui eas muſeo tradiderint, tandemque virtutibus illarum, notatu dignioribus viſis: qui indices, quoque ſuo tempore prelo ſubiecti in vſum publicum edentur, additis tabulis aeri inciſis, nouas res et prae aliis vtiles viſas repraeſentantibus. In harum porro et naturalium et oeconomicarum rerum collectionem publicas lectiones, quibus nimirum cuilibet intereſſe licet, habebunt profeſſores, ita vt per hiemales potiſſimum menſes, quidquid demum ad minerale regnum referri poſſit, ſingulis hebdomadibus bis, ſemel autem, quod artem docimaſticam attineat, publice doceant, quibuscunque ſimul et metallurgicis et phyſicis omni ſtudio factis experimentis. Per aeſtatis autem tempus vegetabile naturae regnum, in primis quod ad plantas, frutices, arbores e. ſ. p. earumque, vſum in re medica et oeconomica pertinere queat exponet artis oeconomicae profeſſor, quem in finem etiam, comitantibus ipſum huius ſtudii et amatoribus et cultoribus, ſemel per ſingulas ſeptimanas in arua atque prata exſpatiabitur, quidquid ipſi vel ex plantis, vel aliis rebus naturalibus, inſectis, amphibiis, variisque et terrarum et lapidum generibus, e. ſ. p. occurrerit, demonſtraturus. Vtrique tamen profeſſori, praeter has publicas, priuatas quoque aperire licet ſcholas, quamcunque demum naturalis hiſtoriae, vel ſcientiae oeconomicae, partem explicare ipſis viſum fuerit. Vt tentamina porro finibus ſuis apta et vtilia eo facilius ſuſcipere et praeſtare, inſtrumentaque, quibus opus forte habeant, comparare queant, ſumtus ad illa neceſſarios quoscunque ex aerario Regis ſoluentur. Euentus in ipſis tentaminibus obſeruatos

cum

cum impenſis, quanti ſteterint, in diario hunc in finem conſcribendo diligenter annotabunt. Quid? Quod inſuper certam aliquam pecuniae ſummam ex aerario munificentiſſimi Regis accipient, qua reliqua impendia, v. c. ad literarum cum eruditis exterarum regionum ineundum commercium, ad augendam et commutandam rerum naturalium ſupellectilem, ad comparandas machinas earumue formas e. ſ. p. facere poſſint. Regia quoque bibliotheca botanica vtendi ipſis data eſt facultas, illique adaugendae alius a Rege Optimo quotannis aſſignatus eſt pecuniae modus, quo ſingularis aliqua in noui huius inſtituti vſum colligatur librorum copia. Ne quid tandem deſit, quod ad praefixos fines aſſequendos vllo modo facere queat, ipſis quoque datur poteſtas, Regis ſumtibus in Danici imperii prouincias ſuſcipiendi itinera, ibique, quidquid ipſis obuenerit finibus ſuis accommodatum, colligendi curandique. Quilibet ex lectoribus noſtris aſſequetur, vel nobis non monentibus, annuum ipſis a Rege tam liberali attributum fuiſſe ſtipendium, quo non tamen ſolum, ſed libera etiam habitationis ſede prope amphitheatrum, et eodem ordinis et honoris loco inter aulae proceres fruentur, quo profeſſores academiae Hafnienſis iam diu cohoneſtati fuerunt. Profeſſores, primo conſtituti, ſunt Cll. Viri, PETRVS ASCANIVS et TYCHO HOLM, vterque Medicinae Doctor: Ille hiſtoriae naturali docendae, hic vero rei oeconomicae praefectus fuit *. Silentio tandem illud haud praetereundum

* TYCHONEM HOLMIVM paulo poſt, quam munus illud auſpicatus fuerit, praematura nimis morte, anno iam ſuperiore 1759, Danorum ſpei, quam de ipſo ſibi fecerant inſignem, ereptum fuiſſe, nunc demum accipimus. Qui ipſum ſecuturus ſit in hoc officio, nondum fuit nominatus.

eundum eſſe arbitramur, quod clementiae ſuae illos potiſſimum commendatos habere velit humaniſſimus Rex, qui vnam alteramue hiſtoriae naturalis aut artis oeconomicae partem ſingulari aliquo ſtudio ſe coluiſſe, vel hoc ipſum muſeum, vtilibus nouisque comparatis vel quoque donatis rebus naturalibus locupletaſſe, comprobare poſſint, procerum huius inſtituti teſtimonio adiuti.

Aliam porro, vſui oeconomico inprimis dicatam, hoc anno *Metis* in ducatu Lotharingiae conditam eſſe legimus academiam, ſub nomine *Regiae Scientiarum et Artium Societatis*, quae proximo die nouembris decimo ſeptimo primum celebrabit conuentum. Eius conſtituendae auctor ſtatorque eſt Celſiſſimus Dux DE BELLEISLE, Supremus gallicarum copiarum Praefectus. Labores autem, quibus ſocietatis membra vacare debent, potiſſimum ii ſunt: vt rationem doceant, qua terrarum varia genera adhuc inculta optime poſſint coli; qua porro alia, culta iam quidem, ſed nullius, vel vilioris certe, vſus, ad meliorem frugem reducantur; vel tandem, qua ex agris fertilibus omnis demumcunque vſus peti queat: vt inſuper in genere vtiliſſimas artes ad ſummum perfectionis gradum euehendas et quoscunque in ſuo terrarum gremio reconditos natura habeat, theſauros eruendos curent, omniaque ad rem oeconomicam amplificandam pertinentia inueſtigent. Vt horum autem ſibi praefixorum finium eo certius potiri poſſint ſocii, iam laudatus ſocietatis ſtator ſexaginta millia pondo gallicorum ſenatui ciuitatis *Metenſis* tradidit, vt reditus inde quotannis colligendi in huius inſtituti emolumentum et conſeruationem impendantur. Inter alia impendia, aureus nummus quadringentorum pondo gallicorum pretii ſingulis annis praemii loco illi dabitur,

qui

qui ab illa Societate propoſitam quaeſtionem optime ſoluerit.

Aureliani quae huc vsque floruit chirurgorum Societas, preces pro ipſa faciente Celſiſſimo Duce Aurelianenſi, a Potentiſſimo Galliae Rege publicas nunc accepit tabulas, quibus Academiam artis chirurgicae in eadem illa vrbe condendi datur ipſi poteſtas, ex qua nuper iam die decimo tertio menſis februarii huius anni 1760 publicas ſuas ſcholas anatomicas aperuit, procerum ciuitatis praeſentia ſimul cohoneſtata.

Perantiqua Vniuerſitas *Vindobonenſis* inſignem experta nuper fuit mutationem, quum theologorum et philoſophorum ordines ſub moderamine eruditorum ex iſta ſocietate, a ſeruatore generis humani appellata, huc vsque conſtituti, aliorum virorum doctorum curae traditi fuerint, inter quos Ill. liberum Baronem VAN SWIETEN a nobis commemorari fas erit, quippe cuius conſiliis atque auctoritate illa munera, quae matheſin atque phyſicam attinent, in poſterum adminiſtrabuntur.

In memoriam reuocare velint lectores noſtri illam quaeſtionem *), ab incognito quodam ſcientiarum et artium cultore vel patrono certe, ad obtinendum quingentorum pondo gallicorum praemium propoſitam, *de arte vitraria* ad ſummam euehenda perfectionem; quod nunc, ex iudicio Regiae Scientiarum Academiae Pariſienſis, optime merentem reportaſſe legimus Virum Cl. BOSC D'ANTIC, Medicinae Doctorem illique Academiae a literarum commercio, ſiue, qui nunc dici ſolent, ex eius *Correſpondentium* numero.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. IV. p. 713.

Quae *Gottingae* floret, Regia Scientiarum Societas, ex oeconomicis, quas ſingulis annis proponere ſolet, theſibus primam huic anno 1760 praefixam, de *rubiginis, frumentum corrumpentis, vera indole atque medela* *), eruendam voluit. Suae autem expectationi ſatisfactum haud fuiſſe in publico nuper habito conuentu declarauit, quam ob cauſſam eiusdem quaeſtionis ſolutionem proxime ſubſecuturo anno 1761 denuo propoſuit, ita vt commentarii de hoc argumento conſcribendi, ante primum diem menſis octobris eiusdem anni debeant ipſi exhiberi. Reliquae nihilo minus ad eundem annum iam olim oblatae quaeſtiones earumque ſolutiones ſimul examinabuntur. Inter eos, quos iam accepit de hoc argumento commentarios Ill. Societas, illi ſine dubio palma fuiſſet adiudicata, cui ſymboli loco addita fuerunt verba: *Solis obſeruationibus et experimentis legitime inſtitutis diſciplinae oeconomicae creſcunt:* dummodo experimenta, ibi allata, ſatis comprobata remediique, contra rubiginem commendati, vires per experientiam confirmatae fuiſſent. Supplendi nunc tamen, quod defecerit, tempus illius diſſertationis Auctor nanciſcitur. Reliquos vero auctores, de hac materia iam exponentes, *rubiginis* atque *vſtilaginis* morbos inter ſe confudiſſe ideoque ſocietatis mentem aſſecutos non fuiſſe, legimus.

Ab *eadem* Ill. Societate in ordinariorum ſuorum ſociorum numerum receptus fuit nuperrime Vir Cl. IO. GEORGIVS ROEDERER, Med. D. Archiater Regius, Med. et Anatomiae Prof. Publ. Ord. Gottingenſis.

Idem

* vid. Commentar. noſtr. Vol. V. P. IV. p. 722.

Idem quoque Cl. ROEDERER a Regia Chirurgiae Academia *Pariſienſi* adſcitus nuper fuit ſocius.

In Academia porro *Gottingenſi* Vir Cl. RVDOLPHVS AVGVSTINVS VOGEL, Med. Doctor eiusdemque ex anno huius ſeculi quinquageſimo tertio huc vsque in eadem academia Profeſſor Extraordinarius, illius nunc et in ſpecie Chemiae, Ordinarius nominatus atque conſtitutus eſt.

Inſuper in eandem Academiam *Gottingenſem* euocatus nuper fuit Berolino Vir. Cl. Prof. DAVIDES SIGISMVNDVS AVGVSTVS BÜTTNER, inter botanicos in primis famam ſui nominis conſecutus, vt in b. ZINNII locum ſurrogatus Profeſſor Publicus Botanices Ordinarius, hanc ſcientiam in poſterum ibi doceat. Num vero iam peruenerit Gottingam hocque nouum munus auſpicatus fuerit, nondum accepimus.

Virum Cl. IOANNEM CHRISTIANVM HEBENSTREIT, Med. D. qui iam ante hos vndecim et quod excurrit, annos *Petropolin* abierit Lipſia, Botanices et Hiſtoriae Naturalis Profeſſoris munus ibi nactus, propter aduerſam vero valetudinem poſt aliquot annos reducem factum, ſanitate autem recuperata, iterum receſſiſſe Petropolin munusque, quo olim functus fuerat, denuo ſuſcepiſſe, iam ſuo tempore retulimus *. Neque hac tamen vice Ruſſici coeli temperiem ferre potuit: quam ob cauſſam, impetrata ab Illuſtriſſimo Academiae Praeſide venia, Germaniam repetiit ſuperiore anno, thermasque Carolinas in Bohemia adiit, a quarum vſu quidem morbi reportauit leuamen: inſtauratae tamen viſae ſanitati diffidens, iterque conuerſum tuto a ſe poſſe

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. I. p. 180.

confici dubitans, a munere Petropoli ipſi impoſito honeſtam petiit miſſionem eamque haud ita pridem, propitia Illuſtriſſimi Academiae Praeſidis voluntate communitam, conſecutus fuit.

Locum a Cl. HEBENSTREIT relictum, Viro Cl. IOSEPHO THEOPHILO KOELREVTER, Med. D. et Hiſtoriae Naturalis in iam dicta Academia Petropolitana huc vsque Adiuncto, iam aſſignatum eſſe accipimus.

Petropoli nuper hoc anno 1760 die viceſimo octauo ianuarii, ſi ad faſtos imperii Ruſſici numeres, vel ſecundum recentiores, die februarii octauo, diem obiiſſe ſupremum Virum inter medicos valde clarum legimus; IOANNEM FRIDERICVM SCHREIBER, Med. D. Auguſtae Ruſſiarum Imperatricis et Autocratricis Conſiliarium Aulae, in noſocomiis Petropolitanis Anatomiae et Chirurgiae Profeſſorem Publicum, Acadd. Petropolitanae et Naturae Curioſorum Socium, de cuius vita cum laude acta et ſcriptis olim pluribus commentabimur, ſi, prout ſperamus, potiora eo pertinentia, ſuppeditata nobis fuerint.

Senio confectus, annorum quippe nonaginta vnius, viuere nuper deſiit *Lutetiae Pariſiorum* Vir de re medica, in primis vero de anatomes cultura, quam maxime meritus, IACOBVS BENIGNVS WINSLOW, Regg. Scientiarum Acadd. Pariſienſis et Berolinenſis Socius, Doctor, qui dici ſolet, Regens Facultatis Medicae Pariſienſis, Anatomiae et Chirurgiae Profeſſor et teutonicae linguae apud bibliothecam regiam Interpres. Singulis quibus fungebatur, muneribus cum laude ſatis faciens, magnam ſui nominis famam adeptus fuit eoque maius ſui reliquit deſiderium.

Locus

Locus membri apud Reg. Acad. ſcient. *Pariſienſem* ordinarii, ſtipendio quippe fruentis, (*de Penſionaire*) iam dicti WINSLOVII obitu vacuus factus, a Pot. Galliae Rege Viro Cl. D'AVBENTON, ipſius Academiae huc vsque iam ſocio, conceſſu fuit, quippe qui hoc laboris praemium ex illa potiſſimum parte mereri videtur, quod illud ſatis iam cognitum opus *de Hiſtoria naturali Regiique Muſei deſcriptione*, adiuuante Cl. BVFFON, exarare in ſe ſimul ſuſcepit magnamque partem iam praeſtitit.

In Academia *Tubingenſi* ſub finem menſis aprilis medio aetatis atque ſpei flore e viuis exceſſit THEOPHILVS BENIAMIN FABER, Medicinae Doct. eiusdemque Profeſſor P. Extraordinarius. Neoſtadii in ducatu Würtembergico natus anno huius ſeculi triceſimo primo, patre ibidem degente, aulae Würtembergicae archiatro. Poſtquam Tubingae in literarum ſtudium incubuerat, eundem in finem anno 1751 petebat Argentoratum; poſt biennium vero Tubingam redux factus, diſſertatione, *qua nouum febrium acutarum ſpecificum Anglicanum* examinans diiudicabat, Praeſide b. IOANNE GEORGIO GMELIN, anno 1753 publice defenſa, Medicinae Licentiatus renuntiabatur. Remedium illud ſic dictum ſpecificum auctorem, vel commendatorem potius, habuit IOSEPHVM CLVTTON, Anglum, qui illud propoſuit in libro *method of curing continued fevers* anno 1729 in forma octaua dicta edito, poſt annos ſex ibidem recuſo, deinque anno 1752 cum Cl. HVXHAMI libro de febribus gallice prodito: *methode courte et aſſureé pour guérir les fiévres continues* * Ad patrem paulo poſt ſe recipiebat Neoſta-

* Paucis iam, data hac occaſione remedium illud commemoremus. Oleorum nimirum, ſulphuris per campanam legitime praeparati, vitrioli rectificati atque

Neoſtadium, ipſius conſiliis adiutus medicinam ibi facturus. Quem finem quoque conſecutus, anno 1755 repetebet academiam Tubingenſem, tumque ibi Medicinae Doctor creatus, paulo poſt Profeſſoris eiusdem ſcientiae munus nanciſcebatur, praematura nunc morte impeditus, quo minus et Academiae iam dictae, et orbi literario vlterius inſeruire poſſet.

Nuperrime tandem, in vniuerſitate *Erlangenſi*, die menſis ſextilis vndeuiceſimo, extremam aetatem adeptus ex hac vita diſceſſit Vir, dum viueret, Clariſſimus, IOANNES FRIDERICVS WEISMANN, Med. D. Sereniſſ. March. Brandenb. Culmbacenſis, Archiater et Conſiliarius Aulae, Medic. Prof. P. Ordinar. Acad. Nat. Curios Socius et ciuitatis Erlangenſis medicus ſiue poliater dictus.

atque ſalis, ponderi aequali triplum horum omnium affunditur ſpiritus vini rectificatiſſimi. Huius ſpiritus per menſem digeſti et ad ſiccitatem deſtillati duabus libris adduntur radicum angelieae et ſerpentariae Virginianae et ſem. cardamomi ana drachmae ſex, vt inde fiat tinctura, cuius tantum, ſi aegro illam propinare velis, inſtillatur aquae purae, quantum ad gratam ipſi conciliandam aciditatem requiritur, addita pro aegri lubitu aliqua ſacchari copia. Aeger nunc illam bibat pro ſitis vehementia; plerumque tamen ſex illius librae viginti quatuor horarum ſpatio ſuffiaciunt, quo tempore vt plurimum aeger, ſudorem expertus, a febre liberari dicitur, quodſi vero ſymptomata tantum ſe remittant, continuetur illius remedii vſus, nunc autem modo parcior; quo facto poſt biduum febris omnis ceſſare ſolere perhibetur.

Memoria

Memoria IOANNIS BOECLERI, Phil. atque Medic. Doctoris, Chemiae, Botanices et Materiae Medicae in Vniuerſitate Argentoratenſi Profeſſoris Publici Ordinarii, Capituli Thomani Canonici.

Quantum haud modo ad imitationem, ſed aemulationem quoque, maiorum valeant exempla et quam egregie illorum merita ſaepius conſequantur poſteri, vtriusque viri, et IOANNIS, et PHILIPPI HENRICI, BOECLERI, a nobis nunc paucis commemoranda vita comprobat *, quippe qui a maioribus partam gloriam in ſe non tantum transmouerunt, ſed eam potius augentes, maiorum laude digniſſimi euaſerunt. *Noſter* nimirum, IOANNES, natus fuit Argentorati anno huius ſeculi decimo, die ſeptembris viceſimo primo, patre itidem IOANNE cognominato, Phil. et Med. D. iisdemque muneribus functo, quibus deinde praeerat filius, nominis ſui inter medicos famam inprimis adepto per *Cynoſuram materiae medicae* a PAVLO HERMANNO editam, a IOANNE SIGISMVNDO HENNINGERO deinde auctam, tandem a ſe fuſius explanatam additisque duobus tomis, quantum fieri poſſet, abſolutam. Auus porro paternus *Noſtro* fuit aeque IOANNES nominatus, Med. D. in Vniuerſitate Argentoratenſi Chemiae Profeſſor P. O. Capit. Thom. Canon. Sacri Palatii Comes et ciuitatis eiusdem Archiater. Proauum porro paternum habuit IOANNEM HENRICVM, I. V. D. S. Caeſar. Maieſt. et Elect. Moguntini Conſiliarium, S. Palatii Comitem et in eadem Vniuerſitate Hiſtoriarum et Eloquentiae Prof. P. O. Abauum paternum

* Praecipua ad vitam vtriusque huius viri pertinentia ex programmate, in amborum memoriam ab Vniuerſitatis Rectore conſcripto, deſumſimus.

num coluit IOANNEM, Cronhemii in Franconia ſacrorum antiſtitem. Atauum tandem paternum habuit IOANNEM, itidem Eccleſiae Cronheimenſis Paſtorem. En ſeries maiorum et munerum et meritorum dignitate conſpicuorum, quorum vnus alteri fructuoſum, quod imitaretur, praebuit exemplum! Quamuis itaque a teneris inde corporis infirma *Noſter* vteretur valetudine, docile tamen a natura nactus ingenium, veſtigia patrum ſollertiſſime premebat. Poſtquam enim et parentum et aliorum praeceptorum priuata fruitus fuerat inſtitutione, nouem annorum puer patrio tradebatur gymnaſio multaque ſingularis diligentiae exhibebat documenta. Quo fiebat, vt aetatis anno iam decimo quarto inter ciues vniuerſitatis patriae poſſet recipi.

Humanioribus, quas dicunt, literis a nouo hoc, quem inceperat nunc, ſtudiorum curſu totum ſe tradens, hiſtoriam literariam, logicam et metaphyſicam a IOANNE PHILIPPO BARTENSTEINIO, hocque poſt aliquod tempus pie defuncto, a IOANNE IACOBO WITTERO accipiebat, ſub cuius praeſidio non priuatim ſolum ſaepius quaeſtiones academicas diſputando ventilabat, ſed publice etiam anno ſeculi triceſimo *de principatu philoſophiae* conſcriptam defendebat diſſertationem. Hiſtoriam porro regnorum politicam, antiquitatum et purioris latini ſermonis cognitionem ex lectionibus tum eiusdem illius WITTERI, cum IO. DANIELIS SCHOEPFLINI, GEISLERI et FRIDERICI IACOBI REVCHLINI hauriebat, cuius inprimis poſterioris ſingulari inſtitutione priuata gaudebat; graeca inſuper ex ore IO. HENRICI LEDERLINI accipiens. Quibus quaſi praeparantibus dicendis literis bene inſtructus, ad propoſitum ſibi finem propius nunc accedebat. IOANNEM igitur HENRICVM HERTENSTEIN, matheſeos praecepta expli-

explicantem, et IOANNEM IACOBVM SACHSIVM, phyſicam et theoreticam et experimentalem tradentem, audiebat atque SACHSIO moderatore diſſertationem *de natura* publice defendebat. Experimenta quoque phyſica ſaepius repetendi aliaue inſtituendi frequentiſſima gaudebat occaſione apud patrem ſuum tum temporis adhuc viuentem, quo igitur in omnibus medicinae partibus praeceptore vtebatur et doctiſſimo et fideliſſimo. Praeter hunc vero alios etiam ſalutaris artis doctores adibat. A IOANNE enim SALZMANNO praxin ſic dictam clinicam, chirurgiam, aliasque plures doctrinas medicas. potiſſimum vero anatomiam, docebatur. Cadauera autem ſecanti praeceptori non adſiſtebat tantum, ſed, quum ſingulari in anatomen ferretur cupidine, manum ipſe admouebat ſectionibus corporisque fabricam frequenter diſſecando perluſtrabat. Inſuper HENRICI ALBERTI NICOLAI demonſtrationibus anatomicis atque chirurgicis intererat eoque duce operationum, quas dicimus, chirurgicarum vſum atque modum ſibi cognitum reddebat. Quam priuato autem ſtudio ſibi huc vsque comparauerat ſcientiam, eam quoque nunc publice declarabat *primo*, quod dicebat, *ſpecimine de neglecto remediorum vegetabilium, circa Argentinam naſcentium, vſu*, anno 1732 publice propoſito atque ſub patris praeſidio defenſo; altero vel *ſecundo* dicto eiusdem argumenti *ſpecimine* proxime ſubſequenti anno poſt exhibito, quo Doctris Medici honores in patria vniuerſitate conſequebatur.

Qua nunc dignitate exornatus, ſcientiae acquiſitae ambitum extenſurus, eodem anno 1733 Lutetias Pariſiorum adibat et in conſuetudinem celeberrimorum virorum, DE IVSSIEV, WINSLOW, LEMERY, BOLDVC, ſe inſinuans, inſignem inde fructum percipiebat. Prae aliis vero FRANCISCI IOSEPHI HVNAVLD ſingularem fauorem ſibi gratu-

gratulandi nactus facultatem, ipſius demonſtrationibus et anatomicis et chirurgicis in horto regio habitis, non intererat ſolum, ſed anatomes ſtudium et ſic dictas operationes chirurgicas manu ſua exercendi ab ipſo poteſtatem copiamque cadauerum accipiebat. Per integrum fere annum commorabatur Lutetiae ibique reliquum a ſtudiis medicis tempus bibliothecis, cum Regiae, tum aliis, horto egio atque noſocomiis publicis viſitandis, impendebat. Ad ſuos autem reuertens, anno 1734, in Medicorum Collegium Argentinenſe receptus, medicinam ibi quidem faciebat inter aegros; reliquos tamen labores ſuos ciuium vniuerſitatis patriae vſibus accommodabat. Quam ob rem eodem quoque anno phyſicam publice profitendi munus ab Illuſtri Conuentu Academico, qui dici ſolet, ſibi demandatum accipiebat, quod eodem anno die nono decembris inaugurali oratione *de praeſtantia phyſices* auſpicabatur. Praeter medicas igitur doctrinas, quas ex conſenſu Medicorum Ordinis, cui intererat ſocius, iuuentutem academicam docebat, phyſicam in primis, cum theoreticam, tum experimentis confirmatam, et publice et priuatim magno cum applauſu tradebat inque enucleandis potioribus phyſicorum controuerſiis viros iuuenes diſputando exercebat, quin et ſolemniore modo publice quasdam de rebus phyſicis conſcriptas diſſertationes exhibebat: *de montibus* nimirum, *de aurora boreali*, *de uniuerſa meteorologia*.

Quem ingreſſus nunc fuerat, vitae curſum ſtrenue ſequebatur ad annum ſeculi vsque triceſimum octauum, quum IOANNIS SALZMANNI, ſui olim praeceptoris, obitu medica cathedra vacua facta ipſi traderetur. Chemiae igitur, Botanices atque Materiae Medicae Profeſſor Ordinarius conſtitutus, eo maiore nunc amore, atque ſtudio in excolendas illas ferebatur doctrinas, quo gratius illud ipſi erat

munus,

munus, quo pater auusque olim iam cum laude functi fuerant. Paucis itaque diebus poſt, quam electus fuerat, demandatum ſibi officium ſuſcipiebat, habita inaugurali oratione *de botanica rite excolenda.* Ex quo tempore omni ſtudio, quantum debiliores corporis vires permittebant, illud omne conferebat, quo et artis tironibus, et aegris, et totius vniuerſitatis emolumento inſeruiret. Itaque non in omnes ſolum artis ſalutaris partes lectiones habebat et publicas et priuatas; ſed aliquot etiam edebat diſſertationes, publica ventilatione defenſas, quippe quae ſunt: *De coriandro: Decas theſium medicarum controuerſarum: Quaeſtio an nitrum reſoluat aut coagulet? Quaeſtiones medicae varii argumenti: De cinnabari factitia vulgari cinnabari natiuae et antimonii non ſolum aequiparanda, ſed et praeferenda.* Inter alios vero, quibus publicam laudem meruit, labores eum quoque referendum eſſe omnino iudicamus, quod nouam editionem ſic dicti diſpenſatorii ſeu pharmacopoeae Argentoratenſis emendatae, a nobis quoque ſuo tempore laudatae * adiuuerit. Cuncta igitur praeſtitit, quae debuit atque potuit, ita vt plura ab illo expectare potuiſſemus, dummodo longior ipſi vita fuiſſet conceſſa. Infirmum autem, quo a cunabilis inde vſus fuerat, neruorum ſyſtema frequentium corporis aegritudinum, quibuſcum ſemper conflictatus fuerat, fons et origo ipſi extitit, donec abhinc ſex menſibus ante mortem aſthma ipſum corriperet ſpaſticum, quod tandem in catarrhum ſuffocatiuum tranſiens, die maii vndeuiceſimo anni ſuperioris 1759 aegrimoniis optimi viri ſimulque vitae finem impoſuit. Ex rebus ad eum pertinentibus domeſticis illud etiam narrare liceat, quod ex priore matrimonio cum lectiſſima virgine, CATHARINA SALOME nata

MAPPIA,

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. III. p. 428.

MAPPIA, anno 1737 contracto, duos quidem filios tresque filias ſuſceperit, ex quibus tamen vnum modo filium, IOANNEM, Medicinae Candidatum virtutumque patris ex aſſe heredem, duasque filias, ſuperſtites reliquit. Suauiſſima hac quidem coniuge anno 1743 per mortem ipſius praematuram orbatus, alterum, quo minus a literis nimium diſtraheretur per curas domeſticas, ſub exitum anni 1745 iniit matrimonium cum ornatiſſima vidua, AGNESIA REISSEISEN, nata SILBERRADIA, ex qua vero ſuſcipiendi prolem felicitate numquam gauiſus fuit.

Memoria PHILIPPI HENRICI BOECLERI, Phil. et Medic. Doctoris, Anatomiae et Chirurgiae in Vniuerſitate Argentoratenſi Profeſſoris Publici Ordinarii, Acadd. Caeſar. Naturae Curioſorum, Reg. Scient. Monſpelienſis et Elector. Moguntinae Scientiarum Vtilium, Socii.

IOANNEM BOECLERVM, cuius vitam atque merita iamiam expoſuimus, non aliqua tantum attigit *Noſter*, PHILIPPVS HENRICVS, neceſſitudine munerumque propinquitate: ſed meritorum quoque excellentia, illi, niſi anteferendus fuerit, certe tamen non poſtponendus fuit vmquam. Solida enim vaſtaque vniuerſae artis ſalutaris, anatomes tamen inprimis, aliarumque multarum medicum ornantium ſcientiarum cognitio, indefeſſus labor atque integerrimum et vniuerſitatis, cuius membrum erat, et aegrorum, qui frequentiſſimi curam eius atque conſilia expoſcebant, emolumento atque ſaluti inſeruiendi ſtudium, ſimulque ſumma humanitas atque comitas, inſignem ipſi conciliauerant apud omnes gratiam: ideoque magnum ipſius nunc deſiderium effecerunt apud magnates muſarumque

antiſtites,

antiſtites, apud ciues academicos totiusque ciuitatis Argentinenſis, apud omnes denique viros bonos ſcientiarum morumque cultores. Ex merito igitur nimis praematuram eius mortem lugent patria ipſius et omnis orbis literatus, quippe qui plura eruditionis ſpecimina numerumque iuuenum doctorum medicorum multo inſigniorem ab ipſo expectare potuiſſet, dummodo licuiſſet ipſi diutius viuere. Eo dignior tamen fuit, cuius memoria poſteris commendetur. Natus erat Argentorati anno huius ſeculi decimo octauo die decembris decimo quinto, patre, IOANNE HENRICO, Medicinae Doctore atque practico, et matre, MARIA SVSANNA ex SALTZMANNIANA ſtirpe orta. Auum paternum coluit IOANNEM PHILIPPVM, aerarii publici Quaeſtorem et rei monetariae Praefectum; proauum porro paternum, IOANNEM HENRICVM, I. V. D. Hiſtor. et eloqu. in vniuerſitate Argentoratenſi Profeſſorem P. O. S. C. Maieſt. et Elect. Moguntini Conſiliarium; abauum tandem atauumque paternum, vtrumque IOANNEM, Cronheimenſis eccleſiae in Franconia Paſtorem, ſupra iam in IOANNIS BOECLERI vita commemoratum. Purioris ſacrorum doctrinae et literarum prima principia a tenera iam aetate priuatim edoctus a praeceptoribus, tam hilares iam fecerat progreſſus, vt vix ſeptem annorum puer in gymnaſium patrium introduceretur. Adoleſcens nunc optimae ſpei et parentum, et praeceptorum, ſatis faciebat expectationi. Alacre enim et docile a natura nactus ingenium, ſummamque comprobans diligentiam, poſt ſeptem iam annos iudicabatur dignus, qui non ſolum die decimo quarto aprilis anno 1732 ab vniuerſitatis patriae Rectore, IO. IAC. SCHERZIO in numerum ciuium academicorum reciperetur; ſed eodem adhuc menſe, praegreſſis tentaminibus conſuetis, a IO. HENRICO LEDERLINO,

linguae Graec. et Hebr. Prof. P. O. philoſophiae ſacris initiatus, eiusdem et liberalium artium Baccalaureus ſolemni ritu crearetur. En praecocis et feliciſſimi ingenii documentum!

Medicis nunc quidem olim pertractandis ſtudiis applicabat animum, medici autem, non niſi docti honorem aucupaturus, illis ab initio ſtudium omne dabat ſcientiis, quae non viam ſolum ſternunt ad artem medicam, ſed quae ornant quoque medicum eumque aliis faciunt gratiorem. Itaque iam dicti LEDERLINI, graeca tradentis, frequentabat lectiones eoque duce veteres ſcriptores graecos, AELIANVM in primis, EPICTETVM atque HOMERVM cum fructu legere diſcebat. Cum graecis combinabat latinorum auctorum lectionem, eorumque non ſermonis tantum lepores, ſed rerum etiam, quas continent, copiam, cum Romanarum antiquitatum ſimulque hiſtoriae vniuerſalis notitia a IO. DAN. SCHOEPFLINO accipiebat; quo moderatore etiam vtebatur in exercitiis oratoriis et venuſtiore latine dicendi ſcribendique genere acquiquirendo. Hiſtoriam philoſophicam et literariam dictam vti et vniuerſam philoſophiam ex IO. IAC. WITTERI et IO. DAN. OSTERRIEDII lectionibus hauriebat. Propiusnunc ad excolendum artis ipſius medicae ſtudium accedebat. Porta igitur ad illam pandebatur a GEORGIO HENRICO EISENMANNO et IOANNE BOECLERO, quippe qui ſcientiam rerum naturalium phyſicam, tum quae experiundo, cum quae ex artis iam cognitae principiis intelligitur, ipſi tradebant. Quosnam vero omnibus his in doctrinis feciſſet profectus, publice demonſtrandi ſaepius quidem habebat occaſionem: ſolemniore autem modo illud comprobabat, quum ſuper diſſertatione *de aurora boreali* conſcripta, IOANNE BOECLERO Praeſide, anno 1736 publice diſputaret. Conſequebatur etiam et hoc diligentiae ſuae et

erudi-

eruditionis et aliis ſpeciminibus, quae in examinibus coram ordine philoſophorum edebat, ſecundam lauream philoſophicam, eodem quippe anno artium Magiſtri et Philoſophiae Doctoris titulo atque honore cohoneſtatus. Pari nunc ſtudio, quo literis ab humanitate dictis huc vsque vacauerat, in artem medicam incumbebat, fideliſſimos pariter ac doctiſſimos ibi duces offendens. A GEORGIO nimirum HENRICO EISENMANNO vniuerſam accipiebat anatomen eique operationes chirurgicas adminiſtranti adſiſtebat; eodem quoque auſpice, duce autem dexterrimo HOMMELIO, cadaueribus diſſecandis manum ipſe admouebat. Hoc etiam viro vtebatur in addiſcendis ſic dictis inſtitutionibus medicis praxeosque excolendae peritia attingenda. IOANNES SALTZMANNVS politiam medicam et pathologiam; IO. IACOBVS SACHSIVS autem botanicam, chemiam, materiam medicam, formulas medicas praeſcribendi methodum, therapiam ſpecialem, caſibus potiſſimum aegrorum inueſtigandis applicandam, ipſum docebant. IOANNEM BOECLERVM, ex proauo fratrem patruelem, per integrum luſtrum ſequebatur doctorem in plantis accuratius cognoſcendis, materia medica et chemia percipiendis. Sub eiusdem quoque viri praeſidio *decadem theſium medicarum controuerſarum* anno 1741 publice iterum defendebat. Paulo poſt Argentinenſium Medicorum Ordini, vt profectus in ſalutari arte acquiſitos tentaret, ſeſe ſiſtebat ab eoque cum laude dimiſſus eodem anno die iunii triceſimo inauguralem a ſemet ipſo exaratam *de ſomni meridiani ſalubritate* diſſertationem publice contra diſſentientes viros ſine praeſide tuebatur. Altero tandem anno poſt 1742 die vndeuiceſimo aprilis Doctoris Medici honores atque iura impetrabat, problemate antea, *cur medicina* VIRGILIO *Aeneid. Lib. XII. v.* 397. *mutae artis titulo inſigniatur*, reſoluto. Quem

honorem conſecutus, altero iam ſtatim die Collegio Medico Argentoratenſi Socius adſcribebatur.

Quemadmodum vero animus nobilis ſciendique cupidus in cognitae iam ſapientiae limitibus numquam fere ſolet conſiſtere, ſed illis extendendis ſemper intentus eſt: ſic et *Noſter* cognitionis ſuae theſauros, quantum demum poſſet, vlterius amplificaturus, literarium iter ad exteros ſuſcipiebat: quod itaque ab initio ad totius regni gallici metropolin, Lutetiam Pariſiorum puta, dirigebat. Poſtquam ibi cuncta viſu notatuque digna percontatus fuerat, eum inprimis ſibi proponebat finem, vt in vſum atque conſuetudinem virorum eruditionis aliorumque meritorum fama atque laude inſignium perueniret. Omnia etiam, quae volebat, aſſequebatur. A celeberrimis enim in arte viris, HVNAVLD, FERREIN, WINSLOW, priuatim aeque ac publice anatomen demonſtrantibus, permultum capiebat vſus et ex illis viris FERREIN inſuper in phyſiologicis, chirurgicis et practicis lectionibus cum fructu audiebat. Ad ſtudium botanices et hiſtoriae naturalis vlterius proſequendum, non ſolum ANTONIVM DE IVSSIEV, plantas in horto regio exponentem, per duas aeſtates ſequebatur, ſed et fratrem ipſius, BERNHARDVM DE IVSSIEV, excurſiones botanicas inſtituentem, ſemper comitabatur, ab vtroque illo viro ſingulari fauore et amicitia exceptus. Eo quoque alacriori ſtudio in rem herbariam incumbebat, quo magis aliorum, quibus amicitiae vinculo iunctus erat, incitabatur exemplo, Cll. nimirum GVETTARD, PLOT, BAECK Sueco, et MACMAHON Hiberno. In chemia vtebatur inſtitutione LEMERY, BOVRDELIN, ROVELLE et GROSII. In arte chirurgica expertiſſimos eligebat ſibi magiſtros, MORAND, FAGET, St. YVES, LE DRAN, BOVDOV, VERDIER, HEVIN, atque FOVBERT, cuius vltimi inprimis fauorem expertus, eo duce

eo duce operationes perficiendi chirurgicas artem non priuatim ſolum diſcebat ſed in xenodochio etiam a *charitate* dicto, colebat. Vincula rite applicandi chirurgica methodum docebat ipſum LA SERRE. Quod praxin attinebat medicam, in ea quoque proficiendi nanciſcebatur occaſionem, quum LEMERY et COL DE VILLARS in noſocomium *Hôtel de Dieu* dictum, LE HOC autem in aliud a *charitate* appellatum, aegrorum curam gerentes, comitari ipſi liceret. Aditus ei quoque patebat ad medicum practicum tunc temporis famigeratiſſimum, HAMMERER; ſicuti etiam practicas lectiones ASTRVC frequentabat. Nec phyſicas Abbatis NOLLET lectiones, neque muſeum DE REAVMVR inſectorum copia ditiſſimum viſitandi negligebat opportunitatem. Inter fauſta denique Pariſiis ipſi obuenientia illud quoque referebat, quod conuentibus Regiae ſcientiarum Academiae aliquoties intereſſe liceret.

Omnibus igitur his felicitatis generibus ſummo cum fructu fruitus, menſe auguſto 1743 Pariſinis muſis vale dicens, iter ſuum ad meridionales Galliae prouincias perſequebatur et vbiuis locorum et doctorum, quos inueniebat, virorum ſibi comparabat amicitiam, et omnia, tum antiqua Romanorum monumenta in Occitaniae prouincia potiſſimum frequentius obuia, tum ex aliis cauſſis memoratu digna oculis perluſtrabat. Quum per Aquas Sextias traiiceret, cum celebri illo anatomico LIEVTAVD de inuentis ipſius anatomicis vtiles miſcebat ſermones. Maſſiliae autem praeter alios viros doctos, ſalutabat PEZENAS e Soc. Ieſu eique experimenta phyſica, in primis microſcopicas obſeruationes inſtituenti ſaepius a latere erat. Montem Peſſulanum petens, cum DE SAVVAGES tam fructuoſam contrahebat amicitiam, vt ſemper deinde cum celeberrimo illo viro literarum commer-

eium coleret. A reliquis etiam academiae ibidem florentis profeſſoribus, in primis autem a curiae et academiae Praeſide, DE BON, humaniſſime excipiebatur, cuius etiam curioſiſſimum rerum naturalium muſeum ſaepius inſpiciendi gaudebat poteſtate. Qua etiam felicitate Lugduni fruens, OLIVIER et PESTALOZZI, vtriusque medici doctiſſimi, muſeum prae reliquis rerum naturalium theſauris, conchyliorum marinorum ſpeciebus in lapides mutatis ſuperbiens, ingrediebatur. Vtiliſſimo tandem hoc itinere finito, pridie calendas ianuarii anno 1744 ad ſuos redibat ſoſpes felixque Argentoratum.

Omnem igitur nunc ſcientiarum, quas ſibi comparauerat, copiam in ciuium impenſurus emolumenta, non medicinam ſolum faciebat inter aegros, ſed eam quoque artis tirones cum applauſu docebat; vacuum vero tempus phyſicis tentaminibus inſtituendis tribuens, Phyſices Profeſſoris, GRAVELI, viri integerrimi, pulcherrimo inſtrumentorum apparatu atque conſiliis adiutus. Quo fiebat, vt ſub initium anni 1748 vnanimibus procerum ſuffragiis Profeſſoris Medicinae Extraordinarii munus ipſi demandaretur, quod eodem quoque anno, inaugurali oratione *de medicina per nouiſſima inuenta ad maiorem certitudinem euecta*, die viceſimo ſecundo menſis auguſti habita, auſpicabatur. Quas igitur ex voluntate ſua huc vsque habuerat lectiones medicas, eas nunc vi muneris eadem diligentia eodemque certe, niſi maiori, ſtudio tradebat. Vt de priuata etiam ipſius induſtria conſtaret publice, diſſertationem, *thyroideae thymi atque ſuprarenalium glandularum in homine naſcendo et nato functiones* explicantem, anno 1753 edens, ex cathedra medica defendebat. Fieri itaque non poterat, quin ſibi exiſtimationem atque fiduciam apud ciues et collegas atque magnates conciliaret. Quum enim ſummi rei iudiciariae, aedilitiae aerariaeque, in Alſatia

Praefecti,

Praefecti, Illuſtriſſimi Baronis DE LVCE, cura in tribus poſt Argentoratum primariis Alſatiae vrbibus crearentur amphitheatra anatomica, in quibus chirurgicae artis ſtudioſi iuuenes docerentur anatomen atque chirurgiam, cum aliis viris doctiſſimis *Noſter* quoque nominabatur, qui ad ſubeunda *Demonſtratorum* munera concurrentes candidatos tentaret, dignos ſeligeret eosque in pharmaciae chirurgicae artisque theoria erudiret. Ad exteros etiam de meritis *Noſtri* fama perueniebat breui tempore, adeo vt anno 1755 ab Academiis Naturae Curioſorum et Electorali Moguntina, et ſequenti anno 1756 a Regia Scientiarum Societate Monſpelienſi, in ſociorum ſuorum numerum reciperetur, inſuper anno 1755 in arctius Collegium Medicum Argentinenſe cooptatus.

Interim accidit, vt Logices ac Metaphyſices cathedra in philoſophorum ordine vacua fieret, quam cui, *Noſtro*, digniori aſſignarent, patres academiae conſcripti, neſciebant. Quamuis igitur arti tantum ſalutari ſeſe dicaſſe videretur, hancce tamen ſibi oblatam ſpartam vt recuſaret, tantum aberat, vt illam potius paulo poſt ſuſciperet ſolemni oratione die ſexto aprilis anno 1756 habita, *de logica fidiſſima medicorum mechanicorum cynoſura*. Quum illud autem munus vix ſubiiſſet eique ſatis faciendo omnem adhibere incepiſſet operam, ex voluntate procerum ad medicam iterum auocabatur cathedram eodemque anno Anatomes atque Chirurgiae Profeſſoris Publici Ordinarii officium ipſi demandabatur, cui iuſſui quoque obtemperans nouam ſibi oblatam prouinciam eodem anno 1756 die nouembris decimo capeſſebat oratione publice dicta, *qua Procerum et Medicorum Argentoratenſium in anatomen merita* depraedicabat. Ex quo tempore haud interrupta aſſiduitate, omni ardore et ſingulari dexteritate,

quae ab ipſo expectari poterant, officiorum genera exſoluebat ita, vt aliis potius, quam ſibi, vixiſſe dicendum ſit. Quamquam enim ſatis infirmum a natura nactus fuerat corpus, omne tamen tempus vel laboribus academicis, vel aegrorum valde frequentium in vrbe auxilium ipſius implorantium, ſolatio et curae impendebat. Praeter conſuetos, quos munus academicum expoſcebat, labores ad alios quoque vocabatur, ex quibus illum modo iam commemoremus, quod renouando et corrigendo diſpenſatorio argentoratenſi et taxae, quae dicitur, medicamentorum conſtituendae, operam ſuam adhibuerit. Iis vero, quibus obrutus erat, negotiis nimiis, quum corporis vires non reſponderent, cito ſuccumbebat. A iuuenili enim iam aetate hepatis vitio et inde oriundo ictero, pulmonum porro labe aliisque ex hoc impuro fonte profluentibus malis laborauerat; anno tamen ante mortem proximo febrim acutam ſuperabat. Subſequentis autem anni eodem tempore laterum dolore inflammatorio, ab arthritidis vagae leniſſimo inſultu paulo antea inuadente, nunc ad pectus conuerſo, correptus, quarto morbi die, qui ſeptimus erat menſis iunii anno ſuperiore 1759, nimis praematura morte opprimebatur. Dum viueret, omnium ſibi conciliauerat amorem: ſui itaque etiam poſt mortem apud omnes reliquit deſiderium. Poſteros non reliquit. Matrimonium quidem iniit anno 1748 cum virgine lectiſſima, CHRISTINA SALOME, BECKIA nata, nunc vidua, ex qua filiolam tantum ſuſceperat, quae etiam vix nata ex hac vita denuo receſſit.

XX. Con-

XX.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1758 prodierunt.

IOH. DANIEL DENSO, *phyſicaliſche Bibliothek 1ſten Bandes 8tes Stück, mit nöthigem Regiſter über den gänzen erſten Band verſehen. Roſtock*, 8.

IOAN DESCEMET, Quaeſt. med. an vteri contractio praecipua parturitionis cauſa? Reſp. *Petr. Ioan. Claud. Mauduyt de la Varenne*. Pariſ. 4.

IOAN. PETR. DESPOLET, Quaeſt. medico-chirurg. an cauterium actuale negligendum, potentialibusque aliquando praeualeat? Monſpelii.

Expoſition exacte, ou Tableaux Anatomiques en taille-douce, des differentes parties du corps humain: Ouvrage contenant environ ſoixante planches, recueillies d'apres les meilleurs Auteurs du temps qui ont travaillé dans ce genre, et enrichi de pluſieurs nouvelles figures très-curieuſes et fort vtiles, concernant les Accouchemens, les Hernies et autres cas particuliers, rendues auſſi exacte qu'il à été poſſible, par les ſoins de FRANÇOIS-MICHEL DISDIER, le tout exécuté par ETIENNE CHARPENTIER, Graveur Anatomiſte. à Paris. fol.

Mémoires pour ſervir à l'Hiſtoire Naturelle des Plantes, dreſſées par M. DOART. Avec les Deſcriptions de quelques Arbres et de quelques Plantes de Malaques par le Pere de BEZE. à Amſterd. et Leipzig. 4. c. f.

Avis tres-important au Public ſur differentes eſpeces de Corps et de Botines d'une nouvelle invention par DOFFEMENT. à Paris. 12.

Eſſai ſur l'Hiſtoire Naturelle de la Mer Adriatique, par le D. VITALIANO DONATI avec vne lettre du D. LEONARD SESLER ſur vne nouvelle eſpece de Plante terreſtre, traduit de l'Italien. à la Haye. 4. c. f.

Manuel

Manuel Phyſique, ou Maniere courte et facile d'expliquer les phénomenes de la Nature, par M. JEAN FERAPIE DUFIEU. à Lyon. 8.

EBENBITAR de limonibus. Tractatus arabicus in latinum verſus ab ANDREA Bellunenſi, typis primum euulgatus à MARTINO GHISIO, dicatus PAVLO VALCARENGHI. Cremonae. 4.

Eandem huius libri editionem, cui editio Veneta anni 1583 *et Pariſina* 1602 *additae fuere, eodem anno Cremonae denuo prelo ſubmiſit et annotationibus practicis locupletauit* PAVLVS VALCARENGHI.

BALTHASAR ERHART, *oeconomiſche Pflanzenhiſtorie, nebſt dem Kern der Landwirthſchaft, Gartenbau und Arzneykunſt 6ter Theil, nebſt dem Regiſter über den* 4, 5 *und 6ten Theil. Ulm und Memmingen.* 8.

Eſſai ſur les Maladies Veneriennes, ou l'on expoſe la méthode de M. PETIT, dans leur Traitement, avec pluſieurs conſultations du même Auteur ſur ce maladies; par M. FABRE. à Paris. 12.

Select Caſes in ſurgery collected in St. Barthelemys hoſpital by JAMES FARMER. London. 8.

PETR. FEAU Theſ. med. de putredine. Monſpelii. 4.

LVDWIG FEVILLEE *Beſchreibung zur Arznay dienlicher Pflanzen, welche in den Reichen des mittägigen Amerika im Gebrauch ſind. Zweyter Theil, aus dem Franzöſiſchen überſetzt von* D. G. L. HVTH. *Nürnberg.* 4. *m. K.*

Traité des Maladies des Femmes: traduit du Latin de M. FIZERALD. à Paris. 12.

Traité des Fievres, traduit du Latin de M. FIZES par M. D *** *ibid.* 12.

ANTONII FRACASSINI opuſcula pathologica, alterum de febribus, alterum de malo hypochondriaco, recuſa cum indice. Lipſiae. 4.

BENIAMIN FRANKLINS *Briefe von der Electricität; aus dem Engliſchen überſetzt, nebſt Anmerkungen von* I. C. WILKE. *Stockholm.* 8.

IOAN. LEONH. GASMANN, Diſſ. de ſcirrho vteri. Argentorati. 4.

Inſtitutiones pathologiae medicinalis auctore H. D. GAVBIO. Leidae Batau. 8 mai.

PEHR ADRIAN GEDD, Tankar om ſkadelige Froſtnätter och Froſtnaettens vpodling. Stockholm.

IOAN. CAR. GEHLER, Diſſ. inaug. Horror vt ſignum. Lipſ. 4.

Chimie Metallurgique dans laquelle on trouvera la Théorie et la Pratique de cet Art, avec des experiences ſur la denſité des Alliages des Métaux et des Demi-metaux, et un abrégé de Docimaſtique avec figures par M. C. E. GELLERT. Ouvrages traduits de l'Allemand. à Paris. 12. Voll. 2.

STEPH. LVDOV. GEOFFROY, Quaeſt. med. an in empyematis operatione ſcalpellum acu triangulari praeſtantius. Reſp. *Ludou. Mar. Girard. de Villars.* Pariſiis. 4.

IOH. GESNERI tractatus phyſicus de petrificatis in duas partes diſtinctus, quarum prior agit de petrificatorum differentiis et earum varia origine, altera vero de petrificatorum variis originibus, praecipuarumque telluris mutationum teſtibus. Lugd. Bat. 8.

MATTH. VAN GEVNS, de eo, quod vitam conſtituit in corpore animali, diſquiſitio phyſiologica. Amſtelod. 4.

L'Agrimenſore inſtruito, opera di FRANCESCO MARIA GIRRI. in Venezia. 4.

IOH. FR. GLASERS *Beſchreibung ſeiner neu erfundenen Blutwage und Blutmeſsgeſchirres, womit man beym Hand und Fuſsaderlaſſen, das Blut, ob es ſchon unter das dabey gebräuchliche Waſſer läuft, dennoch*

ſo

ſo bald von Loth zu Loth richtig und ſehr nützlich wägen und meſſen, auch ſonſt durch einen angewieſenen Vortheil unter dem Waſſer abgeſondert allein auffangen kan. Hildburgshauſen. 8. *m. K.*

Eiusd. *Nützliches Verhalten bey der ietzo in Teutſchland regierenden Fleckfieber-Seuche, um ſie zu verhüten und wieder zu dämpfen, entworfen.* ibid. 8.

PHILIP. FRID. GMELIN, Diſſ. inaug. de irritabilitate animali. Reſp. *Iacob. Eberh. Andreae.* Tubingae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de influxu fodinae Bularienſis. Würtenbergicae in acidulas Deinacenſes. Reſp. *Franc. Chriſtian. Lud. Fromman.* ibid. 4.

Caſes and Practical Remarks in Surgery with Sketches of Machines of ſimple conſtruction; eaſy application an approved vſe by BENIAMIN GOOCH. London, 8 mai.

Lettre de M. le Chevalier GOVDAR à vn Academicien de Paris, au ſujet de la nouvelle Charue à ſemer, 12.

IO. DAVID. GRAV, Diſſ. inaug. de mutationibus ex aeris calore diuerſo in corpore humano oriundis. Reſp. *Georg. Henr. Wideburg.* Ienae, 4.

IOH. FRID. CAR. GRIMM, Diſſ. inaug. de viſu. Gotting. 4.

Voyages aux Indes Orientales par IEAN HENR. GROSE, traduit de l'Anglois par M. HERNANDEZ, l'un des Auteurs du Journal Etranger. à Ryſſel et Paris, 12.

Lettera del D. GIOSEFFO GROSSATESTA ad un amico ſu l'apparechio grande lateralizato. in Modena, 4.

IOH. AVG. GROTIANS *Vollſtändige Abhandlung vom Baue der Levcojen, Nelken und Aurikeln. Nordhauſen,* 8.

IOH. FRID. GRVND, Diſſ. inaug. de ſecretione. Gotting. 4.

Hiſtoire

Hiſtoire naturelle, civile et geographique de l'Orenoque et de principales Rivieres qui ſ'y jettent, dans la quelle on traite du Gouvernement, des Uſages et des Coutumes des Indiens qui l'habitent, des Animaux, des Arbres, des Fruits, des Reſines, des Herbes et des Racines médicinales, qui naiſſent dans le Pays, par le P. JOSEPH GVMILA, traduit de l'Eſpagnol ſur la ſeconde Edition par M. EIDOVS. à Avignon. 12. Voll. 3.

ANTONII DE HAEN, Ratio medendi in noſocomio practico; quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA. Pars III. Vindobonae, 8.

Storia de Vegetabili etc. Opera del D. STEFANO HALES, tradotta dall' Ingleſe, con varie annotazioni. Napoli, 8. (*In hanc italicam linguam transtulit hunc librum femina quaedam in orbe litterario ſatis celebris* MARIA ANGELLA ARDINGHELLI.)

Deux Memoires ſur la formation des Os, fondés ſur des experiences par ALB. DE HALLER, à Lauſanne, 12.

Sur la formation du Coeur dans le Poulet; ſur l'Oeil; ſur la ſtructure du Jaune etc. Premier Memoire expoſé des Faits par *le même.* ibid. 12.

Sur la formation du Coeur dans le Poulet; ſur l'Oeil; ſur la ſtructure du Jaune etc. Second Mémoire précis des Obſervations ſuivies de reflexions ſur le developpement: avec un Mémoire ſur pluſieurs Phénomenes de la Reſpiration par *le même.* ibid. 12.

Diſputationes ad morborum hiſtoriam et curationem facientes. Quas collegit, edidit et recenſuit ALBERTVS HALLERVS. Tomus IV. V. VI. ibid. 4 mai. c. f. Voll. 3.

Collection

Collection de Theſes Medico-Chirurgicales ſur les Points le plus important de la Chirurgie Théorique et Practique, recueillies et publiées par M. le Baron DE HALLER et rédigées en François par M * * *. Tome II et III. à Paris, 12. Voll. 2.

La Phyſique des Arbres; ou il eſt traité de l'Anatomie des Plantes et de l'Economie végétale: pour ſervir d'Introduction, au traité complet des Bois et des Forets: avec une Diſſertation ſur l'utilité des Méthodes de Botanique; et un Explication des termes propres à cette ſcience et qui ſont en uſage pour l'exploitation des Bois et des Forets par M. DU HAMEL DV MONCEAU. Partie I et II. à Paris, 4 mai. c. f. Voll. 2.

LAVRENT. HEISTER, Diſſ. inaug. de vomica pulmonum pleuro-pneumoniam excipiente. Reſp. *Wilh. Frid. Capeller.* Helmſtad. 4.

Reizen door en gedeelte van Europa, klein Aſien, verſcheyde Eylanden van t' Archipel, Syrien, Palaeſtina, in het H. Land, Aegypten, den Berg Sinai etc. door I. AEGIDIVS VAN DER NYENBVRG, en IOH. HEYMANN; 'telles uyt beider eygenhandige nagelaten Schrifften opgemaakt, in een goede ordre gebragt; en briefswyze zamengeſtelt, en behoorlyk ter Drukpreſſe bezorgt dor IOH. WILHELM HEYMANN. 2de Deel. Te Leiden, 4.

IOHN HILL's management of the Gout, with the virtues of Burdock koot firſt uſed in the Authors own caſe. London, 8 mai.

Eiusd. Valerian, or the virtues of that Root in nervous diſorders, and the characters, which diſtinguish the true from the falſe. ibid. 8 m. c. f.

Eiusd. Account of a Stone in the poſſeſſion of the Earl of Stafford, which on being waterd, produces excellent mushroom, with the hiſtory of the Violetſtone of Germany. ibid. 8 mai.

IOHN

IOHN HILL's Outlines of a Syſtem of Vegetable Generation, illuſtrated with Figures. London, 8.

HIPPOCRATIS Aphoriſmi: graece et latine. Glasg. 12.

GOTTF. AVGVST HOFFMANNS *chymiſcher Manufacturier und Fabricant, darinne die Anfangsgründe der Metallurgie und Apotheker-Wiſſenſchaft, vornehmlich aber der Künſte, Handwerker und Wirthſchaft, wie der Handwerksmann ſolches verſtehen und faſſen kan, abgehandelt worden. Mit dazu gehörigen Riſſen. Gotha,* 8.

ADRIAN. HOFMANN, Diſſ. inaug. de ortu et incremento foetus humani. Lugd. Bat. 4.

GEORG. VALENT. HOLZBERGER, Diſſ. inaug. de aere, aquis et locis Argentinae. Argent. 4.

CAROL. FRID. HVNDERTMARK, Progr. de ozaena venerea. Lipſiae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ſcabie artificiali. Reſp. *Chriſtian. Gottlieb Zieger.* ibid. 4.

IO. PETRI DE IAVSSERAND de ſenſibilitate et irritabilitate partium corporis humani experimenta. Monſpelii, 4.

Mémoires hiſtoriques, militaires et politiques, ſur les principaux événemens, arrivés dans l'Isle et Royaume de Corſe, depuis le commencement de l'année 1738, jusqu' à la fin de l'année 1741. Avec l'Hiſtoire Naturelle de ce Pais la et diverſes remarques curieuſes touchant l'origine des Peuples qui l'habitent. Le tout enrichi d'une Carte nouvelle de l'Isle de Corſe; par M. JAUSSIN. Tom. I et II. à Paris, 12. Voll. 2.

Explicatio demonſtrationis vteri praegnantis mulieris cum foetu ad partum maturo, in tabulis ſex ad naturae magnitudinem poſt diſſectiones depictis, et ea methodo diſpoſitis, vt huius ſtatus grauidi amplam ob oculos ideam collocent,

cura ac ſtudio CAROLI NICOLAI IENTY. Londin. 8 mai.

Tentamen medicum de variis calculorum biliarium ſpeciebus, diuerſoque ab ipſis pendentium morborum genere. Praeſ. FRANCISC. IMBERT. Reſp. *Ioan. Petr. Sabatier.* Monſpelii, 8.

IAMES IOHNSTON'S hiſtorical diſſertation, concerning the malignant epidemical fever of 1756, with ſome account of the malignant diſeaſe prevailing ſince the year 1752 in Kidderminſter. London, 8.

Mémoire ſur les Tremblemens de Terre, qui à remporté le Prix de Phyſique au jugement de l'Académie des Sciences, Belles Lettres et Arts de Rouen le 3 Aout 1757. par M. ISNARD. à Paris, 12.

IOAN. IVNCKER, Diſſ. inaug. de quatuor praecipuis infantum morbis compendiaria ac felici methodo curandis. Reſp. *Godofr. Schlicht.* Halae, 4.

Eiuſd. Diſſ. inaug. de mediis contagii epidemici ortum, communicationem et actionem in corpus prohibentibus. Reſp. *Io. Wilh. Vrſinus.* ibid. 4.

I. H. G. VON IVSTI *Neue Wahrheiten zum Vortheil der Naturkunde und des geſellſchaftlichen Lebens der Menſchen.* II*tes Stück.* *Leipzig*, 8.

CAROLI FRID. KALTSCHMID Diſſ. inaug. theſes exhibens de inflammationibus in genere conſideratis. Reſp. *Martin Stähelin.* Ienae, 4.

IOAN. IACOB. KIRSTEN, Diſſ. de terra medicata Norico - Veldenſi. Reſp. *Iuſt. Iac. Goeckel.* Altorf. 4.

IACOB. THEOD. KLEINII lucubratiuncula ſubterranea prior de lapidibus macrocoſmi proprietalibus. Petropoli, 4.

IOH. HERMANN KNAAP Pomologia, dat is, Beſchryvingen en Afbeeldingen van de beeſte Soorten,

ten van Appels en Beeren etc. Te Leewarden, fol. c. tab. aen.

IO. HIERON. KNIFHOFII botanica in originali ſeu, herbarium viuum in quo plantarum tam indigenarum, quam exoticarum, peculiari quadam operaſque enchireſi atramento impreſſorio obductarum, nominibusque ſuis ad methodum illuſtrium noſtri aeui botanicorum, LINNAEI et LVDWIGII inſignitarum, elegantiſſima ectypa exhibentur opera et ſtudio IOANNIS GODOFR. TRAMPE. Cent. IV. Halae, fol.

CAR. CHRISTIAN. KRAVSE, Diſſ. de amuletis medicis cogitata nonnulla. Reſp. *Car. Chriſtian. Wagner.* Lipſiae, 4.

Eiusd. *Abhandlung von den Muttermälern, welche mit dem, von der Kayſerl. Akademie der Wiſſenſchaften zu Petersburg auf das Iahr* 1756 *ausgeſetzten Preiſe gekrönet worden; nebſt einer andern Abhandlung, welche die gegenſeitige Meynung behauptet. Aus dem Lateiniſchen überſetzt von* CHRISTIAN AVG. WICHMANN. *Leipzig*, 4.

EPHRAIM KRÜGER, Diſſ. inaug. de neruo phrenico. Lipſiae, 4. c. f.

IOH. GOTTLIEB KRÜGERS *Unterricht wie ein Soldat ohne Arzneyen ſeine Geſundheit erhalten und ſich curiren könne. Halle*, 8.

BAPTIST. LABAT *Reiſen nach Spanien und Welſchland, aus dem Franzöſiſchen überſetzt von L.* TROELTSCH. 2 *Theile. Nürnberg*, 8.

GEORG. AVGVST. LANGGVTH, Diſſ. inaug. de animo ſanitatis praeſide atque cuſtode optimo. Reſp. *Iul. Chriſtiœn Lemmer.* Witemb. 4.

Eiusd. Progr. de cortice peruuiano, medicina aduerſus febrem adhuc populariter graſſantem praeſtantiſſima. ibid. 4.

DANIEL LANGHANS *Beſchreibung von der Natur und Kräften des Schweitzeriſchen Gletſcher-Spiritus,*

nebſt dem Zeugniße über gemachte Proben von Herrn Hofrath von HALLER. *Zürch*, 8.

IOH. IOACH. LANGIVS, Diſſ. Lithographia Halenſis. Reſp. *Io. Chriſtian. Dan. Schreber.* Halae, 4.

Plain directions in regard to the Smallpox by BROWNE LANGRISH. London, 4 mai.

STEPH. PETR. LE LAVMIER, Theſes anatom. chirurg. (*de vtero inuerſo*) Reſp. *Franciſc. Angel. Deleurye.* Pariſ. 4.

Verſuch zu einer gründlichen Vertheidigung derer Saamenthierchen; nebſt einer kurzen Beſchreibung derer Leeuwenhoeckiſchen Mikroſkopien, und einem Entwurfe zu einer vollſtändigern Geſchichte des Sonnen-Mikroſkops, als der beſten Rechtfertigung derer Leeuwenhoeckiſchen Beobachtungen von MARTIN FROBENIVS LEDERMÜLLERN; *mit Kupfern verſehen. Nürnberg*, 4.

Kurzer Entwurf einer Mineralogie verfaſſet von IOH. GOTTLOB LEHMANN. *Berlin*, 8.

CAROL. NIC. LERICHE, Diſſ. inaug. ſiſtens caſum criſeos metaſtaticae in tumore tibiae cum ſubſequente vlcere gangraenoſo et carie, ſubſtantiam oſſis ad medullam vſque erodente feliciter curatae. Argentorati, 4.

IOH. CHRISTIANI LEVSCHNERI ſuper vita, meritis et ſcriptis IOHANNIS EHRENFRIED THEBESII, medici Hirſchbergae clariſſimi, expoſitio. Hirſchbergae, 4.

Herrn LEVRET *Wahrnehmungen von den Urſachen und Zufällen vieler ſchweren Geburten. Mit Anmerkungen über die bishero vorgeſchlagenen und angewandten Mittel dieſelben zu enden; nebſt einigen neuen Mitteln dazu viel leichter zu gelangen. Aus dem Franzöſiſchen überſezt, und mit neuen Handgriffen und Werkzeugen vermehret von* D. IOH. IVL. WALBAVM. *Lübeck und Altona*, 8. *m. K.*

Diſſer-

Diſſertation, qui a remporté le Prix en 1757 au jugement de l'Académie Royale des Sciences, Belles Lettres et Arts de Bourdeaux ſur la queſtion propoſée par cette Académie: Quelle eſt l'Influence de l'Air ſur les Vegetaux? par M. ROBERT DE LIMBOVRG. à Bourdeaux, 4.

CAROLI LINNAEI opera varia, in quibus continentur fundamenta botanica, ſponſalia plantarum et ſyſtema plantarum et ſyſtema naturae, in quo proponuntur naturae regna tria, ſecundum claſſes, ordines, genera et ſpecies. Lucae, 8.

Eiusd. Diſſ. inaug. Spigelia Anthelmintia. Reſp. *I. Georg. Colliander.* Vpſal. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de cortice Peruuiano. Reſp. *I. Chriſtian Peterſen.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. frutetum Suecicum. Reſp. *Dav. Magn. Vigunder.* ibid. 4.

PETR. LOEFLINGII Iter Hiſpanicum, eller Reſa tileſpanska Länderna vti Europa och Amerika, förrätted ifraon aor 1751, til aor 1756 med Beſkrifningar och Rön öfwer de marckwärigeſte wäxter vtgifwen efter deſs Fraonfaolle, af CARL LINNAEVS. Stockholm, 8.

IOH. LVDW. LOESEKENS materia medica concentrata, *oder Verzeichniß von den vorzüglichſten inn- und äuſſerlichen Arzney-Mitteln und ihren nöthigen Doſibus, zur klugen Wahl und nützlichen Gebrauch in der Praxi clinica in ihre gehörige Claſſen gebracht, nebſt einem Anhange von Nahrungs-Mitteln, Giften und Gegengiften aus allen 3 Reichen der Natur, und einem Diſpenſatorio, herausgegeben von* GEORG. LVDWIG RVMPELT. *Dreßden*, 8.

Oratio de generatione metallorum a terrae motu Auctore MICHAELE LOMONOSOW. Petropoli, 4.

ANN. CAROL. LORRY, Quaeſt. med. an parturienti accedente haemorrhagia vterina, partus diuerſa pro diuerſo caſu encheireſi promouendus? Reſp. *Iacob Sauary.* Pariſ. 4.

Lettres ſur la maladie de la Goutte par M. LOVBET. à Paris, 8.

Diſcours hiſtorique et critique ſur le traité des Maladies des Os, de feu M. PETIT par M. LOVIS. ibid. 8. c. f.

Lettres of D. LVCAS and D. OLIVER occaſion'd by a phyſical confederacy at Bath. London, 8.

PETR. LVCHTMANS, Specim. inaug. de ſaporibus et guſtu. Lugd. Bat. 4. c. f.

CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG, Progr. de debilitate corporum curationem morborum impediente. Lipſiae, 4.

Eiusd. Inſtitutiones medicinae clinicae praelectionibus academicis accommodatae. ibid. 8.

Eiusd. Progr. de abſceſſu latente. ibid. 4. c. f.

Eiusd. Progr. obſeruationem, quae viam bilis cyſticae declarat, proponens. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de medicamentorum contrariorum compoſitione. Reſp. et Auctore *Chriſt. Gottlieb Buerckner*. ibid. 4.

Eiusd. Progr. de colore florum mutabili obſeruata proponens. ibid. 4.

Eiusd. Progr. monita de exſcindendis tumoribus, tunica incluſis, ſiſtens. ibid. 4.

The Hiſtory of Health and the Art of preſerving it, by IAMES MACKENZIE. Edinburgh, 8.

Traité du Chanvre; par M. MARCANDIER. à Paris, 12.

AIME MATTHIEV, Diſſ. de neruis in genere, accedente I. II. III et IV neruorum paris deſcriptione. Leidae, 4.

MICHAELIS MAYERI cantilenae intellectuales de phoenice rediuiuo: ou, Chanſons intellectuelles ſur la reſurrection du Phoenix: traduits en françois ſur l' original latin par M. L. L. M. à Paris, 8.

CAROLI MERTENS Diſſ. ſiſtens vulnus pectoris complicatum cum vulnere diaphragmatis et arteriae meſentericae inferioris. Argentorati, 4.

GOTTF.

GOTTF. FRIEDR. MEYERS *Verſuch einer Erklärung des Nachtwandelns. Halle*, 8.

CHRISTIAN BENED. MICHAELIS philologemata medica, ſiue ad medicinam et res medicas pertinentia, ex ebraea et affinibus orientalibus linguis decerpta. Reſp. *Ioach. Daniel Schleunitz.* Halae, 4.

A Sett of the Figures of Plants adapted to the Gardeners Dictionary, by PHIL. MILLER. *ad tab.* 160 *vsque.* London, fol. m.

The method of cultivating madder, at it practiſed in Zeeland, with their Manner of drying Stamping and manufacturing it: by PHIL. MILLER. London, 4m. c. f.

Das Engliſche Gartenbuch, oder PHILIPP MILLERS, *Gärtner Lexicon, dritter Theil, worinne die in der neueſten Londniſchen Ausgabe dieſes Werkes befindliche Verbeſſerungen und Zuſätze nebſt dem Gärtner-Kalender, enthalten ſind. Aus dem Engliſchen in das Deutſche überſetzt von* D. GEORGE LEONHART HVTH. *Nürnberg*, fol.

IOH. GEORG MODELS *Verſuche und Gedanken über ein natürliches oder gewachſenes Salmiak, nebſt Erörterung einiger vom H.* BARON *gemachten Einwürffe über das Perſiſche Salz. Leipzig*, 8 mai.

Obſeruations anatomical and phyſiological, wherein Dr. HVNTER's Claim to ſome Diſcoveries is examined by ALEXANDER MONRO, iunior. Edinburgh, 8.

Eiusd. Anatomy of the human Bones and Nerves, with an Account of the reciprocal motions of the Heart and a deſcription of the human lacteal Sac and Duct. 5 Edition enlarged. ibid. 8. c. f.

IOHN MONROO's Remarks on D. BATTIES treatiſe on Madnes. London, 8.

Lettera di GAETANO MORIGI diretta al VINCENZIO PERALES. (*Defenditur* VINCENTIVS PERALES *contra Pſeudonymum quendam qui ſe Bentiene appellat.*) Rimini, 8.

CARL LVDW. NEVENHAHN, *vermiſchte Bibliothek oder Auszüge aus verſchiedenen zur Arzneygelarheit, Chemie, Naturkunde, Oekonomie zu Manufacturen und Künſten gehörigen Akademiſchen Streitſchriften mit Anmerkungen begleitet. Erſte Sammlung. Braunſchweig*, 8.

ERNST ANTON NICOLAI *Gedanken von der Verwirrung des Verſtandes, dem Raſen und Phantaſiren. Koppenhagen*, 8.

Eiusd. *Theoretiſche und practiſche Abhandlung von den kalten Fiebern, worin ihre Natur und eigentliche Beſchaffenheit, Paroxyſmi und Zufälle, nebſt der Methode ſie zu curiren aus gewiſſen Gründen gehörig erkläret werden.* ibid. 8.

CARL FRIDR. NORDENSCHOELD, Or. Om nyttan af öfwerflödigt wattens uttapande, utur Insjöar kärr och maoſſor i Finnland. Stockholm.

IOH. PETR. NORDMANN Diſſ. de iſchuria grauidarum. Argentor, 4.

FRANCISC. IOSEPH. OVERKAMP. Diſſ. de electricitatis vſu medico. Reſp. *Dan. Guil. Nebel.* Heidelbergae, 4.

Anatomia chirurgica del I. PALFYS, tradotto da un celebro Profeſſore di Medicina. Venezia, 4. Voll. 3. (*opera et ſtudio* IOANNIS LARBERI.)

I. DITRIC PALLAS, Diſſ. inaug. de chryſoſplenio. Argentor, 4.

Nouvelles remarques ſur la Lithotomie par M. PALLVCI. à Paris, 8.

Memorie degli Uomini illuſtri, e Chiari in Medicina del Piceno, o ſia della Marca d'Ancona; Tomo primo et ſecondo, del D. GIOVANNI PANELLI *d'Acquaviva.* In Aſcoli, 8. Voll. 2.

IOAN. FRANCISC. PARIS. Quaeſt. med. an inteſtinis integre diſſectis, ano artificiali alia ſit anteponenda methodus? Reſp. *Guill. Fumée.* Pariſiis, 4.

Memoi-

Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire naturelle des animaux dreſſes par M. PERAVLT. Parties I. II. III. Avec l'Anatomie de la Vipere et les deſcriptions anatomiques de quelques animaux envoyées de Siam à l'Academie en 1687 par les Péres Jeſuites François Miſſionaires à la Chine. à Amſterdam et Leipzig, 4. c. f. Voll. 3.

Traité des Maladies des Os, dans le quel on a repréſenté les Appareils et les Machines, qui conviennent à leur guériſon par feu M. PETIT. Nouvelle 5ieme Edition, revue et augmentée d'un Diſcours hiſtorique et critique ſur cet ouvrage par M. LOVIS. Tom. I. II. à Paris, 12.

PHIL. PFAFFS *Abhandlung von den Zähnen. m. K. Berlin*, 8.

A Journal from Calcutta in Bengal by ſea to Buſſerah (*Balſora*) from thence acroſs the great deſert to Aleppo: by BARTHELEMY PLAISTED. London, 8.

IO. ZACH. PLATNERI inſtitutiones chirurgiae rationalis tum medicae tum manualis. Editio noua aucta. Lipſiae, 8. c. f. (*Aucta eſt haec editio iis acceſſionibus, quibus germanica locupletata erat; acceſſerunt etiam medicamentorum et externorum et internorum formulae, quae in priori latina editione deficiebant*).

Plantarum Americanarum faſciculus ſeptimus, continens plantas, quas olim CAR. PLVMIERIVS detexit eruitque, atque in inſulis Antillis ipſe depinxit, has primum in lucem edidit, concinnis deſcriptionibus et obſeruationibus aeneisque tabulis illuſtrauit IOANNES BVRMANNVS. Amſtelod. et Lugd. Bat. fol.

Earundem faſciculus octauus. ibid. fol.

IOAN. CHRISTOPH. POHL, Progr. de chylificatione. Lipſiae, 4.

Hiſtoire de la Louiſiane, contenant la découverte de ce vaſte Pays; ſa deſcription géographique;

un Voyage dans les terres; l'Hiſtoire Naturelle, les Moeurs et la Religion des naturels, avec leurs Origines, deux Voyages dans le Nord du nouveau Mexique dont un eſt jusqu' à la Mer du Sud. etc. par M. LE PAGE DU PRATZ. à Paris, 12. Voll. 3.

IAC. BERN. PREV, Diſſ. inaug. de celeritate ſanguinis in vaſis minimis. Altorfi, 4. c. f.

De victu febricitantium diſſertatio Auctore IOSEPHO ANTONIO PUIATI. Patauii, 4.

The Culture of Silk: or an Eſſay on its rational Practice and Improvement for the uſe of the American Colonies by SAMUEL PULLEYN. London, 8 mai. c. f.

Inſtructions pour les Iardins fruitiers et potagers, avec un traité des Orangers, par M. DE LA QUINTINIE. à Paris, 4. Voll. 2.

Controverſia Medico-Letteraria fra gli Sign. D. GIO-ANDREA MONEGLIA e BENARDINO RAMAZZINI, in occaſione del parto e morte della Sig. Marcheſa MARTELLINE BAGNESI, ſequita in Modena nell anno 1681, in queſta nuova impreſſione accreſciuta d'una Riſpoſta non piu ſtampata del RAMAZZINI, con un Raggionamento Latino intorno il pericoloſo metodod' eſtrare colla mano le ſecondine de D. GIUSEPPO RAMAZZINI, pronipote del ſuddeto BERN. RAMAZZINI. In Modena, 4.

Traité des Affections Vaporeuſes du Sexe, avec l'expoſition de leurs Symptômes, de leurs differentes Cauſes et la méthode de les guérir par M. IOSEPH RAULIN. à Paris, 12.

IOSEPH CASP. BARTH. REGIS, de aquis medicatis Bibianenſibus an. 1756 detectis diſſertatio. Taurini, 8.

CHRISTIAN REICHARDTS *Einleitung in den Garten und Ackerbau. Erſter Band. Erfurt*, 8. *m. K.*

GEORG. CHRISTIAN REICHEL, Diſſ. de vaſis ſpiralibus plantarum. Reſp. *Car. Chriſtian Wagner.* Lipſ. 4. c. f.

GEORG.

GEORG. GOTTLOB RICHTER, Diſſ. inaug. de cura magiſtratus circa valetudinem ciuium. Reſp. *Ieſaias Iuda.* Gotting. 4.

I. GEORG. ROEDERER. Prog. de phthiſi infantum pulmonaria. ibid. 4.

Eiusd. Progr. obſeruationes de foetu ſiſtens. ibid. 4.

Eiusd. Progr. de calore animali. ibid. 4.

Eiusd. Progr. proponens obſeruationes de genitalibus virorum. ibid. 4. c. f.

Eiusd. Diſſ. inaug. de non damnando vſu perforatorii in paragomphoſi. Reſp. *Henr. Dan. Wrniker.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de catarrho phthiſin mentiente. Reſp. *Chriſtoph. Dan. Sternberg.* ibid. 4.

Eiusd. Progr. de vlceribus vtero moleſtis. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de oſcitatione in enixu. Reſp. *Ioh. Dau. Lapehn.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. paralipomena de vomitoriorum vſu. Reſp. *Dan. Phil. Roſenbach.* ibid. 4.

Eiusd. Progr. obſeruationes ex cadaueribus infantum morboſis enarrans. ibid. 4.

IOSEPH. LVDOV. ROGER, Tentamen de vi ſoni et muſices in corpus humanum. Auinione, 8.

CAROLI LE ROI de aquarum mineralium natura et vſu propoſitiones, praelectionibus academicis accommodatae. Monſpelii, 8.

CAR. HENR. ROSE, Diſſ. inaug. de febre quartana continua. Argent. 4.

EBERHARD ROSE'N, Diſſ. de vera ratione ſecretionum corporis humani in genere. Reſp. *Laurent. Giſtrav.* Lundini Scaniae.

Die Mittel, wie denen Hypochondriacis Melancholicis, Maniacis *oder Wahnſinnigen zu helfen ſey nach phyſicaliſchen Lehrſätzen ausgeführt und erwieſen von* IOH. FRIEDR. RÜBEL. *Breslau*, 8.

Der Character oder die Eigenſchaften eines Medici *nach den Ausſprüchen des Hippocratis entworfen von Ebendenſelben. Frankfurth und Leipzig*, 4.

Der

Syſtemathiſche und gründliche Abhandlung von den faſt allgemein eingeriſsnen Irrthümern betreffend die Beſitzung des Menſchen von Teufel, Hexerey und Geſpenſter etc. nach phyſicaliſchen Lehrſätzen ausgeführet und erwieſen von Ebendenſelben, 8.

RAPHAEL BENEVENT. SABATIER, Theſ. anatom. chirurg. de vterinis praegnantium haemorrhagiis. Reſp. *Claud. Franciſc. Garre.* Pariſiis, 4.

FRANCISC. DE SAUVAGES, Diſſ. de viſione. Reſp. et Auct. *Franciſc. Ioſeph. Bernaduc.* Monſpelii, 4.

IOH. FRANCISC. SCARDONAE aphoriſmi de cognoſcendis et curandis morbis mulierum creberrimis commentariis illuſtrati. Patauii, 4.

CONSTANT. SCEPIN, Diſſ. de acido vegetabili. Lugd. Bat. 4.

SAMVEL SCHAARSCHMIDTS *Abhandlung von Feldkranckheiten herausgegeben von* ERNST GOTTF. KVRELLA. *Berlin,* 8.

IAC. CHRISTIAN. SCHAEFFERI Epiſtola ad Ill. Academiam Roueredenſem de ſtudii botanici faciliori ac tutiori methodo, cum ſpecimine tabularum ſexualium vniuerſalium, in hunc finem elaboratarum aerique inciſarum. (*ſ. l. et a*) 4.

Verſchiedene Zwiefalter und Käfer mit Hörnern beſchrieben von Eben demſelben. Nebſt 3 *Kupfertafeln mit Figuren in Farben. Regensburg,* 4.

CASIM. CHRISTOPH. SCHMIEDEL, Diſſ. inaug. de ſede variolarum non in ſola cute. Reſp. *Frid. Aug. Lammers.* Erlangae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de Buxbaumia. Reſp. *Ioh. Georg. Hölzel.* ibid. 4. c. f.

DANIEL GOTTFRIED SCHREBER, *Sammlung verſchiedener Schriften, welche in die oeconomiſchen Policey- Cameral und andere verwandten Wiſſenſchaften einſchlagen.* 3*ter Theil. Halle,* 8 mai.

IOH. FRIEDR. SCHÜTZENS *Abhandlung von dem Nutzen und Schaden derer Salate überhaupt, und derer gewöhnlichſten Salat-Pflanzen überhaupt. Leipzig,* 4.

Locu-

Locupletiſſimi rerum naturalium theſauri accurata deſcriptio et iconibus artificioſiſſimis expreſſio per vniuerſam phyſices hiſtoriam. Opus, cui, in hoc rerum genere, nullum par exſtitit. Ex toto terrarum orbe collegit, digeſſit, deſcripſit et depingendum curauit ALBERTVS SEBA. Tomus III. Amſtelodami, fol. reg. c. f. (*Splendidiſſimum et pretioſſimum hoc opus inchoatum quidem hoc anno fuit, ob tabularum aenearum copiam vero, non potuit abſolui*).

LVD. RVDOLPH. SEVBERT, Diſſ. inaug. de ſignis puerperii fallacibus. Reſp. *Franc. Chriſt. Lud. Fromman.* Tubingae, 4.

GEORG. FRID. SIGWART, Diſſ. inaug. de balneis infantum diſſertatio, adnexa Bupreſtis deſcriptione cum tabula aenea. Reſp. et Auct. *Ioan. Hotz.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de haemorrhagia inteſtino-hepatica, haemorrhagiarum hypochondriacarum ſpecies vulgo neglecta. Reſp. *Iac. Henr. Duttenhofer.* ibid. 4.

Le Gouvernement ou la Republique des Abeilles, et les Moyens d'en tirer une grande utilite par M. J. SIMON. (*Troiſieme Edition*). à Paris, c. f.

IGNATIO SOMIS, Raggionamento ſopra il fatto avvenuto in Bergamoletto, in cui tre donne ſepolto fra le ruine della ſtalla per la caduta d'una gran mole di neve ſono ſtate trorate vior doppo trentaſitte giorni; in Torino, 4.

GEORGE STARKENS *Anweiſung zum nützlichen Gebrauch einiger höchſtſichern und bewährten Arzneyen, wodurch die meiſten Krankheiten völlig gehoben werden können. Lauban*, 8.

I. STORCHS *Abhandlung von vielerhand, ſo wohl innerlichen als äuſſerlichen Kranckheiten, welchen erwachſene Perſonen vornehmlich aber Soldaten unterworfen zu ſeyn pflegen. Eiſenach*, 8.

Eben deſſelben nöthiger Unterricht, wie man ſich bey graſſirenden Fleck und hitzigen Fieber zu verhalten hat. ib. 8.

I. P.

I. P. SÜSMILCHS *Gedancken von den epidemiſchen Kranckheiten und dem gröſſern Sterben des 1757ten Jahres, in einem Sendſchreiben an die Herren Verfaſſer der Göttingiſchen Anzeigen von gelehrten Sachen und auf derſelben Verlangen entworfen. Berlin*, 4.

CAR. FRANC. THEROVLDE DE TOVLOVSE DE VALLVN, Quaeſt. med. an ſola lens cryſtallina cataractae ſedes? Reſp. *Ioan Deſcemet.* Paris, 4.

Mémoire ſur l' utilité, la nature et exploitation du charbon minéral: par M. DE TILLY. à Paris, 8. c. f.

Lettre a Mſr. DE HAEN en reponſe a ſes queſtions ſur l' inoculation par TISSOT. à Lauſanne, 12.

S. A. D. TISSOT, Diſſertatio de febribus bilioſis; ſeu hiſtoria epidemiae bilioſae Lauſannenſis, anni 1755. Accedit tentamen de morbis ex manuſtupratione. Lauſannae, 8 mai.

DAV. WILHELM. TRILLER. Diſſ. inaug. de corticis Peruuiani vſu, ſenibus, grauidis et infantibus ſalutari. Reſp. *Aug. Mildreich Barth.* Wittebergae, 4.

Eiusd. Progr. quo vitam et memoriam, TRAVGOTT BALTHAS. CHRISTIANI STENZELII, d. 25 Nou. a. 1757 defuncti, ciuibus et poſteritati commendat. ibid. fol.

Eiusd. Diſſ. inaug. de tumoribus ſingularibus a menſium ſuppreſſione obortis. Reſp. *Io. Tob. Dieterici.* ib. 4.

Eiusd. Progr. de menſibus per nares Leonidae filiae erumpentibus ab imprudente autem medico cum ipſius interitu infeliciter repreſſis. ibid. 4.

DOMINICI VANDELII diſſertationes tres: de Aponi thermis: de nonnullis inſectis terreſtribus, et zoophytis marinis et de vermium terrae reproductione atque taenia canis. Pataui, 8 mai. c. f. aen.

Eiusd. Epiſtola ſecunda et tertia de ſenſibilitate Halleriana. ibid. 8 maj.

Recueil Periodique d' Obſeruations de Medecine, Chirurgie, Pharmacie etc. par M. VAN DER MONDE, Janvier — Decemb. 1758. Tome VIII et IX. à Paris, 12. Voll, 2.

LEON-

LEONARDI ANT. VERBEK Diſſ. inaug. de ſynocho putrida epidemica huius et elapſi anni vermibus ſtipata. Pragae, 4.

Lettera di GIAM BATISTA VERNA, all' Illuſtr. Sig. Baron de HALLER. in Torino, 8. (*de irribilitate agit*).

ALE. VERRYST, Diſſ. de reſpiratione. Lugd. Bat. 4.

M. LVD. MARIA GIRARD DE VILLARS, Quaeſt. med. vtrum a neruis praecipue partium conſenſus? Reſp. *Steph. d' Huaume.* Pariſiis, 4.

RVD. AVG. VOGEL, hiſtoria materiae medicae ad nouiſſima tempora producta in vſum academicum. Lugd. Bat. et Lipſiae, 8 mai.

Eiusd. *Neue mediciniſche Bibliothek. Des 4ten Bandes, 1 und 2 Stück. Götting,* 8.

IOSEPH. LEOPOLD. IGNAT. VOGELMANN, Diſſ. inaug. de ſalibus fixis. Argentor, 4.

GOTTF. IAC. WAGNERS *vollkommner Fiſcher, welcher zeiget, wie man Teiche anlegen, bauen, warten und endlich auch fiſchen ſoll. Breslau,* 8.

I. GOTTSCHALK WALLERIVS, Diſſ. de emendatione agri. Reſp. *Ioan. Dan. Boding.* Vpſal, 4.

Eiusd. Diſſ. de geocoſmo ſeneſcente. Reſp. *Eric. S. Rude.* Vpſal, 4.

CHRISTOPH. WEBER, Examen corporum quorundam ad fermentationem ſpirituoſam pertinentium. Gott. 4.

Eiusd. Tractatio chemica de pyrophoro. ibid. 4.

ERN. HENR. WEDEL, Tr. de morbis concionatorum, *von den Krankheiten der Prediger.* Franckf. et Lipſ. 4.

Memoria LAVRENTII HEISTERI, a d. 18 April 1758 defuncti, perſcripta ab IO. CHRISTIANO WERNSDORFIO. Helmſtadii, 4.

IOA. ERNST BASIL. WIEDEBVRG *Beſchreibung eines verbeſſerten Sonnenmicroſcop. Nürnberg,* 8.

Obſeruations rares de Medécine, de Chirurgie et d' Anatomie; traduites du latin de M. VAN DER WIEL, par M. PLANQVE. à Paris, 12. Voll. 2.

WILLH. LVDW. WILLINS *Grundlegung eines nöthigen Unterrichts vor Hebammen in Frag und Antwort verfaſſet. Baſel,* 8.

Con-

Contenta in hac parte.

1. Miſcellanea Philoſophico - mathematica Taurinenſia. Tom. I. p. 579.
2. ALLIONII Tr. de miliarium origine, progreſſu, natura et curatione p. 600.
3. De recondita febrium intermittentium tum remittium natura etc. p. 611.
4. KLEINII *Geſchlechts - Tafeln der Vögel* p. 629.
5. Hiſtoire de l'Academie royale des Sciences et Belles Lettres de Berlin an. 1757 p. 630.
6. SCHAEFFERI Iſagoge in botanicam expeditiorem.
7. EIVSDEM *erleichterte Arzney Kräuter - Wiſſenſchaft* p. 643.
8. BVRMANNI Wachendorfia p. 648.
9. STOERCKII Libellus de cicutae vſu interno p. 649.
10. IENTY Tentamen de demonſtranda ſtructura humana etc. p. 658.
11. EIVSDEM Explicatio demonſtrationis vteri praegnantis p. 659.
12. DE SAUVAGES Phyſiologiae elementa p. 663.
13. EIVSDEM Pathologia methodica p. 671.
14. LINNAEI Syſtema naturae. Edit. X. Tom. I. p. 679.
15. *Fränckiſche Sammlungen und Anmerkungen aus der Natur-Lehre* etc. III *Band* p. 692.
16. RAVLIN Traité des Affections Vaporeuſes du Sexe etc. p. 698.
17. Deſcription abrégée des Maladies des Armées p. 707.
18. THEROVLDE Quaeſt. med. chir. An ſola lens cryſtallina cataractae ſedes? p. 709.
19. Noua phyſico - medica p. 712.
20. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico - medicorum, quae anno 1758 prodierunt p. 747.

INDEX.

INDEX.

A.

Abdominis vulneris ſymptomata 455 ſeq. nouacula inflicti euentus 203. abdominalium viſcerum in thoracem protruſio 297 ſq.
Abſinthii particulae quales? 325
Academicae annotationes 257
Acerborum examen 326
Acidorum examen 326
Acrium diſquiſitio 322
Acutorum morborum regimen 73
Adſtringentium liquorum poſt paracentheſes in abdomen immiſſorum effectus 156
Aegritudinis diſtinctio 672. cauſſae procatarticae 675
Aer corruptionis corporum cauſſa 631. ſanguinis ruboris cauſſa 592. factitius flammam ſuffocat 587. nouus cum liquoribus deſtillantibus permixtus 152. 158
Aether nitroſus 121. ſalis marini 122. vitriolicus 116. 118
Aethiopum epidermis et cerebrum 634
Agarici conſeruatio et vſus 195. 138. 142. querni virtus ſtyptica 392
Albini B. S. academicarum annotationum liber quartus 257
Alburni arborum ſtrata 28
Alcaleſcentia humorum animalium 595
Alcalicorum examen 327. fixorum ſalium cum aliis corporibus affinitas 518
Alcyoniorum ſpecies 538
Alimenti in corpore animali mutatio 52. 57. aſſimilationis auxilia 58. nimia copia aſſumti noxa ib. ſeq. nimis parce aſſumti incommoda 60. medicamentoſi ab ipſo medicamento diſtinctio 60
Allionii Carol. tractatus de miliarium origine, progreſſu, natura et curatione 600
Alui obſtructio a concretione lapidea in inteſtinis 202
Amarorum examen 324 ſeq.
Ammoniacum ſal natiuum, experimenta ſuper eo 46 ſeqq.
Amnii liquor pars nutrimenti foetus 150
Amphibiorum ordines 685
Anacardii arboris vſus 173
Anatomicae et phyſiologicae obſeruationes 415 ſeqq. 693. varietates 472
Andoville Io. Bapt. Ant. theſes de cataracta 422
Andrachnes erectae arboreae deſcr. 286
Aneuryſmatis diſtinctio 316. aortae hiſtoria 315. 642
Anginae gangraenoſae ſymptomata 311. 454. curatio 457 ſeq.
Ani abſceſſus 218. corpora peregrina 224. in femina defectus 467
Animalis corporis machina 680. mucilaginis a vegetabili differentia 63. vis a vitali vi diſtinctio 430. lactis natura et differentia 64

Animalium claſſes 687. vociferationes 129. humorum putrefactio 594 ſeqq.
Anodynorum remediorum claſſes et genera 83 ſeq. 87. vſus 84 ſeqq. in morbis chirurgicis vſus 91. 95. a narcoticis diſtinctio 80
Antarthriticum remedium 308. 387. 447
Antherarum pulueris differentia 34
D'Antic Boſc, ab acad. reg. ſcientiar. Pariſienſ. praemium reportauit 727
Antimonii vitri cerati vſus in dyſenteria 389
Aortae aneuryſma 315. 642
Aphtha penphingodes quid? 677
Aquae calidae in vterum iniectio 208
Aquifolii folii fibrae ſpirales 30
Arabia felix, iter in illam ſumtibus Regis Daniae inſtituendum 349
Arabici gummi vſus 319
Arborum phyſica 23. incrementi ratio 36 ſeq. vulneris inflicti coalitus 37 ſeq. inſitionis modus 38. per taleas et propagines multiplicatio ib. ſeq. corticis partes 25. huius vaſa propria 26. medullae formatio 27. ligni vaſa aerea ib. alburni ſtrata 28. radicum ſtructura ib. ſeq. foliorum decidentiae ratio 30
Arteriae membrana et vaſa 259 ſeq. ſyſtoles et diaſtoles 666
Arthritidis diſtinctio 262. curatio 264. remedium contra illam 387. 447. in ea opium nocet 493
Aſari foliorum pulueris effectus 447
Aſcanius Petr. Hiſt. natural. Prof. in acad. noua Hafnienſi 725
Attractionis quantitatem dimetiendi modus 582
Auicenniae Linn. vſus 173
Auium ſtemmata 629. genera et ordines 683 ſeqq.
Aureliana chirurgicae artis academia condita 727
Auris humana interior 258
Auſterorum examen 325

B.

Baieri Io. Iac. monumenta rerum petrificatarum praecipua, Oryctographiae Noricae ſupplementi loco iungenda 343. Oryctographia Norica ib. ſeq.
Balſamum antarthriticum 388. natiunm de monte Benna 524
Barometrum diuerſae diametri altitudo 580. errores corrigendi 581
Baſilicae venae ſectae ſymptomata 316 ſeq.
Baſteri Iob. opuſcula ſubceſiua. lib. I. 535
Bathonienſium aquarum vſus et abuſus 225. partes conſtitutiuae 226. calide et frigide potarum differentia 227. ſalis neutri amari qualitas et effectus 228. ſalis marini indoles et facultas 229. terra abſorbens 230. principii oleoſi a vulgari phlogiſto differentia

rentia ib. ſeq. operandi ratio 232. calor peculiaris 233. vſus externus 234
Bauaricae electoral. ſcientiar. acad. theſis et praemium ad an. 1760. 180
Baume Diſſ. ſur l'aether, cet. 116
Baylies William practical reflexions on the vſes and abuſes of Bathwaters 225
Beireis Io. Nicol. in acad. Helmſtad. Phyſices Prof. P. O. 553
Belladonnae infuſum in cancro vtile 654. baccarum noxa 693
Belleisle Dux de, Metenſis ſociet. ſcientiar. et artium auctor 726
Benvenuto Ioſeh de Lucenſium ſale tractatus 513
Berberis capenſis ſemper virens 287
De Bergen Carol. Aug. obitus 183
Berolinenſis acad. reg. ſcientiar. et elegantior. literar. hiſtoria, an. 1757. 630
Beſtiarum genera 682
Bidentis americani ſaponariae folio denominationes 255 ſeqq.
Bilis diſquiſitio 594. an ſapo acido alcalinus? 542. biliöſi temperamenti regimen 68
Boecleri, Io. memoria 733
Boecleri, Phil. Henr. memoria 738
Borboniae deſcr. 287
Borgſtroem Erich Erichſon in acad. Vpſal. oeconomiae practicae profeſſionem fundauit 179
Botanica exotica 249. expeditior 643. 646
Brachii amputatio 474
Brutorum genera 682
Büttner, Dau. Sigm. Aug. Botan. Prof. P. O. Goettingenſ. 729
Burdigalenſis ſcientiar. acad. theſis ad an. 1762. 352
Burmanni Nicol. Laurent. Diſſ. de Geraniis 529
Burmanni Io. Wachendorfia 648
Buxbaumiae deſcriptio 44 ſeq.

C.

Cadaueris puellae ſectio et in eodem praeternaturalia deprehenſa 13 ſeqq.
Caecitas periodica 307
Caeſareae ſectionis indicatio 214
Caffee potus abuſus 701
Calcareae materiae in pede excretio 300
Calcis viuae actio in ſalem volatilem alcalinum 147. ſeq. aquae in vlcere ſcorbutico vſus 313. oſtrearum aquae virtus lithontriptica 390
Calculi veſiculae felleae 461. vrinarii extra naturales vrinae vias formati 211 ſeq.
Calendulae noua ſpecies 286
Camphorae vſus in contuſionibus 83
Camphoratae African. vmbellat. deſcr. 285
Cancri a ceſſante menſtruorum fluxu ortus 201. a vitio humorum 202. circa naſum exſtirpatio 219

Capitis vulneris ſanatio 393 ſeq. vulnera cum hepatis abſceſſu 218
Carbonum vaporis noxa 692
Cardialgiae num opium conueniat? 488
Cariei oſſium ſanatio 396 ſeq.
Cataplaſmatum vſus 80
Cataputiae vnguenti praeparatio et vſus 464
Cataractae ſigna et cauſſa 423 ſeq. genera et ſedes 710. operatio 424. 711
Cauſticorum diſtinctio 109. 114. vſus 110. 115
Celluloſi contextus fabrica et vſus 123. morbi 124 ſeqq. horum curatio 126. celluloſum corticis arborum inuolucrum 25
Cephalalgiae num opium conueniat? 488
Cephalopharyngaei muſculi delineatio 259
Cerae mollis in haemorrhagiis vſus 223
Ceraſorum nucleorum deglutitorum noxa 445
Chelone flore albo 286
Chemicae annotationes 527 ſeq.
Cheſelden Guilielm elogium 199
Chocolatae potus abuſus 701
Chronicorum morborum diſcrimen atque diaeta 74 ſeq.
Chyliferi vaſis delineatio 260
Cicadarum ſpecies 688
Cichoreum ſpinoſum 286
Cicutae vulgaris deſcr. et vſus 650
Cigna Io. Franciſc. Taurinenſis ſociet. ſocius 579
Colicae num opium conueniat? 489
Collinſonia 285
Commelina annua 285
Conceptio extraordinaria 15
Conferuae deſcr. 537
Conſeruas, virtutes plantarum retinentes, praeparandi modus 455
Contagioſi temporis regimen 73
Continuis febribus opium ſemper noxium 480
Conuulſionum et epilepſiae cauſſa 311. curatio 303. 704 ſeq. periodicarum curatio 465
Conuluulus ſcammonium fundens 296
Corallinae diſtinctio 537. polypi inhabitantes 539
Coralliorum corticis polypi 536
Cordis fabrica 667 ſeq.
Corneae et ſcleroticae tunicae ortus 403
Corporis ponderis exploratio 336
Corticalia corticis arborum ſtrata 25
Coſnier Lud. Io. Bapt. quaeſtio medica: an rachitidi rubia tinctorum? 540
Cranium quomodo iis, quae continet, creſcendo ſeſe accommodet? 257 ſeq. eius ſtructura praeternaturalis 695
Cretae rarioris deſcr. 504
Crillon ab acad. chirurg. Pariſienſ. praemium acc. 178
Crines in cadauere puellae repertae 14
Crocodili deſcr. 165 ſeq.
Cruris vlcus ſcorbuticum aqua calcis viuae curatum 313

Cryſtallina lens an ſola cataractae ſedes? 709. eius capſula duplex 423. motus 409. oedema 711
Cryſtallorum geneſis et etymologia 175
Cupreorum vaſorum vſus culinaris noxius 459
Cupreſſi ſpecies 288
Currentes maris prope Antillas inſulas 165
Cutis tuberculis obſita 137. 465

D.

Daniae Rex academiam rerum naturalium et oeconomicarum condidit 723
Daubenton, acad. reg. ſcientiar. Pariſienſ. membrum ordinarium 731
Degneri, Io. Hartmann memoria 554 ſeqq.
Delirii cauſſae 434 ſeq.
Dentes et oſſa infantis in meſenterio puellae reperta 13 ſeqq.
Deſcription abrégée des maladies qui regnent le plus communement dans les Armées, avec la methode de les traiter 707
Detergentium remediorum differentiae et vſus 104. 106 ſeqq.
Diaetae ratione climatis et anni tempotum diuerſitas 71 ſeqq. tempore contagioſo 73. in morbis acutis ib. in morbis chronicis 74. in morbis neruoſis 75
Diaphoreticorum in inflammationibus pectoris vſus 455
Dolor quid? 94. 433. eius cauſſae 94. differentia 82 ſeq. effectus ib. 87. dolorum ad partum diſtinctio 266. poſt partum cauſſa 268 ſeq.
Dulcium examen 326

E.

Echinus petrefactus 143
Elaſtici fluidi in puluere pyrio natura 588. 599
Electricitas, experimenta circa illam 151 ſeq. 508. eius cauſſa phyſica 640. in conuulſionibus vſus 303. in paralyſi vſus 160 ſeq. electricae vis cum meteoris igneis ſimilitudo 505 ſeqq. electrici et magnetici fluidi analogia 590. electricum experimentum Leidenſe mutatum 19. fluidum vaporum aſcenſus cauſſa 144
Emollientium remediorum claſſes 76. 78. 80. ſpecies 77. compoſitorum differentia 79. vſus 80. 89. 102. ſpecificorum vſus 80
Epidemici morbi 140. 300 ſeq.
Epilepſiae et conuulſionum cauſſa 311 ſeq.
Epiphyſium fabrica 436. ab oſſium diaphyſi diductio 437. huius a luxatione differentia 438. curatio 440 ſeqq.
Epiſpaſticorum remediorum vſus 109
Eruditorum diaeta 71
Eryſipelas quid? 677
Eſſera quid? 677
Exoſtoſeos oſſium cylindricorum noua ſpecies 205 ſeq.

Exſiccantium remediorum claſſes 111. 113. vſus 112. applicandi ratio ib. ſeq.

F.

Faber Theoph. Beniam. obitus et vitae deſcriptio 731
Fabricii Phil. Conr. enumeratio methodica plantarum horti medici Helmſtadienſ. 283
Faciei cancri ortus 200
Farinae foſſilis calcareae deſcr. 346
Faſciae in locum ſuturarum adhibendae 215
Febris humoralis inflammatoria 456. maligna peſtilentialis 470. putrida eryſipelatoſa epidemica 446. putrida verminoſa 460 ſeq. Febres ab aquis Bathonienſibus excitatae 233. earum ad curandos morbos chronicos vſus 234. Febribus malignis opium non conuenit 486. de intermittentium et remittentium febrium recondita natura et curatione variis experimentis et obſeruationibus illuſtrata libri duo 611
Felleae veſiculae calculi 461
Femoris capitis et colli defectus 239. capitis ſolutio 439 ſeq.
Fibrae animalis organiſmus et mechaniſmus 664 ſeq.
Flammae in clauſo aere exſtinctionis cauſſa 583 ſeqq.
Fluida refrigerandi modi 240 ſeqq.
Foecundationis cauſſa 670. terminus 197. caſus ſingularis 15
Foetus viui et mortui ſigna 276 ſeq.
Foliorum decidentiae ratio 30. organa abſorbentia 31. glandularum differentia et ſpecies. 32
Fons cupro impraegnatus 166 ſeq.
Forficis in partu difficili vſus 280. tribrachialis Levreti vſus 282
Forskael Petr. iter in Arabiam felicem inſtituens 349
Foubertiana lithotomiae methodus 225
Fränckiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre dritter Band 692
Frigoris vis in denſando mercurio 357 ſeqq.
Fulminis ortus 507. in terrae ſuperficie geneſis 511. vehementiae cauſſae 509

G.

Gaeſten lapidis genus ſingulare 20
Gangraena inteſtinali herniae ſuperueniens 206 ſeqq.
Gaubii H. D. inſtitutiones pathologiae medicinalis 426
Gemmae in plantis ortus et ſtructura 30
Genitalium partium et ani corpora peregrina 224. in femina defectus 467
Genuum tumoris curatio 154. 196
Geraniorum ordines et ſpecies 531 ſeqq.
Glandularum tumor ſingularis 461. tumor peruuiano cortice curatus 310. in foliis differentiae et ſpecies 32. vſus ib. ſeq.

Glaſers

Glaſers Io. Fried. *Beſchreibung ſeiner neuerfundenen Blutwage und Blutmeßgeſchirrs* 332
Gleditſchiae ſpinae quales? 33
Goettingenſis ſociet. ſcientiar. theſis et praemium ad an. 1761. 728
Gomphrenae character 286
Grange Lud. de la, Taurinenſis ſociet. ſocius 579
Grauidae exploratio quomodo inſtituenda 271 ſeq
Gulae vulnus 204
Gummi adſtringentis deſcr. 317. Arabici vſus 319
Guſtus cauſſa 322. inſtrumentum non ſola lingua 329 ſeq.

H.

Haemoptyſis opio compeſcenda 476
Haemorrhoidum fluxus nimius an opio compeſcendus? 477 ſeq.
Haimhauſen Comes de, acad. ſcientiar. electoral. Bauar. Praeſes 180
Halenſis lithographia 499
Du Hamel Phyſique des arbres Pars I et II. 23
Hartmann, Io. Fried. Abhandlung von der Verwandſchaft und Aehnlichkeit der electriſchen Kraft mit den erſchrecklichen Lufterſcheinungen 505
Hartmann, Petr. Imman. Medicinae Prof. in acad. Helmſtad. 553
Harlemenſis ſcientiar. ſociet. commentar. Pars II. 387. theſes 179
von Hauen, Frid. Chriſt. iter in Arabiam felicem inſtituens 349
Hebenſtreit, Io. Chriſtian Botan. et Hiſtor. natural. profeſſioni Petropol. ſeſe abdicauit 729
Heffteri, Io. Carol. Muſeum diſputatorium phyſico-medicum tripartitum Vol. I. Pars 1. 2. 3. 242
Heiſteri nomina generica plantarum 288 ſeqq.
Hemiplegiae curatio 313
Hepatis abſceſſus vulneribus capitis ſuperueniens 218 ſeq. magni in infantibus cauſſa 525
Herniae inteſtinalis ſanatio 398. cum gangraena curatio 206 ſeqq.
Hill, Io. exotic. Botany 249
Hirudinum vſus medicus 11 ſeq.
Hiſtoire de l'acad. roy. de ſciences et belles lettres de Berlin, année 1757. 630
Holm Tycho rei oeconomicae in acad. Hafnienſ. Prof. 725. eius mors ib.
Hominum varietatis cauſſa 66 ſeq.
Hortorum irrigandorum ratio 9
Humani corporis figurae 660 fluidorum diſtinctio et proprietates phyſicae 666. intra vaſa contentorum conſideratio 667. fluidorum morbi 674. ſolidorum diſtinctio 665. 667. horum morbi ſimplices et compoſiti 673 ſeq.
Humeri os male formatum 239

Hydrocelis ſpecies et curatio 204 ſeq.
Hydrophobia ſine animalis rabidi morſu 444. 463. per aerem communicata 469
Hydropis ſanatio 139. pectoris phaenomena 473. peritonaei per 44. annos duratio 295 ſeq. ſaccati hiſtoria 697
Hymenis deſcr. 260
Hyoſcyami vſus 90
Hypochondriaci doloris cauſſa 301 ſeq.
Hyſterici mali ſymptomata et cauſſae remotae 699 ſeqq. cauſſae proximae 702. curatio 703. prophylaxis 705 ſeq.

I.

Iacobi, Chriſtophor. Godofr. ab acad. ſcientiar. Burdigalenſi praemium acc. 352
Iatrophae fol. palmatis dentatis aculeatis deſcr. 287
Icterica febris 471
Ienty, Carol. Nicol. tentamen de demonſtranda ſtructura humana ſecundum dimidiatam naturae ipſius proportionem cet. 658. Explicatio demonſtrationis vteri praegnantis mulieris cum foetu ad partum maturi 659
Ileo morbo num opium conueniat? 490
Infantis recens nati victus 69 ſeq. hepatis magni cauſſa 525. tres annos nati vires extraordinariae 453
Inflammabilia corpora regni mineralis 523
Inflammationis ſedes et genus duplex 125. remedia anodyna 92 ſeq. inflammatoriis febribus opium ſemper noxium 480
Inoculatio vide variolarum.
Inſectorum ordines 687. inſecta ad polypos pertinentia 149
Inſitionis arborum modus 38
Intermittentium febrium ſpecies 611. cauſſae et ſymptomata 612. 616. periodorum cauſſa 613. indoles maligna 615. in remittentes mutatio ib. ſeq medendi methodus 618. malignarum curatio 627. in illis opii vſus 478 ſeq.
Ipecacuanhae vires 312
Irritabilitas et ſenſibilitas, obſeruationes de illis 50
Irritantium remediorum claſſes 101. vſus 107
Iſchuria cortice peruuiano curata 303
Iunckeri, Io. obitus 183

K.

Keratophytorum cum titanokeratophytis conuenientia 537
Kermes granorum vſus 519. mineralis vſus 389
Klein, Iac. Theod. lucubratiuncula ſubterranea prior de lapidibus macrocoſmi 174. Eiusd. ſtemmata auium 629. Eiusd. memoria et ſcripta 361 ſeqq.
Koelreuter, Ioſeph Theoph. Botan. et Hiſt. natural. Prof. Petropolit. 730
Kongl Vetenskaps Academiens Handlingar för Aor 1758. Vol. XIX. 3

Kreit-

Kreitmayer Baro de, acad. ſcient.electoral.Bauar. Praeſid. Vicarius 180
Krügeri, Io. Gottlob obitus 182

L.

Lacrymalis glandulae ductuum diſquiſitio 421
Lactis animalium natura et differentia 64
Langriſh Browne obitus 553
Lapides quid? 174. eorum cryſtalliſationis cauſſa ib. ſeq. ordines 175 ſeq. lapidis ſpumeſcentis genus ſingulare 20. ſtercorarii analyſis chemica 197
Laſtbom, Io. Anderſon in acad. Vpſal. oeconomiae practicae Prof. 179
Lectulus partui deſtinatus 272. extemporaneus 273
Leger, Carol. Geille de Saint Quaeſt. med. an vt ſenſibilitas ſic irritabilitas a neruis? 50
Lehmann, Io. Gottlob a ſocietate Londinenſi, in perficiendis artibus, opificiis et commercio occupata, praemium acc. et in ſociorum numerum receptus 354
Lepia nouum plantarum genus 253
Leporinum labium 261
Lepra endemia 310 ſeq.
Ligni arborum vaſa aerea 27. bituminoſi deſcr. 522
Limoniaſtri deſcr. 285
De Limprunn in acad. ſcientiar. electoral. Bauar. claſſis philoſophicae Director 180
Lingua non ſola guſtus inſtrumentum 330. eius diſquiſitio anatomica ib. ſeq.
Linnaei Carol. Syſtema naturae Tom. I. Edit. X. 679
Litothomiae methodi 224 ſeq.
Loquelae organa 130
Lori acad. ſcientiar. electoral. Bauar. Secretarius et claſſis hiſtoricae Director 180
Lorry Eſſai ſur les alimens Tom. I. 51. Eſſai ſur l'uſage des alimens Tom. II. ib.
Loubet lettres ſur la maladie de la goutte 262
Lucenſium thermarum ſalis examen 514. vſus 515. calculos ſoluendi vis ib.
Luchtmans, Petr. in acad. Vltraiect. Anatom. et Chirurg. Prof. 182. Eiusd. Diſſ. de ſaporibus et guſtu 320
Lugdunenſis ſcientiar. acad. theſis et praemium ad an. 1761. 353
Luxationis ab epiphyſium diductione differentia 438
Lycoperdi vſus 139. 392
Lymphaticorum vaſorum disquiſitio 418

M.

Madritenſis medicorum et chirurgorum ſocietatis theſes et praemia ad an. 1760. 351
Maloet, Petr. Lud. Mar. Diſſ. an vt ceteris animantibus ita et homini ſua vox peculiaris? 127
Maluerni fontis ſancti aqua eiusque vſus 155
Mammalium animalium ordines 682

Mammarum cancri curatio 200. 464. 652 ſeqq. 656. 696
Mancanillae pomorum effectus 463
Manus cum cute viridi effoſſa 198
Marinam aquam potabilem reddendi modus 396
Materiae medicae hiſtoria 131
Mattolithus lapidum ordo 176
Maturantium remediorum claſſes 98. 101. vſus in morbis externis 99
Maxillae inferioris ſpaſticae contractionis cauſſa et curatio 294. 300
Medical Obſeruations and Inquiries by a Society of Phyſicians in London Vol. I 292
Medicamentorum differentiae et actio 132. vires quomodo detegendae? ib. ſeq. in ſolida agendi modus 133 ſeq. in fluida agendi ratio 134 ſeq. ab alimento medicamentoſo diſtinctio 60
Medicina quid? 427
Melancholici temperamenti diſtinctio 67. regimen 69
Memoires de l'academie royale de Chirurgie T. III. 195
Menthae noua ſpecies 172
Mercurii in ſummo frigore denſatio 357. a calore expanſio 7. ex digiti abſceſſu egreſſio 203. dulcis cum camphora mixti vſus in angina gangraenoſa 311. ſublimati corroſiui virtus in lue venerea 318
Meſentericarum venarum reſorptio 419 ſeq.
Metenſis reg, ſcientiar. et art. ſociet. 726
Meteorologicae obſeruationes 22. 390
Microſcopicae obſeruationes 159
Mictus cruentus opio compeſcendus 477
Miliaris febris diſtinctio 601. origo 605. miaſmatis indoles ib. ſeq. curatio 606 ſeq. complicatae ſymptomata 603 ſeq. remediorum euentus 604. complicatae curatio 609 ſeq.
Mineralis regni corpora inflammabilia 523. minerales gelatinae, circa eas experimenta 20 ſeq.
Miſcellanea philoſophico-mathematica ſociet. Taurinenſ. Tom I. 579
Model's, Io. Georg Verſuche und Gedanken über ein natürliches oder gewachſenes Salmiack 46
Moltke, Adam Gottlob Comes de, acad. nouae Hafnienſ. Praeſes 723
Monro Alex. obſeruations anatomical and phyſiological 415
Monſtroſus foetus 693
Montium origo 168 ſeq.
Morbillis quando opium conueniat? 484
Morborum ſyſtematica diſpoſitio 435. 675. differentiae 678. inter exercitus regnantium deſcr et curatio 707
Muſeum diſputatorium phyſico-medicum 242
Myopum pupilla 404

N. Nar-

N.

Narcoticorum remediorum vſus 90 ſeq. 96. narcotica anodyna 84
Naturalium corporum diuiſio 680
Nauiculariae deſcr. 285
Nectarii plantarum liquoris cum melle conuenientia et vſus 520
Nephritidi num opium conueniat? 491
Nephrotomiae diſquiſitio 210 ſeq.
Neruoſorum morborum diſcrimen atque diaeta 75
Nieburg iter in Arabiam felicem inſtituens 350
Nitri ſpiritus fumantis cum vini ſpiritu mixtio 121
Niuis ingens moles 170 ſeq.
Nutritiae materiae differentia 53. 60. 63. mutationes naturales 54. artificiales 55. character primarius 56

O.

Oculi humorum differentia 406. vſus in formanda obiectorum imagine 407. humoris aquei membrana 709. motus 402. neruorum cohaeſio et inſertio 405 ſeq. tunicae ſcleroticae et corneae ortus 403
Odontalgia num opium requirat 494
Oeſophagotomiae operatio 212. periculum 197
Olea et reſinas cum aqua miſcendi modus 319. oleorum terra calcarea 523
Omenti defectus 695. ligatura 203. 215
Opii vſus in haemorrhagiis 475 ſeqq. in febribus 478. in continuis et malignis ſemper nociuus 480. 486. variolis incongruus 483. in ſanandis doloribus vſus 487 ſeqq.
Opiſthotoni cauſſa 304. ſymptomata ib. ſeq. curatio 306
Ophthalmiae curatio 84 ſeq.
Opticorum neruorum cohaeſio et inſertio 405 ſeq.
Oryctographia Norica 343
Oſſificationis praeter naturalis exempla 237 ſeq.
Oſſium fabrica 436. carioſorum ſanatio 396. cylindricorum exoſtoſeos ſpecies et differentiae 205 ſeq. emollitionis gradus 238. oſſa turbinata minora ſphenoidealia ib.
Oſteologiae tractatus 236
Othonnae ſingularis ſpecies 286
Ouarii corpus glanduloſum 598
Oui elixati cicatriculae directio 580. albuminis et vitelli natura 64. albuminis examen 328
Ouis monſtroſa 145

P.

Palpebrae cancroſae exſtirpatio 145
Pamphirtholitus lapidum ordo 176
Papilionum diſtributio 689
Paracentheſis in aſcitide 308
Paragomphoſeos gradus 279
Paralyſis electricitate ſanata 160 ſeq. apoplexia ſuperueniente ſublata 313
Pariſienſis acad. reg. chirurg. Commentar. T. III. 195. theſis ad an. 1761. 179. reg. acad. ſcientiar. membra, quae anno 1759. die 7 Aprilis in viuis adhuc fuere 543 ſeqq. Correſpondentes 712 ſeqq.

Parotidis

Parotidis ſcirrhi curatio 651
Parturientis cura 272. ſitus optimus ib.
Partus veterum diſtinctio 271. appropinquantis ſigna 266. praeſentis ſymptomata 261. periodi et auxilia 268. differentia 269. difficilis 274 ſeq. 278. 281. praeternaturalis operatio 278
Pathologia methodica 671. pathologicæ inſtitutiones 426
Pecorum lues 7. huius praecauendae remedia ib. ſeqq. pecora foeni copia exigua nutriendi ratio 21 ſeq.
Pectolithus lapidum ordo 175
Pemphygos quid? 676
Pereboom Cornel. index auctorum et rerum maxime memorabilium methodi ſtudii medici Herm. Boerhaauii auctae ab Hallero 177
Perforatorii inſtrumenti in partu difficili vſus 280
Peruuiani corticis in febre intermittente vſus 622 ſeq. in febre remittente 627. ad glandularum tumores vſus 310. 314. vſus in iſchuria 303. decocti aquoſi cum gummi arabico praeparatio 315
Peſſarii in vteri et vaginae polypo noxa 221
Peſtis quid? 676. in ea opii vſus incongruus 485
Petalorum vſus 34
Pfeffinger, Io. Anat. et Chirurg. Prof. P. O. Argentorat. 355
Phalaenarum ſpecies 689
Philoſophical transactions Vol. XLIX. Pars I et II. 136
Phyſiologiae elementa 663
Picis liquidae Barbadenſis vſus 154
Pilorum in foliis differentiae et ſpecies 32. vſus ib. ſeq.
Piſcium ordines 686. mucilago atque caro 64. piſcis electrici, dum tangitur, effectus 396
Pituitoſi temperamenti regimen 68
Placentae poſt partum ſolutio et in hac obſeruandae cautelae 208. 275
Plantarum generatio animalium generationi analoga 35. propagatio 635. partes eſſentiales 535. perſpirationis ſenſibilis ab inſenſibili differentia 31. ſuccus nutritius 41. huius motus ib. ſeq. fiſtulae an dentur? 28. ſpinarum ſtructura 33. vaſorum triplex genus 529. nectarii liquoris cum melle conuenientia et vſus 520. ex ſemine in loco aeri et lumini inacceſſo natarum teneritas et color albus vnde? 40. radicis medullae ad caulem protruſio 534. exoticarum deſcr. 250. marinarum genera et a terreſtribus diſcrepantia 536. officinalium expeditior conſideratio 643. 646. recentium ſuccorum vſus 693 ſeqq. plantae nonnullae Angliae rariores 171
Platinae del Pinto examen chemicum 632
Plethorae diſtinctio 431. 674
Pleuritidi opium non conuenit 488
Pleuro-peripneumoniae epidemicae ſymptomata et curatio 449 illioſam et putridam medendi methodus 451
Plumbi feruentis effectus 156
Podagrae criſis inconſueta 299 ſeq.

Polyporum ſpecies 538. oua 540. polypi vteri et vaginae ſigna 220. curatio 221 ſeq. viuacis a vero polypo differentia 222
Pomorum corpus lignoſum et parenchyma 10 ſeq.
Pontederae Iul. obitus 182
Porterfield William Treatiſe on the Eye, the Manner and Phaenomena of Viſion Vol. I et II. 401
Presbyopum pupilla 405
Prunorum nucleorum deglutitorum noxa 445
Pruritus quid? 434
Puerperae cura 274
Pulmonum perſpiratio 668. vulneris curatio 399
Pupillae motus et contractio 403. 410. magnitudinis in infantibus cauſſa 404. myopum et presbyopum conditio 404 ſeq. inaequalis magnitudinis cauſſa 405
Pus quid? 96. 100. illius maturationem promouendi auxilia 98. 100
Purpura quid? 677
Puzos, Nicol. elogium 199
Pyrii pulueris exploſionis cauſſa 588. fragoris cauſſa 589

Q.

Quartanae febris curatio 624

R.

Rachitidis cauſſa 540 ſeq.
Radicis arborum ſtructura 28. incrementum 29. nutrimentum a ſucco deſcendente 39. medullae ad caulem protruſio 534
Radiculae deſcenſus cauſſae 39 ſeq.
Ranula, glandularum ſublingualium tumor 217
Raulin, Ioſeph Traité des affections vaporeuſes du ſexe, cet. 698
Recherches hiſtoriques et critiques ſur les differens moyens pour refroidir les liqueurs 240
Recueil des pieces qui ont concouru pour le prix de l'academie royale de Chirurgie Tom. II. 76
Refrigerii effectus 295
Regenfuſii operis de cochleis et conchis pretium 355 ſeqq.
Reichel, Georg. Chriſt. Diſſ. de epiphyſium ab oſſium diaphyſi diductione 436
Relaxantium remediorum vſus 82
Renum lectionis diſquiſitio 210 ſeq.
Reſpirationis mechaniſmus 668
Retinae tunicae inſenſibilitas 411
Rheumatiſmo opii vſus non conuenit 492 ſeq.
Ricinoidis foliorum virtus 463
Robert, Maria Iac. Clar. Quaeſt. med. an bilis ſapo acido-alcalinus? 542
Roederer, Io. Georg. Elementa artis obſtetriciae aucta et emendata 265. Icones vteri humani obſeruationibus illuſtratae 495. Idem ſociet. reg. Goettingenſ. ſocius 728. acad. reg. Chirurg. Pariſienſ. ſocius 729
Roeſelii, Aug. Io. memoria et ſcripta 563 ſeqq.
Rubeola quid? 676
Rubiae tinctorum deſcriptio 646. vſus in rachitide 541
Ruſci myrtifolii deſcr. 285

S.

Sacri oſſis deſcr. 261
Salium examen 325. figurae in ſapore vis 328. ſalis cuiusdam medii deſcr. 525. marini acidi aether 122 ſeq. ſedatiui agendi modus et virtus 521
Saliuae inſignis copiae inter maſticandum effluxus 216
Saliualium glandularum tumor 217. ductus Stenoniani fiſtulae 215. harum curationis noua methodus 216
Salucius, Taurinenſ. ſociet. ſocius 579
Sanguinis ruboris cauſſa 592. nigredinis cauſſa 593. emittendi quantitas determinata 333 ſeq. ſanguis quomodo in venaeſectione ab aqua ſeparatus ſeruari poſſit 341 ſeq.
Sanitas quid? 664. 671
Sapor quid? 321. eius cauſſae 322. experimenta circa has ib. ſeq. vix ſenſibilis cauſſae 328. varietas 329
Sarſaparillae radicis vis antiuenerea 309. decocti praeparatio et vſus 310

De

De Sauuages Fr. Phyſiologiae elementa 663. Pathologia methodica 671
Scammonii planta 296
Scarlatina quid? 677
Schaeffers, Iac. Chriſt. Kalchartiges Bergmehl 346. Iſagoge in botanicam expeditiorem 643. *erleichterte Kraeuterwiſſenſchaft* ib. Idem regius Danicus Conſiliarius et in Gymnaſ. reg. Altonau. Philoſoph. Prof. Honorar. 355
Schmidel, Caſimir. Chriſtophor. Diſſ. de Buxbaumia 44. Epiſt. gratul. ad N. L. Burmannum de medulla radicis ad florem pertingente 533
Schreber, Io. Chriſt. Dan. Lithographia Halenſis cet. 499
Schreiberi, Io. Frid. obitus 730
Scriptorum phyſico-medicorum anni 1756. editorum indicis ſupplementum alterum 185. indicis an. 1757. ſupplementum 187. an. 1758. index 377. huius continuatio 568. 747
Sedi vermicularis in cancro vſus 93
Sellae partui deſtinatae incommoda 273
Seminum germinatio 35 ſeq. ſemen virile foecundum quale? 670 ſeminalium ductuum diſquiſitio 417. veſicularum cum vaſis deferentibus coniunctio 259
Senectutis diſcrimen atque diaeta 70
Senſibilitas et irritabilitas, experimenta circa eas 149
Seri ſanguinis diſquiſitio chemica 596
Sertulariae deſcr. 538
Somni interrupti cauſſa et curatio 298 ſeq.
Somnolentia praeternaturalis 312
Spielmann, Iac. Reinbold Botanices Chemiae et Mat. Med. Prof. P. O. Argentorat 354 ſeq.
Spinarum in plantis figura et ſtructura 33
Spiritus Mindereri vſus 389
Spreckeliae noua ſpecies 285
Staterae et vaſis ad ponderandum ſanguinem idonei deſcr. 332. 337
Stoerck, Anton. libellus quo demonſtratur: Cicutam vſu interno tutiſſime exhiberi cet. 649
Strabiſmi cauſſa 413
Stramonii fructuum noxa 458
Strumae ſcirrhoſae curatio 657
Stubenrauch acad. ſcientiar. electoral. Bauar. tribuni aerarii munere fungens 180
Subcruralis muſculi delineatio 259
Subſtantiarum exaltatio 160
Succinum quid? 169
Suctionis impedimentum 197
Sue Traité d' Oſteologie 235
Sulphureus mons Guadelopenſis 162 ſeq.
Suppurantium remediorum genera 98. 101. vſus in morbis externis 99. 102
Suppurationis geneſis 97. eam in parte inflammata adiuuandi auxilia 100
Surculorum in plantis nutrimentum a ſucco aſcendente 39
Surditas ab Euſtachianae tubae obſtructione 147
Suturae vulneris abuſus 215
Suecicae ſcientiar acad. Acta an. 1758. Vol. XIX. 3
van Swieten Matheſeos et Phyſices in acad. Vindobonenſ. Director 727
Symptoma quid? 428. 672

T.

Tabaci virtus emetica 446
Taberi mons ferri minera diues 138
Tarantiſmi ſymptomata et cauſſae 4 ſeqq.
Taurinenſis ſocietat. Miſcellanea philoſophico-mathematica Tom. I. 579
Temperamentorum differentia et regimen 67 ſeqq.
Tendinis ortus 259
Tentamen ſuper alimentis cet. 51. ſuper vſu alimentorum ib.
Terrae bolares coloratae acidum vitriolicum non continent 524. Beuthnizenſis diſquiſitio chemica 638. ſulphureae Tarnouicenſis diſquiſitio chemica 636. terrae motuum cauſſa ignota 164
Teſticuli tumor ſingularis 461
Tetani cauſſa 304. periodi et ſymptomata ib. ſeq. curatio 306
Thee potus abuſus 701
Thermometrorum aſcenſus et deſcenſus 583
Therouide, Carol. Franc. Quaeſt. med. chirurg. an ſola lens cryſtallina cataractae ſedes? 709
Thiery, Franc. Quaeſt. med. an in celluloſo textu frequentius morbi et morborum mutationes? 123

Thomaeana methodus lithotomiae 225
Thoracis vulneris ſanatio 392 ſeq.
Tinus flore pleno Calmiae vel Cluſiae ſpecies 287
Titanokeratophytorum cum keratophytis conuenientia 537
Tonitru ortus 507
Tormentillae ſpecies 172
Toxicodendri ſpecies et vſus ad artem infectoriam 144 ſeq.
Tralles, Balthaſ. Lud. vſus opii ſalubris et noxius Sect. II. 475
Trampe, Io. Gottfr. centuriae plantar. typographorum in modum pictarum editae 184. nouum cum plantis vſui medico dicatis inſtitutum ib. ſeq.
Tranſactiones philoſophicae Vol. XLIX. Pars I et II. 136
Tumor manus 13. circa proſtatam lethalis vrinae retentionis cauſſa 17. circa veſiculam felleam 218

V.

Vaginae dislocatio 214. polypi ſigna 220. curatio 221
Vandermonde recueil periodique d' obſeruations de Medecine, Chirurgie et Pharmacie cet. 444
Vaporoſae affectiones 698
Vaporum aſcenſus cauſſa 143
Varietatum in regno vegetabili cauſſa 35
Variolarum definitio 676. ſpecies 677. ortus et medendi methodus 526. inoculatio 452. experimentum circa hanc 395. in illis opium nocet 483 ſeq. miaſmatis indoles 466
Vaſorum deferentium cum veſiculis ſeminalibus coniunctio 259
Vegetabilis regni varietatum cauſſa 35. mucilaginis ab animali differentia 63
Venaeſectio in ophthalmia 92. in febre intermittente 619. eius conſideratio ratione quantitatis 333 ſeqq.
Venarum rubrarum virtus abſorbens 419. abſorbentium vſus in animalibus viuiparis 420
Venenorum actio 432
Venereae luis ope mercurii ſublimati corroſiui curatio 318
Ventilatorum in nauibus vtilitas 153
Verhandelingen uitgegeuen door de Hollandſe Maatſchappy der Weetenſchappen te Hailem. tweede Deel 387
Vermiſchte Schriften aus der Naturwiſſenſchaft, Chymie und Arzneygelahrheit 517
Vermium noui ordines 690. vermis in hepate generatio 301. per anum excretio 302
Vernicis vulgaris origo 172 ſeq.
Veſicae corpora peregrina 224. dolores num opio ſedandi? 492
Veſicatoriorum vſus 109
Vini examen 327. ſpiritus cum acidis mineralibus mixtio 116 ſeqq.
Viſus ratio et phaenomena 401 ſeqq. 407. 412. abſolute diſtinctus impoſſibilis eſt 408
Vitae naturalis perfectio 670
Vitra ſolubilia, experimenta ſuper illis 20 ſeq.
Vitrioli olei vſus internus 527. illud edulcorandi modus 397. vitriolicus aether 116. 118. acidi cum vini ſpiritu mixtio et producta 117. horum examen 118 ſeqq.
Vlcerum diſtinctio et ortus 103. 106
Vmbilicalis funiculi ligatura, quo tempore inſtituenda? 274. herniae operatio 449
Vmbilici tumor et apertura vrinam excernens 196
Vmbla minor, piſcis ſpecies 146
Vnctuoſorum examen 327
Vocales literae quid? 130
Vocis definitio et inſtrumenta 127. inſtrumentum praecipuum 128. claſſes ib. ſeq. humanae duplex conſideratio 129 ſeq.
Vogel, Rud. Auguſtin. hiſtoria materiae medicae ad nouiſſima tempora producta 131. Idem Chem. Prof. P. O. Goettingenſ. 729
Vomitus menſtruus cruentus 461. cruentus opio compeſcendus 477. materiae virideſcentis podagram ſoluit 299
Vrinae per vmbilicum excretio 196. ſuppreſſionis lethalitas et cauſſa 16 ſeq.

Vteri humani icones obſeruationibus illuſtratae 495. fibrarum ſtrata 496. ſtatus poſt partum 268. dislocationes 213. hernia 214. haemorrhagiae quando opium requirunt? 478. polypi ſigna 220. grauidi deſcriptio 599. icones 659. 662. ſuperficies interna 497

W.

Wachendorfiae deſcriptio botanica et ſpecies 648 ſeq.
Weismann, Io. Frid. obitus 732
Winslow, Iac. Benig. obitus 730

Z.

Zoophytorum genera 691

Emendenda.

Pag. 32. lin. penult. inſprationis l. inſpirationis. p. 154. lin. 13. curata l. curatu. p. 287. lin. 19. Celoſtrum l. Celaſtrum. p. 343. lin. 25. XIII. l. XIV. p. 346. lin. 7. XIV. l. XV. p. 348. lin. 18. XV. l. XVI. p. 371. lin. 25. latine, lege germanice. ead. pag. lin. 28. latinam l. germanicam. p. 380. lin. 24. electica l. electrica. p. 397. lin. 2. pedes l. pedis. p. 459. lin. 5. ab infra, reductam l. reductum. p. 482. lin. 32. phreniditisue l. phrenitidisue. p. 508. lin. 21. nornam l. normam. p. 514. lin. 32. ſal l. ſale. p. 526. l. 23. sſentiis l. eſſentiis. p. 564. l. 33. annitur l. annititur. p. 677. lin. 9. in febris deleatur in.